ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.

Ann. CIƆIƆCCCXXI - CIƆIƆCCCXXII.

Utrecht.

ANNALES
ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE

Ann. CIƆIƆCCCXXI–CIƆIƆCCCXXII.

NICOLAO CORNELIO DE FREMERY,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,
IANO RICHARDO DE BRUEYS,
SENATUS GRAPHIARIO.

TRAIECTI AD RHENUM,
APUD OTTON. IOANN. VAN PADDENBURG,
ET I. VAN SCHOONHOVEN,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXXIII.

General

HOC ANNALIUM VOLUMINE
CONTINENTUR:

Refponfiones ad propofitas quaestiones.

ALBERTI VAN CALCAR, Med. Cand. in Acad. Lugd. Bat.

IACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS, Philof. Theor. et Litt. Hum. Cand. in Acad. Traiect.

CORNELII ADRIANI BERGSMA, Math. et Philof. Nat. Cand. in Acad. Traiect.

AEGIDII DE WIT, Litt. Hum. atque Math. et Philof. Nat. Cand. in Acad. Traiect.

IACOBI GERARDI HENRICI SANDBRINK, Theol. Cand. in Acad. Traiect.

WOPKE WOPKENS BROUWER, Iur. Cand. in Acad. Lugd. Bat.

AN-

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.

CIƆIƆCCCXXI - CIƆIƆCCCXXII.

In Academia Traiectina a die XXVI *Martii A.* CIƆIƆCCCXXI. *ad diem* XXVI. *Martii A.* CIƆIƆCCCXXII, *munus obierunt docendi*,

MEDICINAM.

IANUS BLEULAND.

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY, *h. t. Academiae Rector.*

BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN,

IANUS ISAACUS WOLTERBEEK.

IACOBUS VOSMAER, *Prof. extraord*,

PHILIPPUS FRANCISCUS HEYLIGERS, *Prof. extraord.*

PHI-

PHILOSOPHIAM THEORETICAM ET LITERAS HUMANIORES.

PHILIPPUS GUILIELMUS VAN HEUSDE.
DITHMARUS HUISMAN.
IOANNES HENRICUS PAREAU.
ANTONIUS VAN GOUDOEVER.
ADAMUS SIMONS.

MATHESIN ET PHILOSOPHIAM NATURALEM.

GERARDUS MOLL.
IOANNES FREDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER.
IANUS KOPS.
THEODORUS GERARDUS VAN LITH DE IEUDE, *Prof. extraord.*

THEOLOGIAM.

HERMANNUS ROYAARDS.
IODOCUS HERINGA, EL. F.
GABRIËL VAN OORDT.

IU-

IURISPRUDENTIAM.

HERMANNUS ARNTZENIUS.

IANUS RICHARDUS DE BRUEYS, *h. t. Senat. Acad. Graphiarius.*

CORNELIUS ADRIANUS VAN ENSCHUT.

LECTORES.

SAMUEL NYHOFF, *Linguae Graecae Lector.*

GERARDUS DORN SEIFFEN, *literarum humaniorum Lector.*

CAROLUS THOMPSON, *Lector literarum Anglicarum.*

LUDOVICUS PINO, *Lector literarum Italicarum.*

MARIE FRANCISCUS XAVIÉRIUS D'ANGELY, *lector literarum Gallicarum.*

MAGISTER ACADEMICUS EQUITATIONIS.

IOHAN SALENTYN HOFFMAN.

MAGISTER ACADEMICUS GLADIATORIAE ARTIS.

LUD. DE FRANCE.

§ II.

§ II.

Quaestiones ad certamen literarium singularum disciplinarum studiosis in Academiis et Athenaeis universi Belgii, anno CIↃIↃCCCXXI, *fuerunt propositae his formulis.*

QUAESTIO MEDICA.

Comparetur Veterum doctrina cum Recentiorum theoria de ista affectione pathologica in homine, quae vocatur metastasis. *Indicetur dein, quaenam ex opinionibus, quas Recentiores hac de re protulerunt, maxime probabilis videatur.*

QUAESTIO LITERARIA.

Quaenam sunt praecipuae Herodoti in rebus gentium enarrandis dotes atque virtutes?

QUAESTIO CHEMICO-OECONOMICA.

Instituatur lactis vaccini *examen chemicum, ad hodiernam artis perfectionem accommodatum,*

tum, in quo ratio etiam habeatur illius casei albuminosi, (*Zieger, Sérai*) *qui post separatum caseum vulgarem per calorem et acida e sero lactis separatur, et doceatur, num principium a vulgari caseo diversum revera sit habendum. — Indicetur praeterea ratio, in Belgio adhibita, ad diversa lactis vaccini principia a se invicem separanda et in usum oeconomicum convertenda.*

QUAESTIO PHYSICA.

Describantur, et quantum id experientia duce fieri potest, explicentur acus magneticae phaenomena. Ostendatur illius usus in nautica arte, atque viae maxime expeditae, quibus eius declinatio, inclinatio, atque vis magneticae, qua praedita est, intensitas, definiri possint.

QUAESTIO THEOLOGICA.

Quandoquidem perperam agunt, qui in orationibus sacris omnem sacrorum librorum interpretationem negligunt, nec tamen una eorum

rum adhibendorum ratio probari potest, cum vel praecipuus interpretationi detur locus, vel doctrinae Christianae pars, ex praelecto obiterve illustrato loco ducta, uberius exponatur, vel denique tertium eligatur genus, ex utroque illo mixtum, quaeritur, quid in singulis universe praestabile habendum, et in delectu faciendo inprimis spectandum sit?

QUAESTIO IURIDICA.

Doctrinae Iuris qua Romani impuberibus aut inconsultae adolescentum aetati prospicere studuerunt, vis et natura, maxime in ineunda obligatione, et ratione iurium quae iis in iudicio competunt, admoto lumine historiae, rite declarentur.

Ad quas erit respondendum ante diem 10. Ianuarii a. 1822. libellis aliena manu scriptis, ac Senatus Academici Graphiario missis, ut praemia reportata distribui possint ipso die Academiae natali, qui futurus est 26. Martii illius anni.

§ III.

§ III.

Lectionum a feriis inde aestivis A. CIƆIƆCCCXXI. *ad ferias aestivas A.* CIƆIƆCCCXXII. *habendarum haec fuit ratio constituta.*

In FACULTATE MEDICA, docebunt

Anatomiam B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora IV.

Physiologiam I. BLEULAND quater, h. VIII.

Specimina Anatomiae Subtilioris, tam humanae quam animalium comparatae in Museo Academico demonstrabit I. BLEULAND, diebus et horis, auditoribus commodis.

Dissectionibus Cadaveris Anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeërit B. F. SUERMAN.

Pathologiam exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, hora IX.

Semioticam I. VOSMAER, d. martis et veneris, horâ XI.

Therapiam generalem I. VOSMAER, die lunae et iovis, hora XI.

Doc-

Doctrinam de cognoscendis et curandis hominum morbis I. I. WOLTERBEEK, quinquies hora XII.

Therapeuticam Materiae Medicae expositionem I. I. WOLTERBEEK, quater, hora I.

Pharmaciam, vernaculo fermone, N. C. DE FREMERY, diebus martis et veneris, hora III.

Inftitutionibus Clinicis morborum internorum vacabit I. I. WOLTERBEEK, fingulis diebus, in Nofocomio Academico.

Praxin chirurgicam tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

Operationes chirurgicas demonftrabit B. F. SUERMAN, tempore hyemali, diebus et horis deinceps indicandis.

Inftitutioni clinicae in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Morbos osfium tractabit, vernaculo fermone, Ph. F. HEYLIGERS, diebus lunae, martis et veneris, hora II.

Operationes chirurgicas in cadavere humano publice demonftrabit Ph. F. HEYLIGERS, tem-

tempore hyemali, earumque encheiresium rationem, vernaculo sermone, exponet quater per dierum hebdomadem, hora V.

Artem obstetriciam theoreticam et practicam docebit Ph. F. HEYLIGERS, quater quavis hebdomade, hora I.

Institutionibus in arte obstetricia, imprimis Clinicis in Nosocomio habendis vacabit I. I. WOLTERBEEK.

Medicinam Forensem tradet N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Encyclopaediam medicam I. VOSMAER, diebus mercurii et saturni, hora XII.

Historiam Medicinae I. VOSMAER, diebus et horis, auditoribus commodis.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, die saturni hora I. Professores in Facultate Medica alternatim praeerunt.

In FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM,

docebunt

Logicam I. F. SCHRÖDER, diebus iovis et veneris, hora VIII.

Col-

Collocutionibus de Philosophiae moralis praeceptis vacabit I. F. L. SCHRÖDER, die lunae, horis vespertinis a V ad VII.

Philosophiam moralem D. HUISMAN, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora X. interpretandis cum selectis Tibulli, Virgilii aliorumque Poëtarum locis, tum Ciceronis Orationibus Catilinariis.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, d. mercurii et saturni h. IX et XII.

Antiquarum coloniarum historiam exponet A. VAN GOUDOEVER, die lunae, hora IX. et mercurii, hora I. Idemque latine tam scribendi quam loquendi exercitationes moderabitur.

Exercitationibus Oratoriis praeerit A. VAN GOUDOEVER, die saturni, hora I. aut aliâ magis commodâ.

Literas Graecas tradet Ph. G. VAN HEUSDE, interpretandis cum locis selectis N. Foederis, Homeri et Xenophontis, diebus lunae et iovis, hora XI: tum selectis poëtarum Graecorum carminibus et orationibus Aeschinis *in Cte-*

si-

siphontem ac Demosthenis *de Corona*, diebus martis et veneris, hora XI.

Historiam poëseos Graecae Ph. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et saturni, hora X.

Literas Hebraicas I. H. PAREAU, ita ut *Grammaticam* exponat diebus lunae et iovis hora IX, eademque hora, diebus martis et veneris, quaedam tractet capita è priore *Samuelis* libro.

Literas Chaldaicas et *Syriacas* I. H. PAREAU, diedus lunae et iovis, hora XI.

Literarum Arabicarum initia I. H. PAREAU, d. martis et veneris, hora XI. et *lectiones Coranicas* habere perget d. mercurii, h. IX.

Antiquitatem Hebraicam I. H. PAREAU, d. martis, mercurii, iovis et veneris, hora IV.

Historiam gentium universam praesertim *recentiorem* Ph. G. VAN HEUSDE, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. XII.

Historiam literarum et philosophiae gentium recentiorum Ph. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et saturni, hora XI.

Historiam Patriae A. SIMONS, d. mercurii, iovis, veneris et saturni, hora VIII.

Li-

Literas Belgicas et Eloquentiam A. SI-MONS, d. martis, mercurii, iovis et veneris, hora III.

Selecta poëtarum principum Belgic. loca; Seculi XVII. exponet A. SIMONS, d. martis et veneris, hora IV.

Praecepta ſtyli bene Belgici tradet A. SI-MONS, d. martis, hora VIII. mercurii et iovis, hora IV.

Disputandi exercitationibus praeerunt, alternis hebdomadibus, die ſaturni hora I. alternatim PH. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.

In FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS, docebunt

Elementa Matheſeos I. F. L. SCHRÖDER, d. lunae, martis, mercurii et ſaturni, hora VII.

Trigonometriam rectilineam et ſphaericam, adhibitam ad Geometriam practicam, atque Astronomiam, I. F. L. SCHRÖDER, die lunae et iovis, hora IX.

Elementa Mechanicae ſublimioris atque Opti-

ti-

ticae I. F. L. SCHRÖDER, diebus et horis, deinceps indicandis.

Physicam experimentalem G. MOLL, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. I.

Astronomiae primas notitias G. MOLL, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. IX. vel alia, auditoribus magis commoda.

Astronomiam theoreticam et practicam G. MOLL, iisd. d. h. III.

Elementa Hydrotechniae, ad praesentem conditionem Patriae adplicata, si sufficiens numerus auditorum adsit, belgico sermone exponet G. MOLL, hora deinceps indicanda.

Chemiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, h. XII.

Botanicam et Physiologiam plantarum I. KOPS, d. martis, iovis et veneris, hora X.

Zoölogiam generalem, cum *Anatome comparata* coniunctam, N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, iovis et veneris, h. XI.

Selecta quaedam Zoölogiae capita tractabit Th. G. VAN LIDTH DE IEUDE, diebus et horis auditoribus commodis.

Mineralogiam N. C. DE FREMERY, bis per dierum hebdomadem, horâ auditoribus commodâ.

Oeconomiam ruralem I. KOPS; diebus iovis et veneris, hora III. lunae et mercurii, hora VIII. vel aliis diebus ac horis, auditoribus magis commodis.

Disputandi exercitationibus, die saturni horâ I, praeërunt Professores in Facultate Matheseos et Philosophiae Naturalis.

In FACULTATE THEOLOGICA,
docebunt

Theologiam naturalem G. VAN OORDT, d. lunae et iovis, hora XI. eadem hora d. mercurii alternis hebdomadibus, data opportunitate, repetitionibus destinata erit.

Historiam ecclesiasticam D. HUISMAN, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora X. aut aliis, auditoribus magis commodis.

Interpretem V. T. instituet I. H. PAREAU, d. lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Introitum criticum et hermeneuticum in universum N. Foederis Codicem praebebit I. HE-

RIN-

RINGA, E. F. d. lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Epiſtolas Iohanneas et ſelecta Apocalypſeos loca; praemisſo in ſingulas Introitu, interpretabitur I. HERINGA, E. F. diebus lunae et iovis, hora XII.

Loca N. T. praecipua, quibus doctrina de *divina natura*, ut et de *Ieſu Chriſto Dei Filio*, *Conſervatore noſtro*, traditur, tractabit I. HERINGA, E. F. d. martis et veneris, hora XII.

D. Pauli epiſtolam ad Hebraeos interpretabitur H. ROYAARDS, d. mercurii, hora XII.

Theologiam Dogmaticam docebit H. ROYAARDS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora IX.

Collocutionibus de *Locis theologicis* vacabit I. HERINGA, E. F. die iovis, horis vespert. a VII. ad IX.

Christianam morum disciplinam docebit G. VAN OORDT, d. lunae, martis et iovis, hora X. d. mercurii, alternis hebdomadibus, data opportunitate, commilitonum ſuorum profectus explorabit, h. XI.

 Prae-

Praecepta *homiletica* tradet H. ROYAARDS, die mercurii, hora X.

Exercitationes Oratorias Sacras moderabitur I. HERINGA, E. F. die ſaturni, hora I. vel alia magis commoda.

Officia nuntiorum Euangelii exponet H. ROYAARDS, die mercurii, hora IX.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem inſtituet I. HERINGA, E. F. die veneris, hora XI. nec catecheticis inſtitutionibus deërit G. VAN OORDT, horâ deinceps indicanda.

Orationibus Sacris pronunciandis praeerunt H. ROYAARDS, die martis, hora XII, I. HERINGA, E. F. die lunae, hora XII. et G. VAN OORDT, die mercurii, hora XI.

Disputandi exercitationibus praeerunt H. ROYAARDS, die veneris, hora I; I. HERINGA, E. F. privatim die ſaturni, hora IX. vel alia commodiore, publice, die mercurii, hora I.

In

In FACULTATE IURIDICA,
docebunt

Institutiones Westenbergio duce H. ARNTZENIUS, diebus martis, iovis et veneris, hora IX. mercurii et saturni, hora X.

Pandectas eodem duce H. ARNTZENIUS, diebus martis, iovis et veneris, hora X. mercurii, hora IX. et I. et saturni, hora IX.

Ius Belgicum ad ductum linearum Iur. Civ. Holland. descriptarum a Cl. N. Smallenburg I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Historiam Iurisprudentiae Romanae H. ARNTZENIUS, diebus martis et iovis, hora I.

Prima Oeconomiae politicae elementa, vernaculo sermone, tradet I. R. DE BRUEYS, die lunae, mercurii et veneris, hora I.

Ius naturae C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, iovis et veneris, hora XII, mercurii vero die, hora XI.

Ius publicum et gentium C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora VIII.

Ius

Ius Criminale universum et belgicum C. A. van ENSCHUT, diebus martis, iovis et veneris, hora nona, mercurii, hora XII.

Disputandi exercitationibus alternis hebdomadibus praeerunt Profesfores in facultate Iuridica.

G. DORN SEIFFEN, *Human. Lit. Lector*, diebus lunae, hora V. *poëtarum Latinorum*, qui vulgo *minores* dicuntur, *historiam criticam* tradet. Diebus iovis, hora V, *rhythmicam rationem in variis carminum generibus, tam apud Graecos quam Romanos*, exemplis demonſtrabit.

F. L. PINO, *Literas Italicas* docebit diebus lunae et martis, hora VI. vel alia auditoribus magis commoda; horis vero deinceps indicandis, historiam earum literarum fermone Francico et Italico tradet.

Literas Francicas tradet F. M. D'ANGELY, diebus lunae et iovis, hora IV.

Literas Anglicas tradet C. THOMPSON, diebus lunae et iovis, hora V.

L. de FRANCE, Academicus gladiatoriae ar-

artis Magister, aptum et elegantem gladii usum docebit, die iovis hora VII vespertina.

———*———

Bibliotheca Academica, diebus Lunae et Iovis, ab hora I. in II. et diebus Mercurii et Saturni ab hora II. in IV, et, feriarum tempore, singulis diebus Iovis, ab hora I. in II, unicuique patebit.

§ IV.

A die XXVI *Martii. A.* CIƆIƆCCCXXI., *ad diem* XXVI *Martii, A.* CIƆIƆCCCXXII., *disputationes publice vel privatim défensae sunt hoc ordine:*

Anno CIƆIƆCCCXXI.

d. XXIX. *Martii* PETRUS HERMANNUS HUGENHOLTZ, Ameronga Traiectinus, *Theologiae Doctor creatus est, publice defensa Disp.* de Capite Sexto Epistolae Pauli ad Romanos.

d. III. *Aprilis* IOANNES FREDERICUS VAN OORDT, I. G. FIL.; Rotterodamensis, *summos in Theologia honores accepit post publicam defensionem Disp.* de Religione Christiana ad

con-

coniunctionis et societatis studia alenda et promovenda cum aptissima, tum efficacissima.

d. XIV. *Aprilis* AUGUSTUS NOBLET, Rotulo Helvetus, *Doctor Iuris renuntiatus est, privatim defensa Dissert. Iurid.* Varii Argumenti.

d. IV. *Maii* CONRADUS GUILIELMUS VAN FRIDAGH, Zwollanus, *Doctor Iuris Romani et Hodierni creatus est, privatim defensa Dissert.* de Iure liberos exheredandi e principiis Iuris Romani et Hodierni.

d. XIV. *Maii* ALEXANDER GERARDUS VOS DE WAEL, Zwollanus, *summos in Iure Romano et Hodierno honores capessivit, publice defensa Disp.* de Errore in Conventione.

d. XV. *Maii* GUILIELMUS HENRICUS TAAY, Ticla Gelrus, *Doctor Iuris Romani et Hodierni creatus est, publice defensa Dissert.* de Natura atque vi obligationis naturalis ex principiis Iuris Hodierni.

d. XXVIII. *Maii* HENRICUS COCK, Daventriensis, *summos in Iure Romano et Hodierno honores accepit, publice defensa Disp.* de Argumento ab Analogia, eiusque a legis interpretatione differentia.

d.

d. xxx. *Maii* FREDERICUS REISS, Stabroeka-Demerariensis, *Doctor Iuris creatus est*, *privatim defenso Specimine*, de differentia Tutelae et Curae apud Romanos.

d. VIII. *Iunii* CORNELIS IACOBUS VAN BOMMEL, Harlemensis, *consecutus est gradum Doctoris Iuris Romani et Hodierni post privatam defensionem Disp.* de Divortio ex mutuo Consensu.

d. XII. *Iunii* IOANNES PETRUS DASSEVAEL, Haganus, *publice defendit Disp.* de Rebus Dubiis, *et summi in Iure Romano et Hodierno honores in ipsum collati sunt.*

d. XIV. *Iunii* IOACHIMUS SANDRA, Lugduno Batavus, *summos in Iure Romano et Hodierno honores consecutus est*, *post publicam defensionem Dissert.* quae sistit disquisitionem in Iuris Hypothecae naturam atque progressum.

d. XV. *Iunii* IANUS CONRADUS PRUIMERS, Zwollanus, *Iuris Romani et Hodierni Doctor creatus est*, *publice defensa Disp.* de Cura quam leges habent liberis prioris thori.

d. XXII. *Iunii* IOACHIM FERDINANDUS DE BEAUFORT, Rheno - Traiectinus, *privatim defen-*

dit

dit Commentationem ad Art. 543. Codicis Civilis, *et summos in Iure Romano et Hodierno accepit honores.*

d. XIV. *Decembris* ANTONIUS ADRIANUS MARTINI BUYS, Amstelaedamensis, *privatim defendit* Quaestiones Iuris Civilis; *et summos in Iure Romano et Hodierno honores accepit.*

d. XX. *Decembris* IOANNES SCIPIO VERNEDE, Medioburgo-Zelandus, *Iuris Romani et Hodierni Doctor renunciatus est, publice defensa Disp.* de Consilio Familiae.

His addendae sunt duae Disputationes. Altera exhibens Synopsin graminum indigenarum Belgii partis septentrionalis, *quam d.* XIX. *Decembris, publice defendit* HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL, Amstelodamensis, *Praeside Viro Cl.* IANO KOPS. *Altera* de Phocis, speciatim de Phoca Vitulina, *publice defensa a* GUILIELMO VROLIK, Amstelodamensi, *Praeside Viro Cl.* NIC. CORN. DE FREMERY, *d.* XX. *Martii*, MDCCCXXII.

§ V.

§ V.

Anno CIƆIƆCCCXXII.

Die XXII. *Martii Vir Clarissimus* CORNELIUS ADRIANUS VAN ENSCHUT, *postquam ab Illustrissimis Academiae Curatoribus more solemni esset inauguratus in Senatu, Iuris docendi provinciam suscepit habita oratione:* de humanae indolis cognitione, legum de criminibus et condendarum et exsequendarum subsidio.

Die XXVI. *Martii. Natali hoc Academiae die in Senatum venerunt Academiae Curatores Viri Amplissimi, qui, postquam solenne praestiterat iusiurandum designatus huius anni Rector* IOANNES HENRICUS PAREAU, *praecedentis anni Rectori* NICOLAO CORNELIO DE FREMERY *pro fide et cura in Magistratu obeundo gratias egerunt, Cl.* PAREAU *munus hocce gratulati sunt, et Graphiarii Senatus partes dederunt Cl.* MOLL; *tum universo comitante Senatu Cl.* DE FREMERY *in Cathedram deduxerunt; qui habita oratione* de Chemia et Arte pharmaceutica ad maiorem perfectionem in Belgio evehendis, *enarratisque,*

quae

quae Academiae, ipso Rectore, tum prospera tum adversa accidissent, iuvenibus in certamine litterario victoribus ALBERTO VAN CALCAR, *Med. Cand. in Acad. Lugd. Bat.*, IACOBO ADOLPHO CAROLO ROVERS, *Phil. Theor. et Litt. Hum. Cand. in Acad. Trai.*, CORNELIO ADRIANO BERGSMA, *Math. et Phil. Nat. Cand. in Acad. Trai.*, AEGIDIO DE WIT, *Litt. Hum. et Math. et Phil. Nat. Cand. in Acad. Trai.*, IACOBO GERARDO HENRICO SANDBRINK, *Theol. Cand. in Acad. Trai. et* WOPKE WOPKENS BROUWER, *Iur. Cand. in Acad. Lugd. Bat. praemia distribuit, atque pro meritis laudavit* GERARDUM DEDEL, *Phil. Theor. et Litt. Hum. Cand. in Acad. Lugd. Bat.*, PETRUM IOHANNEM BLOM, *Math. et Phil. Nat. Cand. et Med. Stud. in Acad. Trai.*, GERARDUM STEENHOFF, *Theol. Cand. in Acad. Trai.*, SALOMONEM EMANUELEM NYKERK, *Iur. Cand. in Athen. Amstel. Hisce feliciter peractis, munere se abdicavit, datumque sibi successorem Cl.* PAREAU *in proximum annum Academiae Rectorem proclamavit et salutavit.*

CORNELII ADRIANI VAN ENSCHUT

ORATIO

DE

HUMANAE INDOLIS COGNITIONE, LEGUM DE CRIMINIBUS ET CONDENDARUM ET EXSEQUENDARUM SUBSIDIO.

PUBLICE DICTA

DIE XXII MARTII ANN. MDCCCXXII,

QUUM IURISPRUDENTIAM IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA DOCENDI MUNUS SOLENNI RITU IN SE SUSCIPERET.

NOBILISSIMI ACADEMIAE CURATORES, BONARUM LITERARUM FAUTORES EGREGII!

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, CETERIQUE ARTIUM ATQUE DISCIPLINARUM PROFESSORES, OMNIS ERUDITIONIS LAUDE CUMULATISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

LITERARUM HUMANIORUM LECTORES ERUDITISSIMI!

QUOTQUOT REPUBLICA ADMINISTRANDA, MAGISTRATU GERENDO, IUDICIIS CONSILIISQUE

 MO-

MODERANDIS HABENDISQUE, VEL QUACUNQUE ALIA DIGNITATE COMMUNI CIVIUM UTILITATI OPERAMINI, VIRI AMPLISSIMI, GRAVISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES DOCTISSIMI, REVERENDI!

QUARUMVIS ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, CONSULTISSIMI, ACUTISSIMI!

LECTISSIMA IUVENTUTIS ACADEMICAE CORONA, SOCIETATIS HUMANAE SPES!

QUOTQUOT PRAETERBA ADESTIS, CIVES, HOSPITES, LITERARUM AMANTES, AUDITORES CUIUSCUNQUE ORDINIS, HONORATISSIMI, SPECTATISSIMI!

Plerasque doctrinas et artes, quas vel humanum ingenium excogitavit, vel benignus naturae Auctor hominibus suppeditavit, inter se arcte nexas, atque copulatas esse, nemo facile dubitabit, qui de hoc artium et doctrinarum vinculo unquam secum cogitaverit. Nec igi-

igitur mirum est, A. A. aliquando fuisse viros, haud mediocriter eruditos, qui de hac, qua artes et doctrinae inter se iunctae atque nexae sunt, copula adeo sibi persuasum habuerint, ut omnes artes omnesque doctrinas ex uno principio, nescio quo effectu, ducere fuerint conati.

Quod autem de ceteris doctrinis constat, idem quoque in illa, quam nos profitemur, Iurisprudentia obtinere, rerum peritos ad unum omnes affirmare, videmus. Quis enim, ut hanc sententiam paucis illustrem exemplis, quis igitur *humaniores literas, Graecas praesertim* et *Latinas, iuris cultoribus*, perpetuo cum iurisprudentiae studio coniungendas, non ultro largitur, nisi qui ICto quasi clavem deneget, qua sola ad pretiosissimos antiquitatis thesauros aditus ipsi pateant? Hoc vero linguarum, antiquitatis et historiarum studium in futuro ICto quantopere requiratur, Vos A. A. sine me ipsi intelligitis.

Philosophiam logicam, cogitandi iudicandique leges examinans, constituens, sine qua nihil egregii vel cognoscitur, vel administratur,

vel

vel accurate proponitur, futuro ICto non addiscendam esse, quis est, qui contendere audeat?

Aut quis a futuro ICto, tamquam prorsus inania et unde non magna honoris et laudis praemia exspectare liceat, omnia omittenda defendat, quae ad rectum sermonis usum et proprietatem, ad bene scribendi et perspicue, apte atque graviter dicendi artem pertinent? Huic enim praeclara arte opus est illi, qui vere et ad publicam utilitatem, pro dignitate muneris et officii, apud cives, socios, hostes, in otio, in negotio est responsurus de iure belli et pacis, de rebus divinis atque humanis, maximis, minimis, publicis, privatis, aliquando ex naturae, plerumque ex civilibus legibus, tam recentibus, quam vetustis.

Quid dicam, quantum Philosophia moralis iis inprimis praestet utilitatis, qui aliquando iustitiae vindices sunt futuri? Moralis enim philosophia, tum qua cuiusque vitam atque mores format, tum qua populos imperio regere nos docet et hominum coetus ad civilem felicitatem perducit, tantae dignitatis ab omni usque aetate

et

et inter omnes cultos populos fuit, ut communi quodam consensu, nec a Stoicis solis affirmaretur, nostros in reliqua Philosophia et artibus ingenuis labores irritos fore, nisi huc, velut ad extremam metam, omnes pertineamus.

Hinc videtis, A. A. plurimarum artium et doctrinarum cognitionem adeo ad consummatam, quae dici mereatur, iurisprudentiam requiri, ut, qui futuro ICto, illas vel omnino praecludendas, vel ad secundas tantum curas ablegandas esse, falso putet, animi et corporis quasi discidium inducere videatur.

His itaque consideratis atque animo perpensis, Quinctiliano est assentiendum, sine humanitatis studiis aliquem legulejum quidem, nequaquam vero ICtum posse haberi.

Ne autem arduum nimis, asperumque hoc eruditionis iter existimetis, praestantissimi Iuvenes, qui veram ICti dignitatem olim tueri gestitis. Non omnes quidem, ut cum Hubero loquar, non omnes iuri destinatos pari modo et aeque penitus literis ac philosophia imbui suadeam, sed qui otio et facultate abundant, hos plane vellem instructos; qui secundum eos,

nec

nec admodum festinant, nec longiores patiuntur moras, quod satis foret, imbutos; sed quos parentum imperium, vel rei familiaris conditio properandi necessitati adstrinxit, si non daretur ultra, ita certe tinctos desiderarem, ut, academicorum studiorum cursu relicto, deinceps, ad summorum in unuquoque doctrinae aut artis genere Virorum exemplum, quod minus consummatum sit, supplere aut perficere pergant.

Hic velim cogitetis, optimi Iuvenes, indefessum laborem et perpetuam industriam, quae magis, quam ulla alia res ab ipsa hominis pendeat voluntate, certam esse viam, qua ad summum in unaquaque doctrina fastigium perveniri possit. Cuius quidem rei inter ICtos magnificentius et gloriosius exemplum, quam quod in Aristone et Grotio inprimis, aliisque iurisprudentiae luminibus habemus, adferri omnino non possit. Hi enim Viri stupenti posteritati quasi eruditionis thesauri ita videntur, ut nec quidquam fere sit, quod discere volueritis, quod illi docere non potuissent. Ad virtutes vero maximorum illorum Virorum si admirationis pleni, nos convertamus, eosdem normam

qua-

quasi atque regulam constituamus, necesse est, ad quam perfecti ICti magnitudo exigatur.

Praeclarum igitur omnibus est habendum summi cuiusdam in arte nostra Antistitis testimonium, quo tunc demum beatam fore Iurisprudentiam declarat, quum ICti veterum exemplo, philosophari perrexerint, et Themidi dicata iuventus ad hos limpidissimos sapientiae fontes mature fuerit adducta.

Atque illa quidem, A. A. de qua dixi, omnium literarum humaniorum et philosophiae cum iurisprudentia coniunctio, tanta profecto est, ut altera haud facile sine altera consistere possit.

Inter varias autem doctrinas, quasdam esse, quarum tanta cum aliqua iurisprudentiae parte intercedat coniunctio, ut illas qui negligat, hanc recte exercere nequeat, ipsi, etiam me non monente, facile assequimini.

Vobis, A. A. H. H. huius necessitudinis specimen, iis, ut opinor, qui vel ad legislatoris, vel iudicis vel etiam caussarum patroni dignitatem, aliquando sustinendam se accingunt, non prorsus inutile, in medium proferre, animo

con-

constitueram. Dicam igitur *de humanae indolis cognitione, legum de criminibus et condendarum et exsequendarum subsidio.*

Facile perspicitis, A. A. in tam amplo dicendi argumento, pro temporis locique ratione, non nisi lumina aliquot posse ostendi, quibus tamen adhibitis cetera omnia magis perspicua, ut spero, Vobis apparebunt.

Veniam autem gratiamque vestram A. A. existimationi meae enixe rogo, si quid de gravissimo, quod mihi videtur, argumento parum composite, aut minus eleganter a me dicatur. Nec enim mihi velim obiiciantur verba, quibus Aulum Albinum, virum literatum et disertum, qui res Romanas Graecis literis complexus est, reprehendisse Marcus Cato fertur. „Nae tu, inquit, Aule nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare; nam petere veniam solemus, aut quum imprudentes erravimus, aut quum compulsi peccavimus. Te, inquit, oro, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur"?

Cuius sane reprehensionis notam vel ipse iure

subi-

subirem, si quidem hanc pro concione, in doctissimorum Virorum concessu verba faciendi occasionem cupidius expetivissem. Etiamsi sic turpis arrogantiae suspicione fortassis carerem; temeritatis tamen vix absolvi possem; quippe qui nulla limatae orationis facultate praeditus in dicendi exercitatione me parum versatum profiteri debeam. Maiorum mori obsecutus, non gloriae reportandae spe stimulatus, in hunc suggestum adscendi. Quo magis vero absterrear, faciunt plurimorum Virorum, eruditionis laude cumulatissimorum, quorum nominis fama literarum orbem laeta pervagatur, praesentia, et exigua, vel potius nulla, quae est in me dicendi vis et copia. Augetur vero mentis trepidatio, cum intelligam, unius horae momento in periculum deduci, non huius modo orationis eventum, sed etiam omnes fructus existimationis, quam mihi qualicunque industria ab aliquo tempore fortassis comparaverim.

Sed quid ago? Quid molior? Iacta alea, fero damnem consilium quod mutare non possim, et si possim, nolim.

Vestram certe A. A. humanitatem et benevolen-

lentiam cum reputo, est, quo me consoler atque confirmem. Favete igitur animis, et mihi, dum quae meditatus sum, in medium adfero; verba facienti, aures benevolas praebetote.

Quis vestrum est, A. A. H. H. qui legislatorem in difficillima et gravissima legum ferendarum parte, unde interna civitatis tranquillitas, bona civium, fama, libertas et vita maxime pendeant, officio unquam satisfacturum putet, qui indolis humanae cognitionis plane sit expers? Hoc enim qui affirmet, legislatori fontem praecludere videtur, unde humanarum actionum, quas, vel praemiis propositis, vel poenis constitutis, ad legum suarum praescriptum componere et dirigere velit, iusta aestimatio unice sit repetenda.

Quod si porro eam praesertim legum de criminibus naturam eumque scopum esse consideremus, ut stimuli naturales, quibus ad scelera proclives sunt homines, contrariis et fortioribus propositis, et in animum quasi ingestis

prae-

praesidiis, quae poenas vocamus, quantum quidem hominum audacia et malities id sinunt, frangantur atque retundantur — si igitur hoc legislatoris circa delicta munus esse consideremus, ut malo, commodo quod e delicto exspectari possit, graviori in legum violatores constituto, in eorum animos quasi vim exerceat, qua civium mentes a maleficiis et criminibus retineantur; hoc concedamus, necesse est: sicut sine humanae indolis pervestigatione atque cognitione ad leges de criminibus et poenis recte constituendas ineptus est legislator, ita contra ipsi iustitiae tuendae provinciam optime esse delatam, si humani ingenii studium inter praestantissima iuris criminalis colendi et constituendi subsidia habeat exerceatque. Mentis enim humanae studium inter praecipua, quibus Princeps in legibus de criminibus recte sanciundis inprimis sustinetur adminicula, quis non referat, qui secum perpendat, ob neglectum praesertim humani animi studium tristissimam diu fuisse iurisprudentiae criminalis conditionem, et absurdam prope criminum inquirendorum et vindicandorum rationem. Mox vero hanc miserri-

mam

nam legum conditionem laetiora exceperunt tempora, ubi nostra iurisprudentia a sordibus vitiisque, quibus propter summam humani animi ignorantiam infecta erat, purgata et ad humanitatis rationem magis est redacta. Gravissimi quippe, qui fuerunt in delictorum atque poenarum doctrina errores, falsis admodum de hominum animo notionibus nituntur, adeo quidem, ut nonnulli Viri, et ingenii acumine et eruditionis fama praeclari, meliorem, qua hodie laeta floret, iurisprudentiae criminalis conditionem, magna parte, diligentiori et accuratiori humanae indolis studio, a legislatoribus et ICtis diu neglecto, merito tribuendam arbitrentur.

Hanc autem doctissimorum Virorum animadversionem ipsa experientia inniti et confirmari, superiorum temporum instituta, cum nostris comparata, sponte probare videntur. Verum enim vero accuratior humani animi pervestigatio atque cognitio legislatores tantum abesse docuit, ut poenarum asperitas atque crudelitas idoneum sit criminum cohibendorum remedium, ut nimia potius poenarum acerbitas gra-

vio-

viorum criminum numerum auget. Sic enim cum civium animi ipsa hac acerbitate efferantur et corrumpuntur, tum ob leviora etiam delicta gravem poenam sibi instare cum norint scelesti, adsuescunt mortis etiam periculum contemnere, utque delicti cuiusdam fructu potiantur, praesentibus vitae periculis sese obiiciunt.

Hunc tandem asperarum poenarum, quibus irasci magis, quam cavere Princeps videtur, effectum esse, humani animi cognitio nos docet, ut, cum iustam apud omnes indignationem excitent, atque in legislatorem et iudicem odium, impunitatem etiam promoveant, novumque, haud parvum, ad publicam securitatem et tranquillitatem turbandam momentum adferant.

Hanc, inquit Tullius, crudelitatem tollite ex civitate, Iudices, hanc pati nolite diutius in hac Republica versari, quae non modo id habet in se mali, quod tot cives atrocissime sustulit, verum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam, consuetudine malorum. Nam, cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiam qui natura mitissimi su-

sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Huic igitur humani animi cognitioni, illi praesertim, quae experientia nititur, unice tribuendum videtur, ut Principes atque Legislatores sibi tandem persuasum habuerint, ex crebris saeviorum cruciatuum spectaculis, immitui apud cives morum mansuetudinem saeviusque fieri ingenium?

His itaque similibusque de poenarum in hominum animos vi et efficacia animadversionibus, quas accuratiori humanae mentis cognitioni debemus, effectum inprimis est, ut crudelissima tormentorum et cruciatus genera, tutus magis, humanior atque iustior reos et crimina investigandi modus, summo cum hominum et rerumpublicarum commodo, exceperit; effectum etiam est, ut longa illa dirarum et poenarum series, quibus etiam crudelitate ingeniosos se esse homines aliquando probarunt, valde sit imminuta. Abrogatis igitur poenis, quarum sola appellatione animus terretur, poenis, non quidem severis, verum certis delicta esse coërcenda, plerique Legislatores tandem agnoverunt.

Quam-

Quamvis vero restitutae humanitati nimiam poenarum crudelitatem a Principibus mitigatam referamus acceptam, haud facile tamen quisquam, nisi rerum humanarum rudis, negaverit, humanae indolis pervestigationem et cognitionem in poenarum numero, genere ac modo, ad scopum, poenis propositum, optime moderando, atque ergastulorum ratione ita emendanda, ut, cum reorum mores, quantum hoc instituto humano effici possit, corrigantur, civitatis simul tranquillitati atque felicitati optime prospiciatur, legislatoribus facem praetulisse.

Itaque nobis gratulemur, A. A. quotquot vero humanitatis sensu sumus imbuti, nobis inquam gratulemur, quod iis vivamus temporibus, quibus, novis legum crimina cohibentium codicibus componendis, pleraeque gentes, eo effectu, operam navarunt, aut etiam nunc navant, ut, proscripta superioris temporis crudelitate, eiusmodi de criminibus legibus merito glorientur, quae nullo, aut certe minimo innocentium periculo, haud gravius plerumque sontibus malum impertiunt, quam iustitia cum humanitate postulat. Quidquid igitur de hominum at-

que gentium ad veram humanitatem et morum cultum progresfibus inter eruditos disputetur, crefcentem profecto humanitatem in emendata legum forma omnes perfpiciant atque agnofcant, necesfe est.

Sed ne nimia, quae nonnullis placet, animi debilitate, mulierculis illa magis, quam viris conveniente, ad folam legum et poenarum lenitatem et mitigationem, humanae indolis peritiam adhibendam esfe, praecipere videamur; eadem quoque humanae indolis pervestigatio et cognitio Legislatori utilisfima et necesfaria est iudicanda, ne in vera criminum aeftimatione ita quidem decipiatur, ut nimiam excufationem admittens, malam quafi contagionem, ipfasque peccandi illecebras inducat, conftituat, promoveat. Quam diverfae enim, ut exemplo utar, quam diverfae funt de matre, quae prolem recens natam interfecerit, ICtorum et philofophorum fententiae? Tantum profecto hic disfenfum deprehendimus, ut nonnulli poenas hic valde mitigandas, imo profcribendas, alii vero exasperandas ftatuant.

Neque mirum illud nobis videbitur, A. A. fi ani-

animo reputaverimus, quanta ab altera parte vis sit naturae, qua ab impio illo facinore perpetrando matres avocantur, quamque ab altera parte vehemens sit, quo ad id mater adducitur, pudoris stimulus futurarumque miseriarum metus. Quis enim, hic mitigationem aut excusationem urgens, non facile aliquid attulerit, quo a poena, praesertim graviore, excusandae videbuntur infelices puellae, quae aetate et ingenio imbecillae, stimulorum omnium, qui hominibus natura inditi sunt vehementissimo, et innata libidine agitatae, aut auro saepius corruptae, blanditiis virorum succubuerunt, amorem et constantiam iurantium, quo citius eas fastidio habeant et deserant. — Iam inani spe deceptae, sibi relictae, multorum hominum, durorum inprimis, contemtui expositae, immo a parentibus et cognatis haud raro diris exsecratae, maiorisque futuri dedecoris cogitatione cruciatae, cum inter partus dolores desperatione vexentur, quid mirum, si teneri infantis, materni dedecoris testis atque aerumnosae vitae socii, fata properant.

Quamquam vero haec et cetera eiusmodi sunt,

ut, si concurrant atque probentur, iustam eamque gravissimam excusationis caussam contineant, cautos nihilominus legislatores atque iudices esse oportet, ne illis exclamationibus tantam habeant fidem, ut, falso sibi persuadentes, omnes matres, quae prolem recens natam interfecerunt, dolo vacare et malitia, tam gravi delicto nullam, aut eius atrocitati minus aptam poenam decernant: et Romanorum exemplo, matribus quasi ius tribuant, liberos recens natos, pro arbitrio tollendi, exponendi, necandi, sine ullo fere criminis vel poenae metu. Nisi enim tristes criminum annales id satis superque affirmarent, quis crederet, tantum saepenumero, in prole interficienda, matrum perspici malitiam, audaciam, crudelitatem, ut, si haec ab infensissimo hoste adversus hostem committatur, per se detestanda; a foemina admissa plane inaudita habeatur; a matre vero commissa in prolem, cuius aetas misericordiam, arctissima cum matre coniunctio tenerrimum amorem, innocentia tandem omnem favorem et defensionem postulant, immanis prorsus et pene incredilibis sit dicenda.

Quod-

Quodsi ab hoc facinore tanta, quantam dixi- mus, crudelitas absit, num dolo tamen atque malitia foeminam carere dicemus, quae iam gra- vida facta, ut vel forma servetur integra, vel turpe vitae genus continuare possit, vel aliqua molestia se solvat, foetum necare atque abige- re enixe tentat? Aut quae omni opera id agit; ut omnia, quibus malignum propositum, ad effectum perducatur, *summa* cum diligentia promoveat?

Insigni itaque humani animi cognitioni, quae experientia, ex criminum et facinorosorum ho- minum *historia petita*, *innititur*, tribuendum videtur, legislatores in legibus, quibus delicta vindicantur, constituendis illud observasse mo- deramen, quo tum inhumanam severitatem, tum etiam nimiam erga sontes benevolentiam et misericordiam, quae in insontes vera crude- litas esse solet, fugiendo, iusti in irrogandis, iusti quoque in remittendis poenis esse possint.

Quae hactenus, speciminis loco, adduximus, ut inde de humani animi pervestigatione et cognitione, gravissimo legum de criminibus recte scribendarum subsidio, constaret, multis in-

insuper animadversionibus ita augeri et probari posſunt, ut, ſi quis, his etiam expoſitis, de nostrae disputationis veritate dubitet, non videam, quid magis ad ei perſuadendum excogitari et adferri poſsit.

Neminem enim, qui de Legislatoris, ſcelera magis quam ſceleratos exſtirpandi munere, ſerio cogitaverit, eique adeo criminum fontes investigandos, investigatos vero praecludendos esſe, perſpexerit, de nostri argumenti veritate ullo modo posſe dubitare, certisſime confidimus. Cum enim criminum fontes ſint animi affectus, qui homines in quaevis facinora praecipites agunt, ira, cupiditas, libido, quarum illa ultionem, altera opes, haec voluptates deſiderat et requirit, Legislatoris profecto erit, bonis inſtitutis, quantum fieri posſit, efficere, ut immoderati animi effectus apud cives regantur; quod an ſine animi humani pervestigatione et cognitione fieri recte posſit, non est, quod inquiram.

Mecum, quaeſo, hic perpendite, A. A. an Legislator, ſine accurata animi humani cognitione, leges ſuas populi indoli ac moribus conve-

venienter accommodare poenasque definire possit? Num sine animi humani cognitione, ea, quae ad noxios effectus, qui e propria populorum indole oriuntur, evitandos, optime statuenda sint, clare perspiciat? Iam diu enim nos docuerunt Viri eruditi; quemadmodum singulos homines, ita et universos populos suam habere indolem diversam. Neque solum caussae physicae, veluti natura et vis coeli, locorum et soli ratio, maris affinitas, aquarum ubertas, sylvarum magnitudo, montium altitudo et similia; verum morales maxime caussae, veluti educatio, publici regiminis forma, leges et instituta civilia, efficere videntur, ut aliae ab aliis nationibus multum discrepent.

Quanta autem vis sit tribuenda caussis moralibus, illorum populorum exempla nos docent, quorum mores, et aliquoties et brevi aliquando intervallo, mutatos nobis refert historia. Sic Romanorum ante belli Punici secundi finem, quanta virtus, fortitudo, constantia in patria defendenda et tuendis legibus! Quantus patriae amor! Quanta etiam frugalitas, temperantia, modestia! At deleta, ex tua,

Mar-

Marce Cato! sententia, Carthagine, pro fortitudine mollities, luxuria; pro patriae amore partium studium; denique avaritia, rapina, caedes, pro frugalitate invaluerunt.

Caussas vero morales si cum physicis iunctas consideremus, latissimus patet dicendi campus. Dici enim potest de Piraei incolis, a reliquis civibus Athenarum maxime diversis — de nonnullis Graeciae gentibus nunc viventibus, cum iis collatis, quae olim immortale nomen apud Marathonem et Thermopylas illis dederunt — de Graecis, ceteros populos in servitutem sibi natura addictos putantibus, et Graecis, a barbaris gentibus servitute oppressis. Dici potest de incolis Aegypti, fertilitate ceteris regionibus praestantis, et Aegypti per infrequentiam hominum et pessumdatam industriam ardenti arena tectae. Dici potest de ignavia et mollitie populorum, qui summam hominis felicitatem in requie animi et corporis sitam esse affirmant. Dici denique potest de Punica fide, de Syris et Graecis Asiaticis, levissimis hominum generibus, de Sinensium, Hispanorum superbia, aliisque, bene multis.

Di-

Diverſae autem indolis rationem a Legislatore aeque habendam esſe, ac diverſae corporis temperationis, dubitare nemo potest, niſi qui, aut neget, ullam vim in poenis irrogandis tribuendam esſe corpori, quod vel robustum ſit ac doloris patiens, vel artubus mollioribus et delicata ſentiendi facultate praeditum: aut qui contendat, earumdem poenarum eandem vim esſe apud populum ſimplicem ſtupidum et inertem, cui ſatius ſit ſedere, quam currere; ſatius ſedere, quam ſtare; ſatius cubare, quam ſedere; ſatius dormire, quam vigilare; ſed mors prae omnibus exoptanda, quam apud populum industrium, fortem, bellicoſum et conſtantem.

Pro diverſa populorum indole alii in alia crimina procliviores esſe ſolent. Alios enim propter magnam ſentiendi vim impellunt ira et vindictae ſtudium. Hinc levisſimae etiam iniuriae, quae putantur, non niſi caede et ſanguine expiandae — frequentia veneficia et quaelibet atrocisſimae caedis genera. Aliorum populorum indoles ſibi admixtam habet ſuperbiam, quaevis ſibi in alios arrogantem. Alii porro ad amorem, libidinem et voluptatem inclinant, — frequen-

tia

tia hinc delicta, ex libidinis et voluptatis ſtudio oriunda, in quae, furiarum quaſi ſtimulis, gentes nonnullas agi, videmus. Qui denique fortes ſunt et industrii populi, ſimul ſolent esſe audaces, proclives ad rixas et turbas, pertinaces et aleae dediti.

Quis vero non perſpicit, aut contendenti non ultro concedit, poenas, ſecundum diverſam hanc populorum indolem, prudenter ita esſe moderandas, ut, cum alii populi per leges ſimplicisſimas et paucas, poenasque minus acerbas ſint regendi; apud alios contra maximus legum rigor adhiberi debeat ad crimina coërcenda? Magnam igitur Legislator curam et ſtudium ponat in hominis gentiumque indole penitus cognoſcenda, ita ſecum ſtatuens, humanae naturae cum phyſicae, tum moralis contemplationem, uberrimos in legem, poenas delictis conſtituentem, fructus esſe allaturam.

Nec vero ad ſolas leges, crimina vi atque dolore vindicantes, legislatori utilisſima est humanae indolis cognitio. Radices malorum detegendae ſunt et evellendae. Examinanda est morum perverſitas, fons omnium malorum, quae

quae in civitatem defluunt. Corrigenda est educatio, qua neglecta, nefcio an nunquam bene morati cives existere posfint.

Vos igitur, qui populorum rectores estis constituti, veram gentis vestramque felicitatem, non in fola divitiarum atque potentiae vi; fed in libertatis atque virtutis flore quaerite! Quae est divitiarum abundantia, quae est armorum fortitudo, quae corruptis civium moribus posfit refistere? Testes appello florentisfimas gentes. Apud eas interitus causfas fi fcrutati eritis, morum everfionem, aliis occafionem femper dedisfe experiemini, corruptam moribus gentem fibi fubiiciendi. Exftincta virtute, ipfa exftinguitur falus publica: et quemadmodum apud fingulos, vita fine moribus nulla est, fic Reipublicae vita folis virtutis alimentis alitur atque fustinetur.

Haec vero, multaque alia, quae quominus memorem, tempus prohibet, eiusmodi esfe videntur, ut, fi humani animi cognitionis face destitutus, operam fuam navet Legislator, aliter fieri profecto haud posfit, quin meris tenebris ac denfisfima caligine perpetuo prematur: et quid ad crimina vel praecavenda, vel com-

commissa recte punienda faciat, saepe non magis videat, quam si homini, oculis capto, colores dentur inspiciendi.

Vos vero ipsi A. A. H. H. mecum iam pridem perspicitis, mecum sentitis, quantam utilitatem, eadem, non immerito laudata, humanae indolis cognitio iis sit allatura, qui, ut gravissimo suo munere recte fungantur, delictorum naturam atque indolem indagantes, et eorum auctores inquirentes, ab innocentibus nocentes distinguunt divelluntque: his iustas infligunt poenas, illos, pro meritis, vinculis liberant. Iudices dico, qui nisi humanae indolis sint peritissimi, quantis vinculorum, quin mortis saepissime periculis premantur innocentes, utinam gentium historia nullis comprobasset exemplis.

Sed, ut ab iis initium faciam, quae propriae fere sunt Iudicis in quaestionibus partes, ipsa civium securitas omnino flagitat, ne lubricis incertisque criminum vestigiis decepti Iudices, innocentes criminis suspicione facile premant, esgastulo tradant, aut iniusta poena afficiant. Num vero nisi animi humani cognitione ducatur,

tur,

tur, legum vindex recte iudicare poterit, quae eorum vis sit factorum, quae vel ante, vel proxime post delictum, criminis suspectus reus fecerit, aut ad culpae vel innocentiae suspicionem augendam aut minuendam, aut etiam plane tollendam? Haud rara quippe sunt exempla, ubi omnia ita comparata videbantur indicia, ut quis criminis et suspectus et reus haberetur, quorum tamen indiciorum probandi vim plane fregit contrarium idque fortius indicium, quod iudici humani animi eiusque recessuum cognitio suppeditaverat. Huius vero rei, nescio, an praeclarius et magis eximium sit exemplum, quam quod memoriae prodidit Tullius. Cloelius quidam, cum coenatus cubitum in idem conclave cum duobus adolescentibus filiis isset, inventus est mane iugulatus: cum neque servus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret, id aetatis autem duo filii propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent: nomina filiorum de parricidio delata sunt. Quid postea? Erat sane suspiciosum. Neutrum sensisse? Ausum autem esse quemquam se in id conclave committere, eo

po-

potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire et defendere facile possent? Erat porro nemo, in quem ea suspicio conveniret. Tamen, cum planum Iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse, iudicio absoluti adolescentes, et suspicione liberati sunt. Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, cum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.

Sic humani animi peritus iudex insontibus opem tulit. Iudicatum est enim, rerum naturam non recipere, ut, occiso patre, supra vulnera et cruorem eius quietem quis capere possit.

Cum vero nihil sit, quo Iudicis prudentia magis elucescat, quam ut veritatem e facinorosis eruat, criminumque auctores convincat; quid in Iudice magis requirimus, quid maiori iure postulamus, quam ut animum huma-

num,

num, cuius alti solent esse recessus magnaeque latebrae, quantum fieri possit, penitus habeat perspectum? Et vero tantae utilitatis et necessitatis in hoc gravissimo Iudicis munere, est humani animi pervestigatio et cognitio, ut ad convincendos facinorosos homines perversam saepissime viam ineat huius cognitionis expers Iudex.

Quid enim in caussa esse potest, cur sceleris commissi reum se coram Iudice confiteatur fastidiosissimus homo? Huius confessionem vocemne dicemus animi, culpae sibi conscii, cuius morsus optime cum Furiis comparaveris, quae pertinacissimos etiam scelestos agitare, perterrere et ardentibus quasi taedis insequi solent? An vero hanc reorum confessionem Divini Numinis metu effectam putabimus, quo permoveantur scelesti, ut iustitiae legibus, poenam flagitantibus, satisfacientes, quae Civitati et ipsi humano generi damna attulerunt, quantum fieri possit, poenâ subeundâ resarciant?

Quamquam haec subinde in caussis esse posse non negamus, quibus scelesti homines, illi praesertim. qui magis animi affectu quam consulto et de-

deliberato animo deliquerunt, ad criminum confesſionem aliquando impelluntur, probabile tamen vix videtur, tantam apud omnes aut ſaltem pleroſque ſcelestos, eos maxime qui conſuetudine atque dolo in criminibus et caede diu verſati fuerunt, accuſantis animi vim esſe, ut, commisſi criminis reos ſe confitendo, gravisſima ſupplicia, durum etiam mortis genus ſubire ſponte velint.

Quod ſi verum est, non ſolum tanquam perſona, quae lege morali obſtringitur, a Iudice conſiderandus atque habendus ille est, qui criminis ſuſpicione premitur; ſed potius tanquam natura intelligens, quae cum legibus intelligentiae ſit adſtrictus, neque iis ſe ſolvere ullo modo posſit, causſarum et effectuum copulam etiam invitus, intelligentiae vi, agnoſcere cogitur. Id igitur agant Iudices, ut, vitatis interrogationibus et captionibus, quibus quaſi circumveniatur et in fraudem inducatur reus, ſumma cum diligentia in omnia criminum adiuncta, qua ratione et quo tempore maleficium ſit admisſum, ceteraſque res circumſtantes inquirant, eaque deinceps reo ita proponant, ut hic

ip-

ipse, tanquam criminis auctor, arctissimum inter se et criminis adiuncta nexum et cohaerentiam perspiciens, innata intelligentiae vi cedere cogatur veritati, cuius, cum ita apparuerit, ut, qui obloquatur, sanae mentis non sit habendus, tanta solet esse vis, ut in negando non amplius homines persistant. Haec igitur veritatis vis, cum tanta esse soleat, equidem non video, cur non, etiamsi quis in vita communi nullam vultui fidem habendam putet, cur non, inquam, in criminum inquisitione, judex reorum vultus, oculos, et corporis motus diligenter attendat. Quamquam enim certissima plerumque videntur argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, deinde uniuscuiusque confessio; multo tamen illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupescere solent veritate convicti rei, sic terram intueri, sic furtim nonnunquam inter se adspicere, ut non iam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi videantur.

Haec autem similesque animadversiones eiusmodi videntur, ut praeter animi constantiam et aequabilitatem, Iudici maxime sit commendandum rorum usu exercitatum mentis humanae studium.

 Qua-

Quapropter ſive interiorem requiri ſuperioris animadverſionis probationem, ſive ipſa hominis natura eam niti ſtatuamus, accuratam profecto humanae indolis cognitionem in Iudice merito postulamus, ſiquidem univerſo reorum examinandorum convincendorumque munere rite fungi velit. Prudentes igitur Iudices iam diu docuerunt humanae mentis indagatio et ſtudium, Iudicis officium vario modo peragi, tam in formandis ipſis quaestionibus, quam in reliqua iudiciorum forma, pro diverſitate tum animi, quo crimen fuit perpetratum, tum vero maxime rei, vel confitentis, vel negantis. Inde autem orta praecepta, ab eo qui humani animi cognitionis plane imperitus ſit, haud ſatis intelligi, ne dum recte ad uſum transferri poſſe, nemo ſane est, qui non mecum profiteatur.

Si tandem inter illa, quae in criminum cauſſis Iudicis officio continentur, gravisſimam partem esſe computamus, quae actionis admisſae indolem ex ipſius agentis animo investigari, legibusque convenientem ſententiam dici iubet, nullum dubium ſuperesſe videtur, quin Iudex, qui ad criminum cauſſas cognoſcendas iudicandas-

dasque est constitutus, humanae indolis cognitione carere prorsus non possit: ita quidem, ut si hac face destitutum Iudicem cogitemus aut fingamus, is non multo plus sciat, quae ratio vel ad reos convincendos, vel ad criminis admissi indolem recte indagandam ipsi quaerenda sit, quam qua via devertendum sit, illi perspiciant, qui, cum nullum coeli lumen observent, in alto iter navibus quaerunt; unde incertis cursibus ipsos vagari, ultro sequitur.

Haec fuerunt A. A. quae de legibus, crimina poenis cohibentibus, et condendis et exsequendis nostram subierint mentem. Uberior adhuc exstat seges, sed nobis ultra progredi non licet. Apparet ex eo, quod disputatum est, quo etiam scientiae genere et quo adminiculo is instructus esse debeat, cui officium, legibus scribendis, scelera cohibendi imponitur. Praeter humanae autem indolis scientiam, insuper totius philosophiae, inprimis moralis, studio magnos evitabit errores, in quos ille incidat necesse est, qui huius auxilio destituitur. Prae ceteris vero legis naturalis, aequitatis et politices doctrina Legislator, sit or-

natus, limitesque, quibus ius ab aequitate et arte politica fecernatur, me quidem iudice, probe sciat distinguere. Cognita et explorata ei sit gens cui praeest. Sit liber superstitione atque tyrannide; patriae amorem, splendidissimam Principis virtutem, existimet; leges denique non ad opprimendam, sed ad augendam et exornandam civium libertatem ferendas, esse, sibi persuadeat. Quibus instructus principiis, iurisprudentiae criminalis fundamentum in iustitiae amore et salute civium ponet, et si leges fulmine ad terrendos scelestos armandae sunt, invitus id faciet. Revocabit autem eas ad iuris naturalis et sanae rationis praecepta, et rigorem iuris, si fieri potest, aequitate et clementia temperabit.

Quae vero a perfectissimo legum opere exspectari poterit utilitas, nisi morum exempla illi robur addant? Felicissima est civitas, non quae optimis legibus, sed quae virtutis praeceptis regitur. Exulant ex eâ crimina, et tenera iam inventutis aetas amore honestatis atque patriae ducitur. Fugantur ex eâ dissidia, otium, voluptas, avaritia, immoderata ambitio,

ex

ex quibus omnia fere nascuntur vitia atque crimina. Labor et industria animos acuunt et divitias augent. Quisque bonus in ea non metuit poenam, sed contemtum eorum, qui virtutis laude eminent. Amor denique, divinum illud generis humani vinculum, in religionem, in Principem, in publicam salutem, ad summum prosperitatis et felicitatis fastigium eam tollit atque promovet.

Haec tua sit, carissima Patria, felicitas! Sis florentissima omnium, religionis, virtutis, sapientiae atque doctrinae gloria, civitas, eaque tibi iam *nominis immortalitas* parta sit, ut optimum Regem optimis civibus imperasse, grata fateatur posteritas!

Quod huic Academiae bonum, faustum felixque sit! Iurisprudentiam docendi munus publice suscipio, capesso.

Plures habeo, quae me, Iurisprudentiam in hac Academia docendi munus publice adeuntem, moveant atque perturbent, caussas.

Si-

Sive enim Amplissimorum Curatorum exspectationem considero, sive dignum me esse iudicatum reputo, qui successor daretur quondam in Gelrorum Academia Praeceptori, ICtorum gloriae, huius Academiae summo decori atque ornamento, Cornelio Guilielmo Rhoerio, Viro, eruditione, elegantia et perspicacissimo ingenio longe celeberrimo, munus, quod in me suscipio, ut est, ita videri debet gravissimum.

Intelligitis enim A. A. quam honorificum sit, a Viris probari amplissimis, nobilissimis, quibus Academiae cura ab augustissimo Rege est demandata, qui summis functi vel etiam nunc fungentes honoribus, sua in patriam et Academiam merita augere, indefesso labore pergunt.

Intelligitis etiam, quam ardua mihi res sit, recte tueri provinciam, quam summa cum laude per plures annos ornavit Rhoerius, cum ingenio, tum doctrinae copia longe superior.

Intelligitis denique, quam plena discriminis res sit, quantum opus, quantus labor, in id

vi-

vires intendere omnes, ne quid detrimenti ex mea institutione capiat haec nostra bonarum artium et literarum officina; quae paucis abhinc annis, cum per temporum, dicamne an hominum iniuriam? prope vacua esset, summo Regis augustissimi in literas favore, non solum veluti in integrum restituta, sed plurimis etiam aucta fuit emolumentis.

Cum vero iurisprudentiam in hac Academia docendi muneri, per Curatores, Viros amplissimos, commendatum me admovisset Regis auctoritas, assignatam mihi provinciam nolui detrectare: Licet mihi dubium fuerit, deberemne relinquere Urbem Groningam, serie temporum civiumque virtute claram et nobilem, cuius in florentissima Academia laborum socios habui Viros celeberrimos, omnis humanitatis, benevolentiae et amicitiae officiis de me meritissimos; discipulos etiam optimos, meique amantissimos, quorum recordatio mihi semper erit suavissima; id tamen ne in dubium diu vocarem, invitantibus licet, ne Traiecto Groningam mutarem, Academiae publicae, quae Groningae est, Curatoribus, Viris, virtute, doctri-

na

ria et rerum usu instructissimis, non una me impulit ratio, coeli maxime solique huius, Gelriae, Patriae mihi carissimae, vicini, natura, amoenitas, elegantia.

Vos vero, Viri amplissimi, nobilissimi, Academiae Curatores vigilantissimi, Vos hic appellare liceat, qui vestra Regi augustissimo commendatione, satis probastis, quam benigne de me sentiatis. Non infima sane laus est, probari iudicio Virorum, qui ipsi tam multis hominibus merito laudantur, maximisque virtutibus et honoribus admodum sunt praestabiles.

Pro tanta autem in me benevolentia gratum animum nunc publice Vobis profiteor, quem ut erga Vos habere pergam, merito pro ea, quae vestra est Academiae cura, meam sive industriam, sive diligentiam a Vobis requiri intelligo. Id igitur Vobis persuasum habeatis, Viri amplissimi, me semper vestris pro Academiae salute votis et desideriis, quantum in me est, obtemperaturum, et quod ingenio aut doctrinae desit, illud in studiosae Iuventutis commodum industria et diligentia suppleturum. Ea certe persuasio mihi semper erit: publice priva-

tim-

timque Iuventutis Academicae institutioni pro viribus prodesse voluisse, ipso etiam conatu esse gloriosum.

Vos autem, Viri amplissimi, pergite, ut facitis, res nostras tueri; pergite Academiam, quoquo modo possitis, augere, et vero totam vestra amplecti cura. Pro vestra autem salute, pro Academiae commodis sanctissima vota suscipio.

Vobis autem, Viri Clarissimi, Collegae coniunctissimi, haud parum me fateor debere pro vestro in me studio, pro humanitate et benevolentia. Has enim me iam a primo inde tempore, quo vestrae societatis sodalis fuerim admissus, me expertum fuisse, gratissimo testor animo.

Neque sane opus videtur, ut enixe a Vobis petam et flagitem, ut vestra benevolentia me prosequi pergatis. Summo enim pretio apud Vos sunt Academiae commoda, quae mutua et sincera docentium benevolentia plurimum adiuvantur. Collegam me habebitis ab omni fuco alienum, vestrae amicitiae studiosissimum.

Ita Deus optimus maximus communibus nostris

ctis pro Academiae salute consiliis atque votis annuat; largiatur uberrimos laborum nostrorum in iis fructus, qui curae nostrae se tradere volunt et institutioni. Vobis autem vestrisque fausta precor omnia!

Vos iam compello, Iuvenes Academici, Vos praesertim, qui susceptae a me provinciae partem vestro iure Vobis vindicatis.

Audivistis modo, non levi opera ad boni, ad perfecti Iurisconsulti famam perveniri. Pluribus doctrinis ICtum instructum, ornatum esse, oportet; quibus civium civitatisque saluti consulat.

Nisi vero boni mores et legum reverentia, nisi modestia et humanitas, nisi virtutis amor et studium partas exornent doctrinae copias, vana est, quae ab altissima etiam eruditione et excultissimo ingenio petitur, gloria. Nec mirum poterit videri, si sine honestatis et decori studio, ea ipsa doctrinae ornamenta tandem aliquando in civium non salutem, sed perniciem, in civitatis non commodum, sed detrimentum, in Patriae non adiumentum, sed ruinam, sed interitum vertantur. In Vobis parentum,

tum, patriae et maxima etiam posterorum spes est posita. Agite ergo, Iuvenes praestantissimi, pergite quietem honestam et literarum otium fovere. Arctissimum esse connubium inter verum honorem et diligentiam cum virtute coniunctam, intima Vobis sit persuasio. Vitam igitur moresque ita componite, atque ita facite, ut Vobis bonorum omnium amorem concilietis. Hunc autem amorem et augustissimi Regis favorem procul dubio estis consecuturi, si quae facta laedant pietatem, existimationem aut verecundiam vestram, ea a Vobis fieri non posse, perpetuo existimaveritis.

Ita Dei optimi maximi numine floreat haec Academia, atque in dies nova capiat incrementa!

D I X I.

NICOLAI CORNELII DE FREMERY

ORATIO,

DE

CHEMIA ET ARTE PHARMACEUTICA
AD MAIOREM PERFECTIONEM IN
BELGIO EVEHENDIS,

PUBLICE DICTA

DIE XXVI MARTII ANN. MDCCCXXII,

QUUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS
SOLENNI RITU DEPONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES FIDELISSIMI, VIRI GRAVISSIMI!

DOCTRINARUM PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

QUI IN REGNO BELGICO, IN HAC REGIONE, AUT HAC IN URBE, REBUS PUCLICIS ADMINISTRANDIS, IUSTITIAEVE VINDICANDAE PRAEESTIS, VIRI SPECTATISSIMI!

LINGUARUM, CUM ANTIQUARUM, TUM RECENTIORUM, LECTORES PERITISSIMI!

Divinorum oraculorum Interpretes et Praecones doctissimi, reverendi!

Artium Doctrinarumque Doctores, consultissimi, expertissimi, acutissimi!

Cives et Hospites omnis ordinis, loci ac dignitatis, acceptissimi!

Vos etiam Cives academici carissimi, spes parentum, patriae, humanitatis!

Inter omnis illas disciplinas, quae ad Naturae contemplationem pertinent, nulla sane est, quae tantum usu quotidiano sese commendat, quantum doctrina de interna corporum compositione et mutua illorum in se invicem actione, quam *Chemiam* dicere solemus. Comprehendit enim illius ambitus omnes, quotquot sunt, res naturales, quae in usum societatis humanae quotidie adhibentur, et sine quibus cultus ille, qualem hodie optamus, ne cogitari quidem potest. Quaecunque enim res hominibus ad omnem omnino vitae usum inserviunt, quae ad cibum potumque adhibentur quotidianum; quae ad amictum, quo atmosphaerae iniuriae a nostro

tro corpore arceantur, pertinent; quae ad omnis generis aedificia construenda inserviunt; quae ad nulla non vasa, quibus carere plane non possumus, conficienda adhibentur; quae ad arma paranda usurpantur, quibus aut singuli homines se contra adversariorum impetum tuentur, aut quibus universa societas hostium invasionem repellit; quaecunque praeterea ad artem referuntur typographicam, cuius ope hominum cogitata servari, cum aliis communicari et ad posteros transmitti possint; — haec omnia et plura etiam alia, ut, quoad eius fieri potest, perfecta sint, atque ad suos singula usus adaptata, Chemiae ope e bruta, quam Natura largitur, materia elici, praeparari et ad multiplicem, cui destinantur, usum apta reddi debent.

Quae cum ita sint, A. A., vestrum nemo mirabitur, disciplinam, cuius adeo late patet usus, diligenter ab omnibus gentibus coli, coli vero eo quidem diligentius, quo singulae gentes ad maiorem civilis societatis perfectionem pervenerint. Et sane si in cultissimas gentes oculos coniiciamus, reperiemus in singulis non tantum unum alterumve virum, Chemiae cogni-

gnitione et usu clarissimum, in Franco-Gallorum gente Vauquelinum, Thénardum, Gay-Lussacium; in Anglorum Davyum; Wollastonum, Thomsonum; in Germanorum Trommsdorffium, Lampadium, Stromeyerum; in Suecorum Berzelium; in aliis gentibus alios; verum plurimos praeterea eximios, in quibusvis fere locis, viros, qui artis Chemicae praecepta intelligunt non tantum perfecte, sed ea quoque ad augenda societatis commoda, indefesso labore adhibent.

Estne iam eadem huius, tam utilis, tam late patentis disciplinae in Belgio nostro laeta conditio? Fallerem vos A. A. si ad hanc quaestionem affirmando esse respondendum indicarem. Habuit Belgium nostrum, de cuius borealibus imprimis Provinciis loquor, habuit Belgium Boerhavium suum, habuit Gaubium, Voltelenum, Nahusium, Nieuwlandum; habet etiamnum Driessenum, van Marum, Stiprianum patrem, habet Reinwardtum, aliosque egregios viros, Chemiae et cognitione et usu claros; nec tamen, qui eam colunt, et suis labori-

ribus augere conantur, magno sunt numero, nec omnibus in locis inveniuntur, nec sane talia apud nostrates cepit incrementa Chemia, nec, cum illa tam arcto vinculo nexa, ars Pharmaceutica, qualia quisque, cui non tantum utilissimae artis augmentum, sed Patriae etiam decus et gloria curae cordique sunt, optaret quammaxime.

Quae cum ita sint, A. A., a me, qui utramque disciplinam per quinque iam lustra pro viribus docui, non alienum esse censebitis, si solenni hac hora breviter dicam: *de Chemia et arte Pharmaceutica ad maiorem perfectionem in Belgio evehendis.* In quo gravi argumento exponendo, ut, ad ipsius dignitatem attendentes, oratorem, in hoc dicendi genere non exercitatum, benignis auribus excipiatis; enixe rogo.

Quod si igitur verum sit, utramque hanc disciplinam in Belgio nostro non ita ubique coli, quemadmodum in aliis regionibus coli hodie fere solet, inquirendum erit primum, quae demum caussae huius negligentiae adsint, ut deinde indicari possint remedia, quibus malum,

Pa-

Patriae admodum nocivum, corrigi et emendari queat.

Chemia et ars Pharmaceutica disciplinae sunt in observatione et experimento fundamentum habentes, quae igitur, ut ad civium notitiam perveniant, ore non tantum sunt docendae, sed et experimentis illustrandae. Illud vero in Belgio nostro unice fere in Academiis fit; fiebat praeterea, ante novam Academiae legem, ab Augustissimo Rege latam, tantum Medicorum in usum; quae institutio illud habebat incommodi, ut disciplinae, quae ad omnes vere cultos homines hodie pertinent, ad paucos tantum Medicinae studiosos pervenirent, utque praeterea illa capita, quae non continuo ad illustrandam Medicinam pertineant, negligerentur prorsus, aut levissime tantum tractarentur, quum tamen illorum usus in emendandis artibus summus sit et quotidianus.

Augebatur vero hoc incommodum, quoniam Chemica disciplina, secundum institutionem Academiarum nostrarum, non nisi Latino sermone, solis fere eruditis usurpato, tradi solebat. Atque haec item res duplici vitio labo-

rat.

rat. Primum huiusmodi est, ut doctrinae elementa pervenire non posſint ad numeroſisſimam illam civium claſſem, qui artes tractant, ad quas quotidiana fieri debet Chemiae noſtrae adplicatio. Alterum, ut docentibus pariter atque diſcentibus magna oriatur difficultas, qua illi coguntur notiones, res, inſtrumenta, antiquis plane incognita, recentioribus tantum linguis ſignificata, verbis exprimere barbaris et difficulter intelligendis, ita quidem, ut, qui Chemiam diſcere incipiunt, non tantum rei ipſius difficultatem, ſed et linguae, qua non niſi imperfecte tradi poteſt, moleſtiam, vincere cogantur.

Tandem quinam demum erant doctores ipſi, quibus Chemiam docendi dabatur provincia? Medici nimirum, quorum erat ſimul, medicas diſciplinas varias diſcipulos ſuos docere. Atque hi frequenter, medicas illas diſciplinas tanquam principem ſui muneris partem habentes, Chemiam non niſi ſecundario aliquo loco ponere ſolebant, neque ſe huic ita totos tradere poterant, quemadmodum illud Ars, non niſi aſſiduo labore perficienda, neceſſario poſtulat. Sunt enim rari, atque rari manebunt, illi homi-

mines, quorum ingenium, quemadmodum summi illud nostri Boerhavii et medicas disciplinas omnes, et Chemiam ipsam, pari cum successu, possit tractare.

Chemia deinde, fundamentum solidum in observatione tantum atque in experimentis habens, ab illis, qui ipsi manum operi non admovent, aut non bene addiscitur, aut certe oblivioni iterum datur, simulatque, relicto laboratorio, ad alias disciplinas addiscendas pergant alumni. Neque tamen a Medicinae studiosis omnibus, vastum huius Artis campum qui percurrere necessario debent, postulari poterit, ut tempus, ad experimenta Chemica recte instituenda necessarium, illis revera tribuant, et aliis studiis quasi detrahant. Quum vero non alii, nisi hi, Chemicorum scholas adire soleant, mirum sane nemini videri potest, tam paucos apud nostrates reperiri viros, practico Chemiae usu bene instructos. Accedit et illud incommodum, quod homines illi, qui, Chemicas artes in vitae usum adhibentes, experimenta quidem Chemica maiora quotidie instituunt, Theoriam vero omnem et penitus fere ignorent, et a parentibus traditam viam solam sequentes

om-

atque emolumentum, quod ex bene cognita Chemiae doctrina habere possent, negligant non tantum semper, sed et despiciant aliquando.

Tandem in praecipuis recentioris Chemiae praesidiis collocanda certe est corporum omnium, organicorum pariter atque inorganicorum, Analysis, quam plenam instituere hodierna Artis perfectio et permittit et iubet. Hac sane efficitur, ut qualis ex singulis his principiis haberi possit usus, ad societatis emolumentum faciens, dilucide statim perspiciatur. Haec vero Analysis, quae non igne corporum elementa turbat, et mutata penitus, aliisve modis denuo coniuncta, producit; sed, mitioribus utens auxiliis, illa, qualia in ipso corpore adsunt, elicit, parum hactenus nostros occupavit Chemicos: quod tamen, ut in posterum diligenter admodum fiat, maximopere est optandum. Hac enim Analysi demum accurate cognita haberi potest Patrii soli in variis locis varia conditio et ad hanc illamve culturae speciem apta natura. Haec unice docere poterit, qualis, in Patria reperiunda, terra ad vitrum parandum, ad vasa porcellanaea aut figulina coquenda, sit aptissima. Huius ope unice recte indicari pote-

rit,

rit, quomodo metallorum minerae, in borealibus nostris Provinciis rarius quidem obviae, nec tamen penitus deficientes, in meridionalibus autem frequentissimae, summo cum emolumento metallurgica ratione tractari queant; ut innumeros alios huius Analyseos usus sicco quasi pede nunc transeam.

Quae hactenus dicta sunt, sufficienti, opinor, ratione declarabunt, quare, nostro in solo, Chemia hodie nondum tales fecerit progressus, quales, caeteris in regionibus cultis, nostro aevo, summo cum universae societatis emolumento, fuerunt facti. Eaedem illae causae effecerunt, ut et *Pharmaceuticae Artis*, nobilissimae illius, inter diversas Chemiae adplicatae partes, progressus fuerint lentiores. Accedunt tamen et aliae, nunc quoque breviter indicandae.

Et primum quidem defuit fere ubique et deest etiamnum Pharmaceutarum alumnis occasio, artem suam, congrua ratione, discendi. In unâ fere hac civitate, per hos viginti sex annos, primus ego hanc artem publice, vernaculo sermone, docui, et, post renatam Academiam,

am, quamvis illa institutio Academica lege non requireretur, docere non tantum perrexi, sed et, publico ut consulerem commodo, frequentius etiam docere institui. Pharmaceutarum alumni alibi fere soli relinquuntur illorum artis magistrorum institutioni, in quorum officinas, artem discendi gratiâ, sunt missi, qui vero Magistri, quum ipsi hanc artem congruo modo edocti non sint, illius principia cum alumnis communicare nullo modo possunt; quo fit, ut ad mechanicum tantum Artis exercitium admoveantur discipuli, contenti, si ex compendio quodam Pharmaceutico tantum de artis principiis memoriae imprimant, ut leviusculo dein examine probari et ipsi ad artis exercitium admitti possint.

Quominus vero in nostra Patria Pharmaceutae vere eruditi informari possint, vetat et alia, eaque gravior fere caussa, in ipsis alumnis quaerenda. Haud infrequenter enim hi iuvenes sunt, pueri aliquando, ex inferiori fere societatis classe petiti, quorumque institutio, propter parentum inopiam adeo fuit neglecta, ut, praeter vernaculam linguam, quam sine vitiis scribere saepius quoque non possunt, penitus destitu-

tuantur omni illi linguae Latinae, linguarum recentiorum, Matheseos, Physices, Botanices et Chemiae cognitione, sine qua eruditus, et ad Artem suam augendam aptus Pharmaceuta ne cogitari quidem potest.

Duabus autem his caussis, quae incrementum Artis Pharmaceuticae, apud nos, retardare necessario debent, tertia accedit, eaque gravissima, in nimio posita Pharmaceutarum numero, omnibus in locis obvio. Ita quidem hic, nostris diebus, fuit auctus, ut censeres fere, quotidianum medicamentorum usum hominibus, cibi potusque instar, esse necessarium. Ex numero autem hoc Pharmaceutarum ita praeter modum aucto, necessario sequitur, paucos tantum in Artis suae exercitio praesidia bene vivendi posse invenire. Quae res, quum, experientia teste, ita sese revera habeat, et quum vivendum tamen sit, primum hinc oritur periculum, ne ab honesto Artis exercitio secedant et confugiant ad diversa artificia, quibus homines a collegarum officinis ad suas attrahant, quae viris artem liberalem exercentibus penitus sunt indignae, quaeque cordatus quisque in horrore habet. Deinde vero optima

cu-

cuiusvis generis medicamenta sibi comparare quum, penuriae caussa, non possint, viliora emunt et vulgo, quod de illorum dotibus iudicare penitus non potest, divendunt. Praeterea instrumenta, in Laboratorio Pharmaceutico necessaria, quum nimio constent pretio, et ipsi, non satis quippe docti, illa recte adhibere nesciant, praeparata omnia, a Seplasiariis et Chemicis, qui dicuntur, emunt, atque ita non tantum in nobilissima sua arte nihil proficiunt, sed maximum incurrunt periculum, ne, medicamentorum loco, aliquando vera venena, horum adulteratione producta, hominibus distribuant. Quibus omnibus incommodis et illud denique accedit, ut aliorum negotiorum gestionem cum artis Pharmaceuticae exercitio coniungentes, nihil temporis ad colendam et perficiendam suam Artem impendere possint et in eadem tenui doctrina, quam initio sibi comparare debuerant, ad ultimum usque vitae terminum subsistant.

Hactenus igitur, A. A., caussas exponere fui conatus, quarum vi efficitur, ut Chemica et Pharmaceutica doctrina apud nos non ad illam perfectionem pervenerint, ad quam pervenire,

his-

hisce temporibus; revera et posſent et deberent. Videamus num his cauſis congrua remedia opponi, adeoque malum illud aut penitus tolli, aut emendari ſaltem posſit.

Et primum quidem intelligitis facile, Chemiae inſtitutionem, ſi cum omnibus civibus ſit, communicanda, qui in ſuis officinis illius praeceptis quotidie indigent, non ad ſolas Academias esſe restringendam; ſed oportere, ut in omnium provinciarum urbibus, ſaltem maioribus, illius addiscendae ſufficiens detur occaſio. Laboratoria igitur Chemica in urbibus illis, auctoritate publica, ſunt inſtruenda, in quibus Chemiam publice, vernaculo ſermone, doceant homines, theoreticam non tantum eius partem bene docti, ſed et practico uſu ſufficienter inſtructi. Quod ſi quis forte quaeſiverit, quales illi demum futuri ſint homines, qui ita, variis in locis, Chemiam ſint tradituri? reſpondeo illos quaeri debere in veris et germanis *Pharmaceuticae artis Doctoribus atque magistris*, non rudibus illis, indoctis et illiteratis, quales antea ſignificavi, quorumque exempla ubique occurrunt, ſed in Pharmaceutis, ſi non claſſica eruditione praeditis, tamen, praeter ſufficientem

lin

linguae latinae usum, omni illo eruditionis apparatu instructis, quem ad liberale huius artis exercitium requiri antea vidimus, quali Baumêus, Cadeti, Scheelius, Westrumbius, Klaprothus, Bucholzius, Kasteleinius, Laurenbergius, aliique permulti erant instructi, et inter nostrates plures revera adhuc sunt. Tales igitur Viri, quotidiano praxeos Chemicae usu exercitati, si ad docendam utilissimam disciplinam adhibeantur, fieri vix poterit, quin ex illorum institutione, experimentis illustrata, maximum fructum illi capiant, qui suos in usus eius praeceptis indigent.

In omni vero hac institutione constituenda, diligentissime ad illud erit adtendendum, ut imprimis Chemiae, ad artes oeconomicae adplicatae, usus doceatur, quod quantopere sit necessarium ante complures annos recte perspexerunt amplissimi Viri, qui Physices et Chemiae Oeconomicae scholas, variis in Patriae locis constituere sategerunt, per temporum autem iniquitatem, in saluberrimo opere exequendo fuerunt impediti: — perspexerunt etiam egregii Viri, qui legem nostram Acade-

micam, iubente optimo Rege, instruxerunt, qua nimirum in scholis nostris Chemiam *adplicatam* imprimis esse docendam, et in illa explorandos esse iuvenum illorum progressus, qui Matheseos et Philosophiae Naturalis Doctoris honorem sibi comparare velint, prudentissime iubetur.

Illae vero scholae Chemicae si veram, quae requiritur, utilitatem sint habiturae, sollicite quoque erit curandum, ut illarum alumni ipsi manum operi admovere teneantur; ut ad experimenta omnia instituenda, ad analysin variorum corporum, secundum artis regulas, perficiendam, adducantur, ita ut practicum hunc Artis usum, in scholis comparatum, deinde in suas transferant officinas, atque ita productorum illorum innumerabilium, ad quae conficienda Chemiae auxilio opus est, indoles ita emendetur, ut cum similibus productis, ab exteris confectis, comparari non tantum possint, sed illa perfectione tandem et modico pretio superent, atque ita non tantum ipsis officinarum magistris, sed et integrae Patriae maximum oriatur emolumentum.

Et ad exoptatissimum illum finem conse-

quen-

quendum quantum valeant praemia, subinde artificibus, Chemicis quoque, qui optima in suo genere producta effecerunt, Regiâ munificentiâ exhibita, productorum illorum expositio, quae Gandavi praecedenti anno fuit celebrata, docuit abunde, et sequentes, ita enim speramus, magis magisque confirmabunt.

Quum vero de praemiis ad perficiendas Chemicas artes constituendis loquar, non possum non luculentissimis exemplis Vobis A. A. ob oculos ponere, quid ad hanc Chemiae cognitionem augendam et amplificandam; quid praesertim ad analyseos Chemicae usum extendendum, et iuvenes in *illa* exercendos, Academica praemia, tam sapienti consilio ab optimo Rege constituta, valeant. Docuit hoc sane Analysis plantarum binarum ab egregio Abr. Gerardo van Stipriaan Luiscius instituta, quae ante hos tres annos Leidae praemium tulit, docuerunt Analyses binorum productorum patrii soli, *Cespitum scilicet bituminosorum* ceu *Turfarum*, et *Vaccini Lactis*, quam utramque instituit et propter primam institutam praemium Groningae, anno praecedenti, reportavit; propter alteram in nostra

Academiae reportavit et modo accepturus est ornatisſimus noster civis Academicus Corn. Adr. Bergsma.

Quae hactenus diximus adminicula ad *Chemiam* amplificandam non tantum plurimum valebunt, ſed eadem quoque ad *Artem Pharmaceuticam* apud nos emendandam, egregii erunt uſus. Haec enim ſi pluribus in locis vernaculo ſermone doceatur; ſi praemia Pharmaceutarum alumnis, qui doctrinâ et moribus, prae condiscipulis, fuerint conſpicui, ſubinde distribuantur, fieri vix poterit, quin et illa utilisſima Ars ſenſim ſenſimque in nostra Regione emendationem et augmentum ſit expertura. Oportebit autem praeſertim, ut veri nominis Pharmaceutae non Medicorum habeantur famuli, ſed aequales; ut eodem honore habeantur, quo viros, in alio doctrinae genere claros, proſequi ſolemus. Oportebit, ut ab addiſcenda arte vere liberali et humano generi ſaluberrima arceantur pueri, nec admittantur ad eam, niſi iuvenes, ut Latinae, ſic recentiorum linguarum aliqua peritia praediti; Matheſeos non prorſus expertes. Oportebit, ut

ut iuvenibus his occasio detur, Chemiam non tantum et ipsius Artis Pharmaceuticae elementa accurate discendi, sed ut simul et Zoölogiae et Mineralogiae notionibus aliquot, imprimis vero Botanices cognitione, non empiricâ tantum, sed praesertim rationali, imbui possint. Oportebit denique, ut Pharmaceutarum, quibusvis in locis, numerus sensim imminuatur et ad iustam cum civium numero rationem reducatur. Neque hic forte quis regerat, Artis Pharmaceuticae, ut reliquarum Artium, exercitium liberum cuique esse debere, illamque libertatem civibus, fundamentali regni nostri lege, recte esse concessam. Fallitur etenim, qui tali ratiocinio utatur, egregie. Nam, ut Pharmaceutica ars, in libera etiam civitate, sine civium detrimento possit exerceri, necessaria quaedam est eruditio, necessaria experientia; utriusque item, ut specimina exhibeant, antequam ad artis suae exercitium admittantur futuri Pharmaceutae, leges prudenter iubent. Huic vero examini ut aptus sit Pharmaceuta, multa requiritur eruditio, non nisi labore assiduo et impensis magnis acquirenda. A futuro igitur Pharmaceuta quae talia, in civium uni-

ver-

verforum salutem, recte exigit lex, eadem illa et curare debet, ut, qui, bene eruditi, hanc artem recte exercent viri, honesta in illa vivendi praesidia invenire queant, quod profecto, nisi numerus illorum diminuatur, deinceps non amplius poterit fieri.

Ita vero, si, prudenter adhibitis, quae commendavi, remediis, ad maiorem perfectionem accedant et Chemia et ars Pharmaceutica, fieri non poterit, quin apud nos viri prodeant, qui utramque disciplinam ita colant, ut hinc non tantum et ipsis et civibus maximum oriatur emolumentum, sed etiam dilectissimae Patriae honos, bono cuique civi maxime optatus, augeatur et continua capiat incrimenta.

Academiae nostrae fata, quae hoc anno fuerunt, quum iam, secundum legis praescripta, sim enarraturus, gaudio equidem haud mediocri me affectum sentio, qui prosperitatis incrementa vera praedicare et possim et debeam, quamvis, quemadmodum in rebus humanis fere fieri solet, et adversa quaedam his fuerint intermixta.

Ete-

Etenim, quando in vestrum, Collegae coniunctissimi! ordinem oculos coniicio, vacuum observo locum Dithmari Huismanni, Viri Clar^i. Hic enim, postquam, in Academia et Harderovicensi et Leidensi, studiis, Theologicis non tantum, sed et Philosophicis sedulo operam navasset, et dein Christianam doctrinam variis in locis exposuisset, in hanc urbem, anno 1803 vocatus, ad sacrum ministerium, in Coetu Reformatae, quae dicitur, Ecclesiae obeundum, magno tum cum applausu hoc munus explevit; quo factum, ut proximo anno ad *Philosophiam moralem et Historiam Ecclesiasticam* docendam ab Academiae Curatoribus vocaretur, quas deinceps disciplinas, in nostra schola, per octodecim annos fuit professus, donec diro morbo afflictus, post graves et diuturnos corporis cruciatus, tandem ad beatorum sedes placide transiret.

Huismanni vero obitus quo minus Academiae nostrae noxius sit, et tu optime Schrödere, qui *moralem* disciplinam etiam, eleganter et perspicue, quemadmodum soles, docere iam feliciter coepisti, certissime curabis, et pa-

ter-

terna amplisſimorum Curatorum benevolentia, ulterius optime proſpiciet.

Iidem enim huic vestrae, Viri gravisſimi! curae debemus, quod locum Rhoerii olim nostri carisſimi (cuius laudes a Clar. meo in hoc magistratu Academico decesſore, iam egregie expoſitas, fuſius deinde elegantisſime celebravit Heusdius noster) vocante Rege optimo, a te iam feliciter teneri videmus Clar. van Enſchut! Te enim, qui quantum in Iuris doctrina exponenda valeas, non tantum in Academiis Harderovicena et Groningana, ſed in nostra nunc quoque iam abunde docuisti, et oratione, ſapienti pariter atque ſuavi, nuperrime confirmasti, Collegam nos operumque ſocium habere, vehementer gaudemus. In utilisſimo igitur opere Tu feliciter et diu, bono cum Deo, perge, in Patriae ſalutem, in Academiae honorem, in tui ipſius tuorumque felicitatem.

Eundem vero nostrum ordinem te ornantem dum laetus conſpicio, Clar. van Goudoever! non posſum non tibi, et Illustrium Curatorum, et Collegarum, tecum coniunctisſimorum, et civium academicorum nostrorum om-

omnium, et omnium denique, quotquot ſunt, quibus nostra ſalus curae cordique est, ſummas agere gratias, quod honorificam, tibi oblatam, in Leidenſi Academia docendi provinciam non accipiens, apud nos, nostris commodis inſervire benevole voluisti. Perge itaque Vir amiciſsime! nostrae ſcholae eruditione tua, et accurata et eleganti, diu prodeſſe, et in collegarum amicitia, in diſcipulorum amore bene merito, illam ſemper experiare tuorum factorum remunerationem, quam generoſo tuo animo in primis gratiſsimam fore, certo mihi perſuaſum habeo.

Clar. Royaards tandem, qui, pedum morbo impeditus, ſolemnem hunc diem nobiscum celebrare, nunc non potest, ut diu nobis ſanus vegetusque ſervetur, artificioſae ſimillimus imagini, quae iam ſenaculum nostrum ornat, ſincera vota facio!

Civium Academicorum numerus, hoc quidem anno, ita fuit auctus, ut talis augmenti exemplum in Annalibus nostris fere deſit. Omnes autem hi iuvenes egregii, in quibus ſalutis ſuae ſpem, ponit Patria dilectiſsima, ut non tantum diſcendi ardore et perſeverantiâ, ſed

mo-

morum quoque illa et humanitate et comitate, sine qua vix ullum est eruditioni pretium, se perpetuo sint commendaturi, speramus non tantum sed et certo auguramur. Quantum vero illi in omni fere disciplinarum genere profecerint, cum illi docebunt, qui hic adsunt, ut bene meritis mox ornentur laborum praemiis; tum docuerunt illi, qui similia, in aliis Belgii nostri Academiis reportaverunt; in Groningana quidem a Theologorum ordine Doesburghius, in Gandavensi a Literatorum ordine Voorduinius, docuerunt item duumviri eximii Richardus van Rees et Henricus Cocq, quorum alter in Leodiensi Academia *Mathesin*, alter, in Daventriensi Athenaeo, *Iuris disciplinam*, omnium applausu, tradit.

De *Bibliothecae Academicae* conditione cum praecedenti anno fusius relatum sit, paucis nunc monendum, accrevisse eam denuo, optimorum operum copiâ, eorum maxime, quae in quovis doctrinarum genere in primis desiderabantur. Quod, ut lubenter memoramus, ita grato animo subiicimus, muneribus eam auctam esse et locupletatam, cum splendido ex-

em-

emplo *Fragmentorum Dionysii Halicarnassensis*, ab *Angelo Maio* primum editorum, tum Coqueberti *illustratione Iconographica Insectorum, quae in Museis Parisiensibus servantur;* duobus praeterea Geographicis Gosselini operibus (1), quorum haec nobis donata sunt a Viro humanissimo Guilielmo Koopman, illud autem debemus Viri Illustris, et in paucis cultissimi, Antonii Reinhardii Falckii, cum in literas humaniores studio, tum in patriam civitatem caritati. Accessit his splendidum Sophoclis, ex editione Brunkii, exemplum, quod Heusdii nostri in Bibliothecam, quam, propter eximiam curam, suam dicere potest, favori, debemus. Nec vero reticenda collegarum meorum Paravii et Mollii, uti et Lectorum nostrorum Nyhoffii et Dornseiffeni munificentia, qui scriptis suis, hoc anno editis, et aliis item Bibliothecam nostram ornarunt (2).

In

(1) Gosselin, *Géographie des Grecs Analysée*, Paris 1790. 4to, et Gosselin, *Récherches sur la Géographie des Anciens*, Paris an VI. 2 Vol. 4to.

(2) Institutio Interpretis Veteris Testamenti, auctore I. H.

In Museo *Anatomico-Pathologico* Bleulandino non tantum omnia specimina integra sunt servata, verum etiam ipsis nova sunt addita, quorum nonnulla ad Physiologiam et Pathologiam, nonnulla etiam ad Anatomen comparatam et monstrorum historiam pertinent. Idem illud Museum a Clar. Heyligers pluribus et inter haec quibusdam, raritate conspicuis, speciminibus, ad Pathologiam pertinentibus, fuisse locupletatum grati agnoscimus.

Fuit hoc anno perfectum quoque *Nosocomium Academicum*. Alterum scilicet latus Nosocomii civilis occupant loca, in quibus Clinica Praxis Medica, Chirurgica et Obstetricia docentur. Optandum sane esset, ut haec loca et paulo magis spatiosa et aëri lucique magis pervia fuissent; ut locus in primis ille, quem

I. H. Parcau, Trai. ad Rhen. 1822. 8vo. *On the solar Eclipse which tock place on Sept. 7. 1820. by Prof.* Moll, London 1821. 4to. Grammatica Latina, cura G. Dornseiffen, 1821. 8vo. Nyhoffio, Viro Doct. debemus Auli Gellii noctes Atticas ed. Stephan. cum Annot. L. Carrionis, Paris. 1585. 8vo.

quem viri, internis morbis laborantes, tenent, non prorsus sub aedificii tegmine esset situs, adeoque ab aestatis ardore et hyemis frigore haud satis munitus; ut, qui balneis destinatus est locus, commode magis situs, aquam, non tantum liquidam, sed et vaporis aut stillicidii formâ, potuisset accipere. Has autem difficultates superabit Clarissimorum Collegarum, qui diversas Medicinae clinicae partes, hoc in loco, Auditoribus optimis et studiosissimis tradunt, in bene faciendo et iuvenum studia promovendo ardor indefessus.

Quemadmodum praecedentibus annis ita et hoc denuo *Instrumenta Physica* novis quamplurimis, ad recentiores in primis disciplinae huius partes illustrandas, pertinentibus, vigili cura Mollii nostri, sunt aucta. Illud autem augmentum, ut fieri potuerit, debetur in primis pluribus, in hac urbe, Viris, qui disciplinam utilissimam discendi cupidi, hyemali tempore, lectionibus, ad illam pertinentibus, intersunt, et suo aere haec instrumenta, ut comparari potuerint, faciunt, concedentes simul, ut eadem quoque in usus academicos adhibeantur non tantum, sed Academiae propria

tan-

tandem evadant. Vel sic tamen deficiunt, quemadmodum in aliis patriae Museis Physicis, ita et in nostro, quamplurima instrumenta, ad recentissimas quasdam disciplinae partes pertinentia: quo fit, ut illae nostratibus fere incognitae maneant et doctrinae progressus hac in parte multum retardentur. Ut igitur et Regia munificentia et civium nostrorum benevolentia huic defectui prospiciat, optamus non tantum, sed et ab optimo Rege, cui, quantum hae disciplinae ad commune Patriae bonum conferre possint et debeant, cognitum satis est atque perspectum, certo expectamus.

Observatorium Astronomicum eximia quoque accepit instrumenta, in quibus primum certe locum tenet *circulus repetitor*, adeo quidem perfectus, ut, Angliam, ubi confectus est, si excipiamus, nusquam tale instrumentum reperiatur, illudque ex unanimi consensu peritissimorum in observatione Astronomica virorum, nulli instrumento, a Ramsdenio aut Troughtono parato, cedat. Sunt praeter eximium hoc instrumentum alia quoque nova comparata, antiqua vero multum emendata atque perfecta, addito quoque omnibus apparatu, ad ho-

horizontem definiendum, ita quidem perfecto, quemadmodum illud hodierna artis conditio requirit. Tuborum vero astronomicorum uni micrometrum e crystallo montana, secundum Dollondi methodum recentiorem instructum (instrumentum antea tantum nomine nobis cognitum) fuit additum.

Laboratorium Chemicum hoc quidem anno, propter aeris impendendi tenuitatem, quod scilicet ad quotidiana expensa vix sufficit, novis instrumentis augeri non potuit; quae autem praecedentibus annis fuere comparata, diligenter in usum sunt adhibita, et lubenter profiteor, optimorum iuvenum, qui scholis Chemicis intersunt, ardorem in addiscenda utilissima disciplina ex libris non tantum et experimentis, in ipsis lectionibus visis, sed proprio quoque marte institutis, continenter augeri.

Museum Zoölogicum incrementa hoc anno cepit splendidissima et ad docendam hanc disciplinam efficacissima. Et primum quidem ex Regio Museo, quod Leidae a peritissimo Zoölogo Temminckio administratur, ultra centum species ad 53 genera pertinentes accepit, in-

inter quas, praeter quadrumana eximia, inprimis aves ſunt vario nomino ſpectabiles, quemadmodum, ut unam ſaltem alteramve indicem, Caſuarius Emeu, Gallus Sonnerati, Ibis Sacra, aliae; praeſertim vero numeroſae ſpecies ad genera pertinentes nova, a recentioribus Ornithologis primum conſtituta.

Verum deinde maximis laudibus pro meritis efferendum est donum, quod Muſeum accepit a nobili et generoſisſima Matrona van Dielen, Nobil. van Romondt, Ordinibus, ad res Provinciae nostrae curandas, adſcripti, uxore dilectisſima. Elegantisſima ſcilicet femina, cuius otia cum Historia Naturalis, tum artium liberalium exercitium, utilisſimâ et homine dignisſimâ ratione occupare ſolent, inſignêm et admodum pretioſam Inſectorum, Lepidopterorum quidem praeſertim, ſed et multorum ad alios ordines pertinentium, collectionem muſeo nostro inſerendam, atque ad communem omnium, qui Entomologiam colunt, utilitatem adhibendam conceſſit. Augetur vero muneris pretium eo, quod Lepidoptera indigena, ab ipſa egregia matrona aut capta, aut e larvis ſuis elicita, ſingulari et partium et colorum inte-

tegritate sint conspicua. Pro hoc igitur tam eximio, tam utili, dono Tu, Nob. van Romondt! uxori tuae egregiae summas agas gratias, non tantum meo nomine, sed et omnium illorum, quibus Academiae nostrae incrementum, et Historiae Naturalis cultus curae cordique sunt. Ipsum vero hoc exemplum omnibus, qui benevole de nostris rebus augendis et perficiendis sentiunt, de meliori nota commendatum volo.

Accepit tandem Museum hoc nostrum avium aliquot exoticarum, marinarum praesertim exempla, optime servata a Clar. Vrolik, Professore Amstelaedamensi celeberrimo, pro qua liberalitate dum Viro egregio, de studio medico in nostra patria optime merito, publice hoc loco gratias ago, liceat et vota mea addere pro filio eius honoratissimo, qui quanto ardore apud nos in Zoölogiam et Anatomiam comparatam incumbat, non tantum dissertatio demonstravit, quae, praecedenti anno, ab ordine medico secundos tulit honores, sed et ante paucos hos dies, me praeside, defensum optimum *de Phocis* specimen, iconibus quoque, ab ipso dexterrime pictis, illustratum.

De quo specimine quum verba faciam, sponte quasi ducor ad aliam dissertationem, hoc anno conscriptam et praeside Clar. Kopsio defensam ab eximio nostrae Acad. cive Herm. Christ. van Hall, in qua difficillima Botanica de *Graminibus indigenis* doctrina egregie proponitur et illustratur, quaeque simul optimum largitur documentum de ardore illo, quo Kopsius noster botanicam suam disciplinam persequitur et horti curam gerit.

In hoc quidem *horto*, quominus omnes plantae, quemadmodum caeterum fieri solet, laete florentes matura semina proferrent, impedivit frigidum ver, solis radiis parum calefacta aestas, humidus autumnus. Fuit tamen auctus ille egregio plantarum Caldario, ad Anglicam normam instructo, vitris, solis radios admittentibus, a superiori etiam parte tecto, in quo nunc iam plantae sunt servatae, quae in antiquo caldario quotannis perire solebant, cuius igitur ope noster hortus cum reliquis patriis de cultura plantarum tropicarum poterit certare.

Auctus praeterea fuit plantarum numerus et commutationibus cum aliis hortis patriis et exte-

teris factis, et acceptis a Perillustri Indiae orientalis Gubernatore van de Capellen Iavanicarum plantarum, rariorum quoque, seminibus.

Iacturam autem fecit, nobis non reticendam, morte Friderici Lichterfelt, Hortulani dexterrimi, qui, octogenarius iam senex, per duos et triginta annos horti culturae, summa cum vigilantia, praefuit, ita quidem, ut omnes virum hunc inter optimos vegetabilium cultores iure recenserent.

Deëst vero hactenus hortus, oeconomicarum plantarum culturae destinatus, qualis dudum iam in Groningana Academia, cum initio horrei instrumentorum, ad agriculturam pertinentium, instructus est; quod utrumque adminiculum, ad accuratam oeconomiae ruralis institutionem necessarium, ut nobis quoque quantocyus concedatur, vehementer optamus.

De Academicis autem institutionibus quamvis satis me dixisse opiner, silentio tamen praeterire nefas duxi, *scholam* illam *Veterinariam*, in praedio suburbano, eodem hoc anno Academico instructam et in usum iam adhibitam, curâ Clar. van Lidt de Ieude,

 col-

collegae honoratisſimi. Utilisſimum ſane inſtitutum, quo iuvenes ad Artem, in nostra praeſertim patria, armentis tam divite, utilisſimam non tantum, ſed penitus etiam necesſariam, informantur; cuiusque feliciter iacta ſemina, Lidtio et Numanno atque Vosmaerio ducibus, abundantem mesſem promittunt, ad Academiam quidem ipſam prorſus non pertinet; civibus autem eius, qui, Medicinae operam dantes, doctrinae de curandis hominum morbis, animalium domesticorum morborum notitiam et therapiam adiungere velint, utilisſimum fieri potest, quum, qui ei praeſunt Viri Clar., hos Academiae cives ad ſuas etiam ſcholas lubentisſime ſint admisſuri.

Iam A. A., festa dies iubet, ut ad gratisſimam muneris Academici partem transeam et ſuavisſimis civibus Academicis praemia meritis ſuis quaeſita, tradam. Hoc autem ut recte fieri posſit, primum iudicia, quae de acceptis commentationibus ſinguli Doctrinarum ordines tulerunt praelegam.

Iu-

Iudicium ordinis Medici.

Ordo Medicus ad quaestionem anno praecedenti propositam: „ Comparetur veterum Doctrina cum Recentiorum theoria de ista affectione pathologica in homine, quae vocatur „ Metastasis. Indicetur dein, quaenam ex opinionibus, quas Recentiores hac de re protulerunt maxime probabilis videatur;" unam accepit responsionem, inscriptam dicto Hippocratico, *Iudicium difficile.*

In hac responsione auctor primo Theorias de Metastasibus, cum antiquiores tum recentiores, ordine haud incongruo, exposuit; dein de his theoriis iudicium protulit, quod veram cognitionem probat, denique modeste de argumento proposito suam dixit sententiam. In quibus omnibus diligentiae adhibitae talia dedit specimina, ut a Facultate dignus haberetur, qui praemium reportaret.

Quae auctoris nomen continebat schedula, deinceps aperta, indicavit Albertum van Calcar, Daventriensem, Medicinae in Academia Leidensi studiosum, qui in examine instituto se huius responsi esse auctorem abunde probavit.

Iu-

Iudicium ordinis Literarii.

De disputationibus, quibus Herodoti exponuntur *in rebus gentium enarrandis dotes atque virtutes*, in hunc modum iudicavit ordo Philosophiae Theoreticae et Literarum humaniorum.

Speciminis auctor, quod inscribitur Ἡροδοτος Μούσοις ξεινιάσατο κ. τ. λ. studium nobis probavit et sedulitatem, nec tamen satis argumentum elaboravit, ut dignus censeri possit, qui praemio ornetur. Pariter censemus de disputatiuncula, quae Homeri versum adscriptum habet: τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης κ. τ. λ.: quamquam haec illi praeponenda videtur, cum oratione, tum materiae destributione.

Plenius rem tractavit auctor disquisitionis, hoc symbolo notatae: *scilicet est cupidus studiorum caet.*, qui doctrinae nobis, et variae lectionis haud contemnenda dedit documenta, sed desideravimus in tota scriptione iudicii severitatem, nec minus disputationis, orationisque perspicuitatem, quae Literarum in primis studiosum decet.

Superavisset huius disquisitionis auctorem scriptor speciminis, cui haec sunt adscripta:

non

non tam turpe fuit vinci caet.: nisi ad pragmatici Historici effigiem exigere ſtuduisſet dotes virtutesque Herodoti. Sic enim accidit, ut Herodoto tribueret, quae Polybio maxime et Tacito propria ſunt; illa vero negligeret, vel levius adumbraret, quibus parens Historiae a caeteris Historicis omnibus distinguitur.

Quatuor hisce, quas cenſuimus, ſcriptionibus longe excellit commentatio, verbis inſcripta Dionyſii Halicarnesſenſis *ἡδονὴν δὲ καὶ πειθὼ καὶ τέρψιν, καὶ τὰς κ. τ. λ.* Opusculum eleganter conſcriptum. Auctor accurate Herodotum legit, nec tantum res, quae narrantur attendit, ſed laudabili in primis inſtituto et voces et dictiones Herodoteas animadvertit. Rite etiam delectum habuit exemplorum, quae ad ſententiam ſuam declarandam et firmandam identidem adhiberet. Venustae ſcriptioni haud dubitasſemus praemium tribuere, niſi totam quaestionem diligentius etiam et plenius tractasſet ſextae disquiſitionis auctor, quae inſcribitur: *edidi quae potui, non ut volui.*

Cedit hic aemulo ſuo orationis ſuavitate et elegantia; ſed epicam Herodotei operis formam et rectius perſpexit et evidentius expoſuit.

fuit. Tum vero proprias Historici dotes atque virtutes maiori sagacitate et iudicio exploravit. Accedit distributionis commendatio, qua caeteris omnibus longe praestat. Sic enim argumentum in locos suos disposuit, ut per singulas eius partes facile lubenterque auctorem sequamur.

Quamobrem quintam commentationem *secundis*, hanc vero *primis* honoribus dignam iudicavimus. Apertis autem schedulis, *huius* esse auctorem patuit Iacobum Adolphum Carolum Rovers, Phil. Theor. et Liter. hum. Cand. in hac nostra Academia, *illius* vero Gerardum Dedel, Phil. Theor. et Litt. Cand. in Acad. Lugd. Bat.

Iudicium ordinis Matheseos et Philosophiae Naturalis.

Ad quaestionem propositam: „Describantur et quantum id, experientia duce, fieri „potest, explicentur acus magneticae phaeno„mena. Ostendatur illius usus in nautica arte, „atque viae maxime expeditae, quibus eius de„clinatio, inclinatio, atque vis magneticae, „qua praedita est, intensitas definiri possint.” Ordo duas accepit commentationes. Prior inscrip-

ſcripta lemmate, *etiam tentasſe decorum*, habet ſuas laudes. Plura, quae rem ſpectant, collegit auctor, atque in ordinem ſatis aptum redegit, ſuaeque diligentiae et ſolertiae dedit ſpecimina. Maius autem, quam oportet, in eo fuit brevitatis ſtudium, ita quidem, ut argumenta, quibus nitantur enuntiata; conditiones, quibus ſunt ſubiecta, aliaque, quae, ſi uſum atque accuratam doctrinam ſpectes, cognitu ſunt necesſaria, tacitus plerumque praeteriërit. Altera commentationis pars, in qua exponendae erant viae maxime expeditae, ad acus magneticae declinationem, inclinationem et intenſitatem reperiundam, prorſus inchoata relicta est, neque methodus, qua declinationem vult investigari, in re nautica ullius uſus esſe potest.

Altera commentatio inſcripta ſententia Cel. Bioti, *La proprieté directrice de l'Aimant etc.* quamvis in illa nimiae festinationis appareant vestigia, multo melius Facultati ſatisfecit. Quae ad rem propoſitam necesſario pertinent ſunt lucido ordine ita diſpoſita, ut accuratam Auctoris doctrinam testentur. Quare Facultas hanc commentationem dignam iudicavit, quae

prae-

praemio condecoretur. Aperta schedula et examine instituto, patuit auctorem esse Aegidium de Wit, Liter. Math. et Phil. Nat. Cand. in hac nostra Academia.

Quaestio Chemico - Oeconomica proposita:
„ Instituatur Lactis vaccini examen Chemicum,
„ ad hodiernam Artis perfectionem accommo-
„ datum, in quo ratio etiam habeatur illius
„ casei albuminosi, qui, post separatum case-
„ um vulgarem, per calorem et acida e sero
„ lactis separatur, et doceatur, num principi-
„ um a vulgari caseo diversum revero sit ha-
„ bendum. Indicetur praeterea ratio, in Bel-
„ gio adhibita, ad diversa lactis vaccini prin-
„ cipia a se invicem separanda et in usum oe-
„ conomicum convertenda," duo etiam respon-
sa tulit.

Prioris responsi, dicto Catsiano notati:

Prijst Spaenjen prijst haer ooft en wat er plag te groeijen,
Ons Holland prijst te regt de vruchten van de koeijen.

Auctor non contentus ea referre, quae hac de re alii tentarunt et concluserunt, suis ipse experimentis Analysin Lactis vaccini confirmavit et auxit; expeditam ingressus est viam, ad huius lactis principia separanda et definienda

at-

atque probabile admodum reddidit, caseum albuminosum Schublerianum, esse coniunctionem casei vulgaris cum parva copia acidi acetici, cuius ope in sero lactis solutus maneat. Ut autem tota commentatio laudabile est documentum subtilitatis ingenii, doctrinaeque Chemicae et Theoreticae et Practicae, ita pars disputationis, quae agit de methodo in Belgio adhibita, ad diversa lactis principia praeparanda, ut in usum oeconomicum accommodata reddantur, indicat, quam diligenter ad ea, quae a rusticis hac in re fieri solent, adtenderit auctor. Dignissima est igitur iudicata haec commentatio, quae praemio ornetur. Apertâ schedulâ, innotuit nomen Cornelii Adriani Bergsma, Math. et Phil. Nat. et Med. Cand. in Academ. Rheno-Traiectina, qui, examine instituto, se huius scriptionis esse auctorem abunde probavit.

Posterioris etiam responsi, inscripti lemmate, *Nullus bonus Medicus nisi item Chemicus*, auctor instituit experimenta ad rem accommodata; reliqua ex optimis fontibus diligenter collegit, atque omnino ita satisfecit Facultati, ut noluerit illa, eum esse destitutum eâ laude, quam me-

merentur diligentia et ſedulitas. Invitatus igitur nomen dedit, ſeque auctorem huius diſſertationis, examine habito, declaravit, Petrus Iohannes Blom, Math. et Phil. Nat. Cand. et Medic. Stud. in eadem noſtra Academia.

Iudicium ordinis Theologici.

Theologorum ordini duae traditae ſunt commentationes, quibus reſpondetur, ad quaeſtionem propoſitam: „ Quandoquidem in oratio-
„ nibus ſacris perperam omnis ſacrarum libro-
„ rum interpretatio negligitur, nec tamen una
„ eorum adhibendorum ratio eſt probanda,
„ cum, vel praecipuus interpretationi detur lo-
„ cus, vel doctrinae Chriſtianae pars, ex
„ praelecto, obiterve illuſtrato, loco ducta,
„ uberius exponatur, vel denique tertium eli-
„ gatur genus, ex utroque illo mixtum, quae-
„ ritur, quid in ſingulis univerſe praeſtabile
„ habendum, et in delectu faciendo inprimis
„ ſpectandum ſit?" Utraque inſignita eſt ſententia e Paulli epiſtolis ducta: una hac, ex Epiſt. I. ad Corinthios: πάντα δοκιμάζετε τὸ καλὸν κατέχετε, altera e poſteriore ad Timotheum: πᾶσα γραφὴ θεοπνεύστος κ. τ. λ. Utra-

que

que ingenii, iudicii, et industriae laudem haud mediocrem est merita, utraque probabiliter de causa proposita disceptavit, argumentis idoneis usa. Quocirca neutra praemio indigna visa est. Cum vero prior esset et exemplorum testimoniorumque copia uberior, et orationis bonitate evidentiaque praestantior, huius scriptor palmam tulit. Resignata schedula et instituta legitima disquisitione, agnitus est auctor, Iacobus Gerardus Henricus Sandbrink, Theol. Cand. in Academia Rheno-Traiectina. Posterioris vero commentationis scriptori honorificum praeclare acti laboris documentum decrevimus, dummodo nomen suum profiteatur, iustamque subeat disquisitionem. Publice ad id invitatus neutrum detrectavit. Itaque scriptor agnitus proxime ad victoris laudem accessit Gerardus Steenhoff, Theol. in Acad. nostra Candidatus.

Iudicium ordinis ICtorum.

Quaesiverant ICti: „ Doctrinae Iuris, quo „ Romani impuberibus, aut inconsultae ado- „ lescentum aetati prospicere studuerunt, vis „ et natura, maxime in ineunda obligatione „ et ratione iurium, quae ipsis in iudicio com-

„ pe-

„ petunt, admoto lumine historiae, rite de-
„ clarentur."

Acceperunt autem duas commentationes, quarum altera inſcripta est verbis Ciceronis: *Ineuntis aetatis inſcientia ſenum conſtituenda et regunda prudentiâ est.* Altera vero Thibauti dicto: *das Hauptgeſchäft des Auslegers des Römiſchen Rechts* rel.

Utraque ſcriptio meretur laudari; nam utriusque auctoris diligentia in omnibus, quae ad argumenti propoſiti rationem ſpectant, tractandis ſumma apparet, ordine quoque rerum et disſerendi ratione utraque est commendanda; adeo, ut, ſi ex his ſolis cauſis de praemio fuisſet ſtatuendum, ordo dubitasſet, cui Palma tribuenda videretur, niſi fortasſis purior Latini ſermonis dictio, legum et auctorum, quibus ſingula debentur, allegatio et plenior recenſio mutationum, quae in hoc iuris capite, vario tempore, locum habebant, Ordinem movisſent, ut primae disquiſitionis auctori in hoc certamine primum asſignaret locum.

Re vero exactâ ad propoſitam quaestionem, Ordini ICtorum videbatur ſcriptor primae disquiſitionis diligentisſime, admoto lumine histo-

riae,

riae, explicuisse ipsam Iuris Romani, de argumentis propositis, doctrinam, parum vero attendisse, hoc esse quaesitum: quae fuerit illius doctrinae *vis et natura*: unde multa in hac scriptione occurrunt, quae potuissent omitti; multa quoque desiderantur, quae ratio quaestionis propositae exigeret: in quibus omnibus quaestionis ambitum plenius et accuratius persecutus est auctor commentationis secundae, qui in obligationis fontibus indagandis industriam et diligentiam egregie probavit et plurima exacti iudicii praebuit specimina.

Quare iudicavit ordo, missis caeteris, in quibus prior commentatio posteriori sit anteferenda, dubitandum non esse, quin praeferri deberet illa, cuius auctor melius ad propositam quaestionem respondisset. Eo igitur nomine apertâ schedulâ et instituto examine, quod fidem faceret de vero auctore, praemium tributum est

Wopke Wopkens Brouwer,
Leovardia-Frisio, Iuris Cand. in Acad. quae est Lugduni Batavorum.

Alterius vero commentationis petenti ordini auctorem se declaravit et in examine probavit

S a-

Salomo Emanuel Nykerk,
Iuris Cand. in Ill. Athen. Amstel.
Iudicavit enim ordo, hunc scriptorem, si eadem ratione, qua aemulus quaestionem accepisset, certamen anceps victoriamque dubiam esse potuisse; quare censuit victum victori proxime accessisse et mereri, ut debitae ipsi laudes publice tribuantur.

Iudicia de vestris laboribus audivistis optimi Iuvenes! iam merita accipiatis praemia.

Primus tu igitur prodeas, ornatissime van Calcar! Accipe praemium, quod Regia munificentia omnium Academiarum alumnis, in certamine honorifico victoribus, decernit, sitque illud tibi stimulo, quo incitatus salutari Arti studium adhibeas, et tibi et Patriae olim utilissimum futurum.

Deinde te huc evoco praestantissime Rovers! Tu igitur denuo hic ades. Tu commilitionibus denuo Palmam eripuisti. Accipe meritis tuis debitum hoc praemium. Perge igitur ita in studia tua incumbere, ut, exemplum, ab optimo Avunculo digito tibi quasi mon-

monſtratum, ſequendo, praeſtantisſimae matris gaudia continuo augeas: ita tamen, ut ne nimius in ſtudiis, quae ad mentem perficiendam pertinent, ardor, corpori aliquando nocere, illudque ad ſeveriora ſtudia forte minus obſequioſum reddere posſit.

Victoriam qui reportavisſes, niſi Athleta ille adfuisſet, tu nunc accede nobilisſime D e d e l! Honorificum hoc de tuis conatibus ordinis Literarii iudicium accipe, eoque excitatus victoriam in pari certamine deinde ipſe reportes.

Tu nunc victor accede, praeſtantisſime d e W i t! Praemium hoc accipe, meritis quaeſitum. Eodem quo coepisti tramite perge, naturae rerum contemplationem cum Theologicis tuis ſtudiis coniungere, et utroque nomine Patriae illa praeſtes officia, quae haec eo quidem maiore iure expectat, quo magis ad illa praeparati cives ſocietatem intrent.

Iam vero tuae ſunt vices acutisſime B e r g s m a! Huc accede et debitum tibi praemium accipe. Te hic quoque victorem nunc adesſe gaudeo vehementer. Amas enim Chemiam noſtram et diligenter colis. Perge hac, qua coepisti, via, et antiquam Friſiorum, in colen-

D dis

dis disciplinis Physico - Mathematicis laudem, studiis tuis sustineas augeasque.

Verum eandem quoque disciplinam et sedulo et modeste tu colis, ornatissime Blom! Huc igitur adscende et honorificum hoc de tuis meritis iudicium accipe. Quid assiduus et non interruptus labor efficere possit, tua tu commentatione docuisti. Perge igitur et in haec et in reliqua tua studia medica ita incumbere, ut bene adhibiti temporis fructus accipias aliquando uberrimos.

De Theologiae studiosis in certamine victoribus nunc mentio est iniicienda. Tuum nomen primum est dicendum, ornatissime Sandbrink! Tu igitur adscende et praemium tibi decretum accipe! Nobili enim aemulatione motus dignissimum argumentum, quo ad futurum munus Ecclesiasticum aptior evadas, pertractare coepisti non tantum, sed ita illud exposuisti, ut victorem te esse dicendum iudicaverint tui Praeceptores. Age igitur, eandem assidui studii viam sequi perge, ut tandem gravissimo, quod ambis, munere digne fungaris.

Tu deinde generose Steenhof! nunc etiam

accede. Laudi enim, quam Sandbrinkius meruit, tu, magistrorum iudicio, proximus fuisti. Accipe igitur honorificum hoc, quo merita tua celebrantur, documentum, quod tibi studiorum bene institutorum non tantum sit monumentum perpetuum, verum simul et egregium incitamentum, ad eandem indefessi laboris viam in utilissimo munere continenter sequendam.

Nunc porro et tua res agitur praestantissime Brouwer! Etiam tu adscende et praemium accipe, tua opera, tuo labore tibi vindicatum. Paternis igitur vestigiis iam insistens tu, quam colis, Iuris disciplinam, augeas et extendas.

Tandem et tu ornatissime Nykerk! hic adsis et hocce accipe ordinis Iureconsultorum de tuis conatibus iudicium, quod, ut honorificentissimum, non poterit non tibi pergratum accidere.

Sunt igitur praemia hoc anno distribuenda omnia distributa, honorifica iudicia illis, qui victoribus proxine accesserunt, sunt tradita. Nova iterum proponuntur praemia. Quaestiones enim denuo adsunt, ad quas ut vos respondeatis, qui, aut viribus non satis confidentes, nunc

nunc a ſcriptione abſtinuistis, aut a commilitonibus estis victi, vehementer opto atque deſidero.

Sunt autem huiusmodi quaestiones nunc propoſitae.

QUAESTIO LITERARIA.

Disquiratur, cur Hebraei ante exſilium Babylonicum ſe ad idolorum pluriumque Deorum cultum valde propenſos, postea autem univerſe ab eo vehementer alienos ostenderint, tum etiam, utrum in hac agendi diverſitate mutaverint indolem, an vero ſervaverint.

QUAESTIO PHYSICA.

Aquae, quae vaporis forma in Atmoſphaera continetur, exponatur et conſtitutio et probabilis Theoria.

QUAESTIO BOTANICA.

Inſtituatur brevis enarratio, tum etiam com-

comparatio, Methodum plantarum, ſive Systematum, *quae dicuntur*, naturalium, *a Botanicis excogitatorum.*

QUAESTIO THEOLOGICA.

Dilucide exponatur argumentum, quod pro Dei exiſtentia ducitur e cauſis, quae dicuntur, finalibus; quae eius ſit vis demonſtretur, et quid in eius uſu ſit animadvertendum, doceatur.

QUAESTIO IURIDICA.

De diviſione officiorum in perfecta *et ea, quae* imperfecta *vulgo dicuntur, ita diſſeratur; ut, conſtituta officii notione, declaretur, quae perfecta dicantur officia, quae vero imperfecta; porro doceatur, a quo maxime tempore et quo conſilio haec officiorum diviſio in Iurisprudentia naturali fuerit propoſita; quibus notis perfecta officia ab imperfectis distinguere laboraverint Viri eruditi; ac denique, quae ſit huius diviſionis veritas, quae utilitas.*

QUAES-

QUAESTIO MEDICA.

Entozoa, *quae, docentibus observationibus Medicorum et Zoölogorum, in humanis corporibus hactenus, in Belgio, fuerunt reperta, enumerentur et ad genera et species a* Rudolphio *et* Bremsero *constituta, referantur: ut exquiratur deinceps, quibus maxime caussis, cum externis tum internis, illorum proventus sit tribuendus, quaeque praecipue morborum symptomata ab iisdem fuerint producta.*

Et sic quidem, quae ad Academici muneris gestionem pertinent, pro viribus absolvere fui conatus. Lubentissime iam quodcumque illud aut honoris aut oneris habet Clarissimo, ab optimo Rege designato, successori trado. Est autem hic Iohannes Henricus Pareau, Vir Clarissimus. Tu igitur, collega coniunctissime adsis, et locum, quem tibi vacuum relinquo, feliciter occupes!

Salve Academiae R. M. iterumque salve!

Tra-

Trado tibi fasces; trado sigilla, trado album Academicum et quaecunque ad muneris novi gestionem pertinere posse videantur. Quanta vero tua sint in Academiam nostram merita, eximio opere quod modo indicavi, nuperrime edito, evidenter denuo docuisti.

Tali igitur duce, felice, pio, salva est Academia, quae, ut sub augustissimi Regis tutela duitissime vigente, in bonarum Artium et Literarum incrementum; in Patriae salutem, in nostrum omnium felicitatem, continuo crescat et augeatur, ex animo opto.

Q. F. D. O. M.

DITH-

DITHMAR HUISMAN,
A. L. M. Phil. Doct.

Natus est Harderovici die 19 *Novembris anni* 1759. *Patrem habuit* Ianum Christianum Huisman, *virum consultissimum*; *matrem vero* Albertam Apeldoren.

Anno 1782, *d.* 22 *Iunii in Academia Harderovicena*, *Praeside* B. Nieuwhoff, *Viro Clar. publice defendit* Disquisitionem Philosophicam de felici huius mundi necessitate.

Deinde vero Verbi Divini minister fuit primum a. 1787 *in vico* Ryswyk, *ad Rhenum sito. Postea idem ministerium implevit in vico* Apeldoorn *et in urbe* Flessinga, *e quo ultimo loco ad idem sacrum ministerium obeundum huc vocatus fuit a.* 1803; *proximo vero anno* Philosophiae Moralis *et* Historiae Ecclesiasticae *Professor in Academia Rheno - Traiectina constitutus. Quod munus suscepit, habita oratione* de Diversis, quae vera conciliat eruditio in vita hominum tam privata, quam publica, commodis; *quae tamen typis non fuit expressa, quemadmodum nec altera, qua Rectoris magnifici munus deposuit anno* 1809, *inscripta* Diversitas classis hominum et status constituit solum salutis humanae societatis fundamentum. *Societati eruditae Traiectinae fuit adscriptus.*

Anno 1812 *uxorem duxit nob. virginem* Susannam Christianam Strick van Linschoten. *Obiit autem d.* 8 *Ianuarii a.* 1822.

ALBERTI VAN CALÇAR,

DAVENTRIENSIS,

MED. STUD.

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM

AB ORDINE

MEDICO

PROPOSITAM:

„ *Comparetur Veterum doctrina cum Recen-*
„ *tiorum Theoria de ista affectione patho-*
„ *logica in homine, quae vocatur* Meta-
„ ſtaſis. *Indicetur dein, quaenam ex opi-*
„ *nionibus, quas Recentiores hac de re*
„ *protulerunt, maxime probabilis videa-*
„ *tur.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

EXORDIUM.

Uti ab omni aevo Medicorum obſervationem effugere non potuerant multiplices illae atque diverſae morborum converſiones ac permutationes; ita ut explicarentur variae vario tempore propoſitae ſunt opiniones. Neque tamen post tot tantosque ab Eruditis et Exercitatis Viris in hac materia collatos labores, ad liquidum res perduci potuit. Quin potius hodie magis quam unquam a ſe invicem discrepant Auctorum ſententiae; ex qua disſenſione decretu difficilior redditur quaestio. Quae quum ita esſe video, apta ratione inferri poterit, proximam phaenomeni cauſam, atque peragendi modum

 ni-

nisi prorsus nos latere, a demonstrata certitudine saltem longe abesse; et spem fere mitto, fore ut haec lis unquam possit componi. Huc enim iure, ni fallor, referuntur verba W h y t- i i, „ paucae sunt etiam maxime probabiles
„ in Philosophia Naturali et Medicina Theo-
„ riae, quae non incurrant in aliquas difficul-
„ tates aegre removendas; nimirum hominum
„ sapientissimis solas datum est veluti superfi-
„ cies rerum contemplari, sed in pleraque Na-
„ turae mysteria introspicere negatum." Neque tamen utilitate vacuum erit, praesertim tironi Medico, diversas quas varii Auctores memoriae prodiderunt theorias perlustrari, et qualicunque est ingenii vi, comparare atque diiudicare; nam „ ista quoque," inquit C e l s u s,
„ Naturae rerum contemplatio, quamquam non
„ faciat Medicum, aptiorem tamen Medicinae
„ reddit."

Hae praecipue rationes me impulerunt, ut
„ quid ferre recusent, quid valeant humeri,"
tentare constituerim in ferenda responsione ad Quaestionem a Nob. Facultate Medica in Academia Rheno-Traiectina propositam:

Comparetur Veterum doctrina cum Recentiorum theoria de ista affectione pathologica in homine, quae vocatur Metastasis. *Indicetur dein, quaenam ex opinionibus, quas Recen-*

centiores hac de re protulerunt, maxime probabilis videatur.

Quodsi haec mea scriptiuncula Vobis, Viri Clarissimi, non omnino displicuerit, erit quod summe mihi gratuler, quapropter faciles Vos sitis iudices enixe rogo: sin vero tenuitatis non satis conscius, maiora petiverim, et Horatianum praeceptum non diu satis versavero, non is ego sum, qui oleum et operam perdidisse crediderim, quin potius fructuum, quos ex hoc mihi labore comparavero, cogitatio animum recreabit,

„ *nec tam*
„ *Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum.*"

Ut quaestioni respondeam, illum in digerenda et disponenda materia sequar ordinem, quem ipsa Quaestio exhibet. In duas igitur partes fiet tractandorum distributio, quarum *prima* expositionem continebit theoriarum tum antiquiorum, tum recentiorum; *altera* tradet quaenam Recentiorum opinio ex nostra sententia maxime probabilis videatur.

Prius vero quam ipsius argumenti tractationem aggredior, monenda quaedam sunt circa distinctionem Veteres inter atque Recentiores. Scilicet difficile putavi hac in re rescissos limites ponere: nimirum si Veteres intelligamus illos qui κατ' ἐξοχὴν plerumque ii dicuntur, ca-

dat

dat certe omnis Veterum comparatio cum Recentioribus, quippe illi masculo observandi studio superiores, parum vel nihil quod theoriam spiret, memoriae prodiderunt; quodsi vero Veteres habendi sunt, qui post renatas litteras ad praeclaram quamdam medicinae periodum suas theorias prodiderunt, satis indefinitum videtur, unde Recentiorum periodus repetenda sit. Quamobrem in prima parte quascunque tum Veterum, tum Recentiorum theorias iugiter proponendas existimaverim, ita tamen, ut in duas sectiones abeat, prout illae theoriae diverso pathologiae systemati superstructae sunt.

PARS

PARS PRIMA.

EXPOSITIO THEORIARUM TUM ANTIQUIORUM, TUM RECENTIORUM.

SECTIO PRIMA,

CONTINENS ILLAS THEORIAS, QUAE EX HUMORUM MIGRATIONE METASTASIN EXPLICANT.

CAPUT PRIMUM.

Antiquorum de Metastasi doctrina.

Doctrina Crisium cum ea Metastasium intimo nexu continetur, quare ut huius notionem rite aperiamus, prius verbo indagemus Crisium doctrinam. Nimirum omnes morbos ad humorum vitia tamquam ad causam referebant Antiqui, et in omni morbo materiem aliquam malam

lam morbi fomitem agnoscebant. Neque tamen Naturae actuosae (ἐνορμῶντος Hippocratis) obliti, hanc quasi cum morbo, ut cum inimico certamen inire statuebant, eamque tunc victricem redire putabant, si morbi fomitem, materiem acrem extinguere et expellere valuisset et sanitatem restituere. Tria observabant stadia, quae morbus percurrere debebat; materies morbi genitrix in primo stadio cruda in secundo ab operante Naturae vi coquebatur, maturabatur, ut apta evaderet, quae per quascunque corporis vias posset eiici. Si nunc ipsa haec expulsio sequebatur, tertium aderat stadium, quo tandem morbus per Crisin iudicatus dicebatur. Hanc strictiori sensu Crisin vocabant, latiori quemcunque morbi exitum huc referebant, sive ille in melius fieret, sive in peius.

Ad perfectam igitur Crisin requirebatur laudabilis quaedam evacuatio; iam vero si morbi materies non e corpore excernebatur, sed vel in aliquam partem sive nobiliorem, sive minus nobilem deponebatur, vel male critica relicta in corpore vaga huc illuc ferebatur, et morbos quasi addititios seu secundarios minabatur (1), talem exitum Crisin imperfectam, Cri-

(1) Conf. I. C. Rieger, Notationes in Aph. Hipp. T. I. p. 189.

Crisin metastaticam (1), sive Metastasin appellabant.

Non eodem semper vocabulo Antiqui hanc morbi conversionem designarunt, sed variis usi sunt terminis, prouti diversa inducta fuerat mutatio; hinc tamen quaedam confusio orta videtur, saltem ambigua vocabulorum notio. Sunt loca apud Hippocratem, ubi hunc sensum voci ἀποστασι tribuere videtur, cuius notio duplex est (2): nimirum vel ἀπόστασις κατ' ἐκροὴν, vel ἀπόστασις κατ' ἀπόθεσιν, quando materies tumorem, abscessum suo decubitu producit (3). Sed ἀπόστασις ipsi quoque dicitur morbi unius in alium transitus (4), quem sensum aliis locis tribuit voci ἀποσκήψι (5), licet haec strictius significat humorum decubitum,

(1) Sic quoque vocatur a Boerhaavio, Inst. Med. § 940.

(2) Conf. Hollerius, Comm. in Aph. Hipp. p. 216. Foësius, in Oecon. Hipp. in voce ἀπόστασις.

(3) Conf. Galenus, Comment. 3. in Lib. VI. Epid.

(4) L. I. Epid. p. 361. Ed. Foësii. Ἐξ ἀλλῶν πυρετῶν καὶ νουσημάτων ἀποστασιὲς εἰς τεταρταίους ἐγίνοντο.

(5) Aph. 56. Sect. VI. τοῖσι μελαγχολικοῖσι νουσήμασιν ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀποπληξίην τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τυφλωσιν σημαίνουσι.

tum, qui relicta parte primo affecta in alteram transeunt (1).

'Αποσκήψιος synonymum fere videtur μετάπτωσις, si conferamus locum Galeni: „μετάπτωσις γίνεται ὅταν τῆς προτέρης νούσου παυσάμενης, ἑτέρη γίνεται," et ipsius Hippocratis verba: „μεταπίπτοι τάδε ἐκ πλευρίτιδος εἰς καῦσον, καὶ ἐκ φρενίτιδος εἰς περιπνευμονίην" (2).

Aliquando coniungit Hippocrates voces ἀποστασιες et μετάστασιες (3), quarum differentia, teste Galeno in eo est, quod abscessus (ἀπόστασις) iudicium facit, aegrumque omni molestia liberat, μέταστασις vero aliarum accessionum et dolorum principium habet (4).

Sed forsan de ipsis Antiquis eorumque doctrina quamvis parum, satis tamen dictum est. Symptomata sedulo observantes et attendentes parum in caussas inquisiverunt et rationes, quibus ipsa haec Metastasis perageretur, quippe quae a sensibus remota est et obscura. Animadvertendum autem videtur, rudiorem atque im-

(1) Conf. C. Sprengel, Apologie des Hipp. T. II. p. 126.

(2) Lib. I. Epid. p. 360.

(3) De ratione victus in morbis acutis, p. 401.

(4) Foësius, Oecon. Hipp. l. l.

imperfectam Anatomes cognitionem praefertim in causa fuisse cur de Metastasium formationis ratione philosophati non fuerint.

CAPUT SECUNDUM.

Exponit Theoriam, qua creditur morbosa materies in sanguinem recipi et alio loco deponi.

§ I.

Cum Veteres minus sollicite semper attenderint ad varias notiones vocabulorum Metaptosis, Metastasis etc., inde vagum quid circa earum definitiones ortum fuit, quod varii Auctores varia ratione tollere vel emendare conati sunt. Optime hac de re meritus videtur Lorry (1), quem Auctorem hoc loco potissimum sequar.

Generali titulo *Metaschematismi*, sive *Metabolelogiae* (2), omnes morborum conversiones

(1) Vid. A. C. Lorry, de praecipuis morborum mutationibus et conversionibus, Paris. 1784.

(2) Conf. *Dict. des Sciences Medic.* in voce *Metabolelogie* et *Métastase*.

nes et mutationes si comprehendamus, hae commode in tres dispesci possunt species:

1°.) In *Epigenesin*, in qua morbus morbo additur a nova caussa pendens, sine eo ut prior morbus inde sublevetur.

2°.) In *Metaptosin*, ubi prior morbus ipse mutatur, et in novam affectionem transit; affectione nova eundem locum occupante.

3°.) In *Metastasin*, morbi talem mutationem, ubi de loco in alium locum transfertur, cessante vel maxime diminuta affectione priore, sive illa mutatio in melius fiat sive in peius.

Haec Metastaseos definitio maxime naturalis et vocis Etymologiae congrua videtur fuitque diu recepta. Hanc igitur tenebimus, quamdiu de alia definitione non expresse mentio fiet.

§ II.

Ea est ingenii humani conditio, ut non consistat in Naturae phaenomenorum observatione, sed ut observata phaenomena explicare studeat, et rationem inveniat qua fieri posse intelligantur. Iam vero cum morbus in corpore humano semper a materie tamquam morbi caussa repeteretur, cumque quidquid sensibus manifestum proponi possit facilius comprehendatur, utique mirum non est, plurium aevorum Medi-

dicos ut Metastasin explicarent vias sibi cogitasse, per quas metastatica materies migraret. „ Ubi enim," inquit summus Hoffmannus (1), „ unus morbus in alium transmuta-„ tur, tunc integra adhuc materies peccans in „ corporis sphaera subsistit et tantummodo ab „ uno loco in alterum transportatur." Pro diversa vero cognitionis Anatomicae et Physiologicae conditione, varie moderatae fuerunt Metastasium Theoriae. Qua autem ratione hanc humoris migrationem, et per quas vias sibi eam proposuerint Pathologi, hoc et sequentibus Capitibus exponere commoda argumenti tractatio requirere videtur.

§ III.

Inter Antiquiores qui de iis viis cogitaverunt referendus videtur Fabricius ab Aquapendente, qui ex vera infiltratione omne Metastasium negotium explicabat. Sed eo demum tempore, quo ex detecto sanguinis circuitu omni corporis humani oeconomiae maxima lux affulsit, multa quoque phaenomena morbosa cla-

(1) Conf. Fr. Hoffmann, Diss. de morborum transmutatione § XX, quae invenitur in Operum Suppl. secundo Part. I. p. 463. Genev. 1760.

clariorem atque faciliorem explicationem acceperunt. Nunc venae quemcunque humorem extra circulationis systema positum, atque stagnantem absorbebant, in circulationis vias reducebant, cum sanguine miscebant, ut dein ab arteriis loco quovis pristina iterum forma et indole deponeretur, vel in organis secretoriis a sanguine separaretur. Ubi nunc materies morbifica cocta quidem, non vero e corpore erat eliminata, sed cuicunque parti vel organo inhaerebat, inde osculis venosis resorbebatur et itinere per systema circulatorium absoluto alio loco deponebatur. Res illustrari potest exemplo a puris resorbtione desumto et comprobari verbis Cel. de Gorter (1), ubi agens de suppuratione et ulcerum detumescentia, diserte ait: „ observavimus in febre per „ Metastasin fieri anginam, ex angina peri„ pneumoniam, obstare tamen videtur nimia „ puris crassitudo, et nulla patens via ex una „ parte in aliam. Verum saepe experimur in „ Empyematicis pus evacuari per urinas, non „ quod ex pectore ad renes sit canalis apertus „ transmittens pus; sed pus aliquomodo liqua„ tum venulis resorptum, cum sanguine circu„ lante circumductum actione renum iterum „ se-

(1) Conf. Med. Hipp. ad Aph. 65. Sect. V. Art. 6.

„ separatur, et cum urina exit." „ Hactenus „ enim," inquit Vaterus (1), praeter cir- „ culum sanguinis universalem nulla alia patet „ via, per quam eiusmodi Metastases ac trans- „ lationes materiae ad loca remotiora fieri que- „ ant." Simili ratione convulsiones, deliria ex materie acri e tumentibus ulcerum marginibus in communem sanguinis massam recepta, et ad nervos et cerebrum delata explicandas existi- mat (2).

Hanc opinionem in egregia sua Commenta- tione professus est Doct. Goursaud (3), qui Metastasin parum accurate a delitescentia distinguit, quippe in qua materiem celeriter in circulationis vias redire asserit, iisque morbo- sam suam indolem impertiri et alio saepe loco inflammationem producere. Swietenius, Hallerus pluresque imo fere omnes huius aetatis Auctores, hanc resorptionem per vascu- lorum venosorum orificia amplexi diversissimos Me-

(1) Dissert. de Empyemate 1731. inserta T. I. Halleri Disput. ad Morb. Hist. et Curat. facientium, No. LX.

(2) Conf. Med. Hipp. ad Aph. 65. Sect. V. Art. 4 et 5.

(3) *Mémoire sur la Métastase* in *Recueil des prix remportés dans l'Acad. Royale de Chirurg.* T. III.

Metastasium casus ex eadem explicuerunt, v. c. ubi post fractum cubiti os eum locum magnus occupaverat abscessus, quo maturato ingens diarrhoea superveniebat et magna puris copia alvo excernebatur, tumore evanescente; dein nova puris copia abscessu tumente, iterum per diarrhoeam evacuabatur et sanabatur (1). Si in variolis subito quandoque Phrenitis oboriebatur, dein mors, hanc explicabat ex pure per venosa oscula resorpto et ad cerebrum pessima Metastasi delato (2).

Ophthalmiam veneream metastaticam inde explicuit Camerarius (3); in hac scilicet „ virus venereum per incongrua remedia, vel „ alias causas massae sanguinis remiscetur; „ quae circulans omnia corporis humani puncta perfluit, et iis in locis, id est, hic in „ oculis materiam hanc heterogeneam deponit."

§ IV.

Exposita hactenus Theoria modificationem ali-

(1) Swieten. Comm. in Aph. Boerh. T. I. p. 706.
(2) Ibid. p. 707.
(3) Vid. Diss. de Ophthalmia Venerea p. 301. Tubing. 1734. inserta T. I. Halleri Disput. ad Morb. Hist. et Curat. facient. No. XIX.

aliquam subiit, cum constaret venas non nisi sanguinem resorbere et luculentissima de systematis lymphatici actione adlata essent argumenta, quae probarent, omnem praeter sanguinis, aliorum succorum absorptionem huic solummodo systemati esse tribuendam (1). Fieri igitur non potuit, quin et vasa lymphatica Metastaseos negotii participia fierent, et primum quidem absolverent officium materiae nempe metastaticae resorptionem, ut in sanguinem eam infunderent.

Haec opinio cognitioni Anatomicae innixa, et legibus Physiologiae accommodata, adeo, quae teneretur, digna videbatur, ut omnes fere Pathologi eam amplecterentur, et sane hodie habet, qui ipsam vindicent, defendantque. Ex partium consensu per vasa rubra et lymphatica inflammationes, delirium febrile, phthisis a pure resorpto, curatio ulcerum per urinam, contagiorum effectus explicationem acceperunt (2). Inter praecipuos, quos haec opinio nacta est de-

(1) Contrariae opinionis erat Hallerus, qui hanc functionem saltem et venis tribuebat. Conf. Elem. Phys. T. I. p. 154.

(2) Conf. D. Langhans, de Consensu partium egregia Dissertatio p. 647. inserta T. VI. Halleri Disp. ad Morb. Hist. et Curat. fac. No. CCXX.

defensores, memorari debet Soemmeringius Vir Celeb., qui Metastaseos doctrinam nisi perfecte explicari, saltem magnopere illustrari posse contendit ex cognitione systematis vasorum absorbentium (1). Rem serie exemplorum comprobat, quae pleraque circa puris resorptionem versantur. Sic Cruikshankius febrem hecticam, Kirklandius exscreationem puris sanari et cessare viderunt post puris focum per amputationem ablatum. Lactis, porro Metastasin, Icterum (2) aliasque explicari debere credit ex morbosa lymphaticorum vasorum absorptione. Pus in resorptione purulenta vera sua indole in systemate sanguineo circulare non dubitat Bichat (3).

CAPUT TERTIUM.

Metastasis per solum systema lymphaticum absolvitur.

In ea Theoria, quam praecedenti Capite expo-

(1) Conf. S. T. Soemmering, de Morbis vasorum absorb. p. 173. ubi alios Auctores suae opinionis Patronos laudat.

(2) Conf. l. l. p. 120.

(3) *Anat. Génér.* T. II. p. 613. Ed. 1818.

posuimus, assumebatur materies quaecunque resorpta sanguinis massam intrare. Iam vero ab hac opinione differt ea, quae quidem assumit materiem metastaticam a vasis lymphaticis resorberi, sed in sanguinem non reduci, verum per ipsum hoc systema ad dissita aliquando loca moveri et deponi, insalutatis tortuosis circulationis viis. Hanc sententiam inter alios fovet Siebold, ubi „ Metastases," inquit, „ plerumque ministerio vasorum absorbentium, „ dum materiem morbosam excipiunt, et a lo- „ co ad locum ferunt, perficiuntur" (1); et Richerand, qui translationem humoris cuiusdam in partem longe dissitam facillimam explicatu pronunciat illi, qui numerosas vasorum absorbentium anastomoses viderit, tamque perspicue rem sibi videtur proponere, ut adiicere non dubitet: „ *les Métastases cessent d'être* „ *pour lui un phénomène inexplicable; il con-* „ *çoit également sans peine, qu'au moyen des* „ *vaisseaux lymphatiques toutes les parties* „ *communiquent ensemble; que des liqueurs* „ *absorbées par ces vaisseaux dans un or-* „ *gane peuvent se porter dans un autre, et* „ *parcourir tout le corps, sans passer par* „ *les*

(1) Vid. J, B. Siebold, Hist. Syst. Salivalis, p. 71.

„ *les routes tortueuses de la circulation*" (1). Cum Clar. Richerand sentientem invenio Auctorem articuli *Métastase* in *Dictionn. des Sciences Médic.*, qui ut hanc Theoriam ulterius exponat, animadvertit, absorbentium vasorum sensibilitatem turbari et mutari posse, ita ut humores in statu sano sibi alienos hauriant, et subiungit: „ *Il est donc nécessaire, pour*
„ *que la Métastase se fasse, que les vaisseaux*
„ *absorbans soyent affectés d'une manière con-*
„ *venable par la matière, qui doit être*
„ *transportée; que leur activité soit augmen-*
„ *tée, et qu'enfin un point d'irritation plus*
„ *grand que celui existant sur le siège de l'af-*
„ *fection primitive soit établi sur un organe*
„ *plus ou moins éloigné. Il est évident que*
„ *sans ces conditions la Métastase ne saurait*
„ *avoir lieu*" (2).

Proxime ad hanc Theoriam accedere videtur ea, cuius auctor est Darwinus, Physiologus Anglus, cum in systemate lymphatico motum lym-

(2) Conf. *Elém. de Physiol.* T. I. 302. Ed. 1817. Alio loco dicit humorem resorptum si in systema circulatorium deferatur citius mutari vel expelli, hinc igitur Metastasin non oriri. Conf. l. l. p. 479 et 484.

(2) Conf. *Dict. des Scienc. Med.* in voce *Métastase* p. 24.

lymphae retrogradum assumat (1). Ut autem ille motus retrogradus locum habere possit, ponit valvulas vasorum absorbentium in statu morboso motum oppositum exercere posse, vel paralyticas fieri. Atque hanc doctrinam ad Metastasium intelligentiam adeo necessariam putat, ut sine ea puris v. c. demigratio concipi non possit. „ *On ne saurait rendre raison du dé-* „ *placement du pus d'une partie du corps* „ *vers une autre, que par la doctrine du* „ *mouvement rétrograde de quelques unes des* „ *branches des vaisseaux lymphatiques.*" Ex hac nunc Theoria quando v. c. lac in ulceribus reperitur, illud primo vase quodam systematis lymphatici e mammis absorptum fuerat, et per anastomoses, quas rami huius systematis inter se habent, in alium ramum advectum, qui posito vitio laborabat, motu nunc inverso seu retrogrado ad ulcus deferebatur, intactis circulationis viis (2). Quum vero et in statu sano nonnullis lymphatici systematis ramis hunc motum retrogradum tribueret, ex hac hypothesi uri-

(1) Conf. E. Darwin, *Zoönomie ou lois de la vie organique traduit de l'Anglais par* J. F. Kluiskens, Gand. 1810. T. I. p. 535 sqq.

(2) Conf. l. l. p. 592, 594.

urinae celerem transitum ex primis viis in vesicam, et medicamentorum purgantium externe applicatorum actionem explicat.

CAPUT QUARTUM.

Theoria qua statuunt materiem migrare per telam cellulosam.

Praeter memoratas vias, quibus Metastasin absolvi putarent, aliam quoque ad illius enodationem in auxilium vocarunt Pathologi, telam nempe cellularem. Plures vero hanc non ut unicam et solam Metastaseos viam considerarunt, sed tamquam propriam aliquam et singularem. Hîc enim humor collectus circulationis viam non ingreditur, sed per telam cellulosam de loco in locum quacunque de caussa, sive sua gravitate, sive alia actione solidorum mechanica sursum, deorsum vel ad latera premitur, vel acritate sua partes rodendo viam sibi parat. Auctores habeo Swietenium, Hallerum, inter hodiernos Hufelandium aliosque. „Parotide glandula suppurata, „(est observatio Swietenii) dum exitus „puri collecto non conciliabatur, illud viam „sibi fecit descendendo in tela per collum, „humerum, brachium ad cubiti flexuram us-

„que"

„ que" (1). Ex eadem caufa Hallerus narrat empyema quod pleuritidi fuccesferat, per ulcus brachii fuisfe iudicatum (2).

Inter Gallos quoque non pauci funt qui multum huic humorum itineri per telam cellulofam tribuunt. Raro talem Metaftafin obfervari annotaverat Gourfaud (3); Portal vero, postquam de telae cellularis proprietatibus disferuit, addit: „ *ces obfervations ana-* „ *tomiques jettent le plus grand jour fur* „ *l'histoire des Métaftafes, ou transports* „ *d'humeurs, fi communs dans l'économie ani-* „ *male pendant ou après les fièvres, les ma-* „ *ladies éruptives, la petite vérole etc.*" (4). Sed prae reliquis hîc memorandus videtur Cl. Bordeu, qui fere omnium morborum eorumque mutationum fedem ponebat in tela cellu-

(1) Conf. Comm. T. I. p. 705 et p. 717. T. III. p. 669.

(2) Elem. Phyf. T. I. p. 12 - 14. Per telam cellulofam interius aquam migrare et emphyfema et abscesfum Metaftaticum, qui nulla praegresfa inflammatione fupervenit in aliquo corporis loco, opinatus fuit Langhanfius, in Halleri Disp. l. l. p. 642.

(3) Conf. l. l. p. 5.

(4) Conf. *Anat. Médicale* T. II. p. 19. Pinel, Nofogr. Philof. T. II. p. 103. et Soemmering, l. l. p. 174. Hufeland, Path. Pars. I. p. 191. Ed. Latinae.

lulari, quippe in qua humorum motum oscillatorium demonſtrare conatus fuit, unde inprimis Metaſtaſium historia illustraretur. Ita ſibi telam cellulofam proponebat, ut liber in omnem ſenſum foret humorum per eius cellulas motus: „ *l'organe cellulaire peut donc être* „ *comparé à une ſorte d'atmosphère dans la* „ *quelle les humeurs ont ordinairement un* „ *cours libre et aiſé; ce cours venant à ſe* „ *déranger occaſionne des courans, des dé-* „ *pots, des directions particulières, qui ont* „ *leur cauſe dans les differens degrès de for-* „ *ce de ce même organe cellulaire. C'est de* „ *ces courants et de ces directions de la ma-* „ *tière, . . . qu'on peut faire dépendre bien* „ *des phénomènes inexplicables dans tout au-* „ *tre ſystème*" (1). Non multum ab hac opinione abludit ea, quam propoſuit Ill. Thierry (2), ubi totum corpus animale cum ſpongia comparat, quae per meatus ſuos aditum transitumque praebeat. In textu nempe celluloſo morbos et morborum mutationes ſaepius fie-

(1) Bordeu, *Oeuvres complètes* (Ed. Richerand) Paris 1818.

(2) Conf. F. Thierry, Theſis in hac verba: „ *Er-* „ *go in celluloſo textu* etc." Paris 1757. inſerta Halleri Disp. T. VI. No. CCLXXIII.

fieri arguit, tum ex ipsius fibrosae compagis quantitate, tum cellularum mutuo inter se patentium et continuam unam cavitatem efficientium numero, qua materia morbifica quaecunque contineri, foveri et per quam ambulare, progredi et e loco in locum moveri possit (1).

(1) l. l. p. 859 et 866.

SEC-

SECTIO ALTERA.

CONTINENS THEORIAS, IN QUIBUS HUMOR MORBOSUS DE LOCO IN LOCUM NON TRANSFERTUR.

CAPUT PRIMUM.

Origo harum Theoriarum.

Si rem altius quodammodo repetamus, ſique Stahlii Theoriam (1) ſilentio praetereamus, Cullenus primus fuiſſe videtur, qui in nonnullis ſaltem Metaſtaſibus materiae migrationem reiicere coeperit. Nota est Culleni Theoria de Podagra eiusque retroceſſione, quarum de cauſa a communi ſui temporis opinione diſcedit. Antiqua enim et univerſaliter recepta doctrina ferebat, podagram naſci a materie quadam morbifica, certis accidentibus cauſis ad ar-

(1) Conf. G. E. Stahl, de Podagrae nova Pathol. Halae 1704 inſerta Halleri Disp. T. VI. No. CCXIII.

articulos delata, vel quacumque vi in alia loca dispersâ (1). Haec doctrina multis ipsi laborare videbatur difficultatibus: (2)

1°.) Quoniam nullum esset evidens materiae morbificae in hominibus ad podagram pronis signum.

2°.) Quoniam si vel talis materies concederetur, tamen explicandis morbi phaenomenis, et subitis mali ab una parte in aliam translationibus nequaquam congrueret.

Plures alias ob difficultates quibus antiqua Theoria premebatur, aliam in eius locum supposuit, quam sic offert: „ In nonnullis hominibus corporis conditio est valida atque plethorica; sed ad certum vitae terminum obnoxia detrimento toni in extremis partibus. „ Haec toni iactura cum toto systemate aliquatenus communicatur, sed speciatim in ventriculi functionibus apparet. Si mature et „ iam tum incidit, cum cerebri ἐνεργεια in vigore adhuc est, vis medicatrix Naturae ad „ tonum in partibus instaurandum excitatur; „ atque hanc instaurationem perficit interventu „ inflammatoriae affectionis in partium extrema-

(1) Conf. Boerh. Aph. 1262. Mead, Monita ac praec. Med. 1767. p. 120.

(2) Cullen, Prim. Lin. prax. Med. § 491.

„ marum aliqua productae. Haec affectio „ postquam per dies aliquot duravit, tonus ex- „ tremarum partium totiusque corporis renova- „ tus est, et aeger in pristinam sanitatem re- „ stituitur." Talem regularem dicit Podagram; retrogradam vero, si dicta inflammatio a causa quadam vel interna, vel externa repente, et ex toto cesset, unde tunc stomachus aliaeque partes internae in pristinum atoniae statum relabuntur (1). Hanc Theoriam fusius quodammodo exposui, quam instituti ratio requireret, nisi simul scopus esset ostendere, illam semina continere earum de Metastasi Theoriarum, quae serioribus temporibus in lucem prodierunt, quarumque in sequentibus sermo erit.

CAPUT SECUNDUM.

Exponens Theoriam qua Metastasis pendere creditur ab actione morbosa in systemate nerveo.

Haec Theoria potissimum Reilio debetur (2), qui ex principiis Pathologiae nervorum

(1) Conf. l. l. § 496. et 498.

(2) Conf. *Journ. der Erfind.* VI. p. 66. *Ueber die Krisen, die den wahren Nervenkrankheiten eigen sind;* Auctore

rum quemvis morbum a praeternaturali nervorum actione derivabat. In nervis fundamentum ponebat plurium, et momentosissimorum symptomatum, unde concludebat omnes morbos quodam sensu, morbos nervosos dici posse. Animadvertebat interim distinguendos esse morbos manifeste nervosos (1), ab iis quorum obscura est nervosa origo. — Quatuor igitur Metastaseos casus ponit quorum *primus* est, ubi morbus manifeste nervosus in alium eiusdem generis transit, quo in casu, quoniam de materiae migratione cogitari nequit, reactionem morbosam nervi cuiusdam in alium nervum, vel in totum systema translatam esse existimat (2). *Alter* casus est, ubi morbus manifeste nervosus in obscure nervosum v. c. in abnormalem quamdam secretionem mutatur. Ad hunc casum probandum, argumentum petit

re J. C. Reil. Versio germanica hic invenitur Dissert. Acad. titulo J. C. Reil, Resp. A. Neumann, Halae 1792. Conf. porro Journ. der Erfind. VII. p. 55. J. C. Reil, *von den Versetzungen der Krankheitsmaterien, besonders von den Milchversetzungen.*

(1) Quos etiam morbos nervosos sine materie vocaverunt, licet ipse Reilius coniicit fluidi nervei acritates aliaque vitia horum morborum caussam sistere posse. Conf. *Journ. der Erfind.* VI. p. 72.

(2) l. l. p. 89, 90.

tis a ſtatu ſano, in quo maximam videmus nervorum actionem in motum cordis, licet hanc actionem non ſentiamus: ſimili enim modo praeternaturales motus et ſenſus in ſyſtemate nerveo adesſe posſunt, unde praeternaturalis illa ſecretio pendeat, ſine eo ut ſolita morborum vere nervoſorum ſymptomata oboriantur; ita ut actio morboſa nervei ſyſtematis ſe exſerere posſit exanthemate, ulcere etc., unde ſic manifesti morbi nervoſi ſolvuntur, et metastatice exanthema propullulet (1). — In *tertio* caſu prioris contrarium obtinet, ubi nempe viciſſim ex ſuppresſa morboſa ſecretione morbus vere nervoſus inducitur. Memoratur exemplum feminae hystericae, quae quamdiu post editum partum ulcere ſinuoſo in abdomine laboraverat, ab affectionibus hystericis libera fuerat; istis vero corripiebatur perſanato ulcere. — *Quartus* tandem caſus est, ubi morbus obſcure nervóſus in alium, obſcure nervoſum convertitur; ubi v. c. ſecretione morboſa in aliquo loco ſuppresſa, in alio haec ſe prodit. Huc pleraeque, quae vulgo obſervantur, Metaſtaſes pertinent, ubi v. c. ex Metaſtaſi ſcabiei inflammatio et ſuppuratio pulmonum producitur.

Hae omnes Metaſtaſes, cum ex materiae migra-

(1) l. l. p. 101.

gratione explicari non possint (1), habendae sunt ut effectus reactionum nervosarum, quarum una alteram excipit.

CAPUT TERTIUM.

Metastasis est actio vicaria sympathica, consensualis, pendens potissimum a systemate nerveo.

Videtur primo adspectu haec Theoria parum a praecedenti differre, et certe habet, quo cum ea conveniat; hic vero aliae conditiones requiruntur quae ad causam proximam Metastaseos pertinere videntur.

Idelerus nempe huius Theoriae auctor strictiori limite suam Metastasium doctrinam circumscripsit: „*Nach meinen Gedanken*," inquit, „*wäre Metastase der Uebergang ei-*
„ *nes krankheitszustandes von einem Organ*
„ *oder System auf ein andres Organ oder*
„ *System, welches dadurch einen gleichen*
„ *Pathologischen Zustand erleidet, und glei-*
„ *che*

(1) Ne propositum ordinem turbarem, omnia ea argumenta, quae contra materialem migrationem pugnant, alio loco, (in parte altera huius commentationis) memorabimus.

„ *che krankhafte Phaenomene der Gattung*
„ *darstellt* (1); *wobei also das Wesen der*
„ *Krankheit, dieselbe Form der Reaction*
„ *und dieselben Zufälle der Gattung, aber*
„ *vermöge der specifischen Structur, Form*
„ *und Mischung der Thierischen Materie des*
„ *Metastatisch afficirten Organs oder Sys-*
„ *tems, seines Consensus mit andern etc. neue*
„ *Zufälle der Art hinzukommen können,*
„ *welche in diesen Bedingungen gegrundet*
„ *sind*" (2).

Theoriae suae fundamentum posuit Idelerus in partium consensu, qui ut proxima Metastaseos causa considerari debet.

Hic consensus duplex est, propior vel remotior: (3) *propior* nititur unione organi prima-

(1) Deflectit igitur haec definitio ab illa, quam in limine nostrae Disputationis ex communi opinione dedimus; estque arctius contracta, cum non tantum poscat, ut morbus ex uno loco in alium migret, sed praeterea ut pars, quorsum tendit Metastasis similem affectionem pathologicam patiatur, atque pars primo affecta.

(2) Hufeland's *Journ. der Pract. Arzneyk.* XI. p. 55. ubi invenitur tractatus: „ *Ueber die Möglichkeit der* „ *Einsaugung und Absetzung des Trippergifts*," quem praecedit expositio doctrinae Metastasium auctore D. Ideler.

(3) Huius consensus inter oeconomiae humanae systemata, functiones, partesque plura genera statuebant Antiquiores, ita Langhansius in Diss. de partium Consen-

mario patientis cum illo quod Metastatice afficitur ope nervorum, ita quidem, ut utriusque partis nervorum initia se tangant sicque morbi perceptio ex uno organo reflexione in sensorio communi facile ad alterum deferatur; *remotior* consensus ille est, quo omnia organa conspirant, quoniam systema nerveum omnia organa licet non directe vel immediate coniungit (1). Haec sympathica partium conjunctio in morbis a gradu suo naturali deflectit (2). Consensus in ipso morbo orti exemplum praebet angina parotidea, qua morbus parotidum aliquando ad mammas, vel partes genitales femininas, in viris ad testes defertur.

Causae Metastasium remotae sunt irritabilitas organi pro affectione pathologica eiusdem generis, quo praeprimis facit similitudo structurae; altera causa remota sunt stimuli quicumque exter-

sensu supra laudata quinque genera enumerat, 1°. per telam cellularem, 2°. per vasa, 3°. per nervos, 4°. per continuitatem membranarum, 5°. per similitudinem partium. Similem expositionem dedit Ill. Gaubius, in Path. § 864. Conf. quoque Hufeland, l. l. p. 135.

(1) Idelerus igitur ab Antiquorum opinione recedit nonnihil, et omnem consensum unice a nervis pendere ponit.

(2) Conf. Ideler in Hufeland's *Journ. der Pract. Arzn.* l. l. p. 69.

terni vel interni, materiales vel immateriales in unum vel alterum, vel in utrumque organon agentes. Quo magis duo organa quod ad ſtructuram inter ſe conveniunt, eo propius irritabilitatis gradu et modo et reactionis vi ad ſe accedent, eoque ad ſimiles ſtimulos percipiendos aptiora magisque inſtructa erunt, conſenſum alent, et unum alterius actionem ſuppresſam excipiet.

Cum vero diverſae partes in organo compoſito potisſimum affectae esſe posſint, v. c. vel ſystema vasculoſum, vel nerveum etc., fieri poterit, ut inter organa externe valde diverſa actio illa vicaria intercedat. Cum autem propior et remotior, ſana vel morboſa ſympathia ſemper ſenſationum communicatione nitatur; haec vero non niſi nervorum ope posſit perfici, ſequitur per hosce quoque Metaſtaſium mechanismum debere fieri.

CAPUT QUARTUM.

Duplex ponitur; materialis, Dynamica.

Hufelandus mediam quaſi viam ingresſus et *materialem* retinet Metaſtaſin, et *Dynamicam* accipit.

Duplici enim ratione Metaſtaſin oriri dicit vel

vel 1°.) per modum antagonismi; vel 2°.) translatione ipsius materiae morbosae.

I. Metastasis dynamica hac antagonismi norma nititur: omne sublatum aequilibrium non tantum motuum sed et virium contrarios reliquorum organorum et virium stimulos motusque elicit et profert, ut aequilibrium restituatur (1). Antagonistica autem actio eo maior est, quo maior est partium consensus (2).

Suppressa igitur vel turbata alicuius organi actio nimis incitat alius organi agendi rationem vel illud in morbum trahit; sic exanthema in cute suppressum facit, ut haec vel illa corporis pars incidat in malam et vitiosam secretionem; sic suppressa cutis actio facit, ut plus urinae reddatur.

II. Si Metastasis fit ratione materiali, materia morbosa ab alia in aliam partem, vel e toto corpore ad singulares partes transfertur. Sic pus aliquando ex collectione purulenta subito evanescit, et in aliis locis deponitur, quod aliquando fit per vasa absorbentia, aliquando per telam cellulosam (3).

CA-

(1) Conf. Hufeland, Path. I, p. 148.

(2) De conditionibus quae ad consensum constituendum concurrunt, superiori capite quaedam dicta sunt, quare hic repetere opus non est.

(3) Sed fatetur Hufelandus, nos modum quo hoc

CAPUT QUINTUM.

Metastasis repetenda est a conamine naturae, ad conservandam certo gradu totius organismi integritatem.

Omnia phaenomena, quae Metastasium nomine venire solent, generali hoc enunciatu complectitur Brandis (1): „*Wenn gewisse* „*Thätigkeiten in einzelnen Organen oder in* „*ganzen Systemen der Organisation vermin-* „*dert werden, oder ganz aufhören, oder* „*überhaupt für das Bedürfniss der Organi-* „*sation nicht hinreichend sind; — so ent-* „*stehen in andern Organen lebendige Thä-* „*tigkeiten, die als Würkung der Verminde-* „*rung oder des Aufhörens der erstern ange-* „*sehen werden können und den Mangel je-* „*ner ersten Thätigkeit ersetzen*" (2).

Hinc

hoc fiat, nonnumquam penitus ignorare. Ceterum mentio de his facta iam fuit in prima sectione.

(1) In suo Tractatu, *Versuch über die Metastasen* Hanov. 1798. Cum hac Theoria proxime convenire videtur ea, quam Sprengelius in quarta Editione Pathol. T. I. proposuit: ubi vero galvanismi leges in scenam quoque trahit.

(2) Conf. l. l. p. 8. Haec igitur definitio latius se extendit, quam illa, quae ex Lorryi aliorumque senten-

ten-

Hinc, actiones sunt vel primariae, vel vicariae: primariae comprehendunt omnes functiones corporis animalis, sive voluntati subiectae sint, sive minus. Iam vero omnes aetiones voluntati non subiectae sed necessariae, quibus in sua proportione tenetur mixtio totius organismi, inducunt actiones vicarias, si ipsae cessant vel minuuntur (1).

Ad has actiones necessarias igitur referendae sunt

1°.) Omnes eae actiones primariae, quae a prima iam origine in corporis organismo ortae sunt, et per totam vitam durant: ut secretio urinae, bilis etc. (2).

2°.) Tales actiones, quae etsi non in prima for-

tentia a nobis proposita fuit: complectitur enim illas mutationes, quae corpori inducuntur, quando naturalis quaedam actio suppressa est. Eandem doctrinam profitetur Doct. Hartog, in Dissert. Path. Med. de modo et causis, quibus etc. Trai. ad Rhen. 1802.

(1) Hanc distinctionem inter functiones voluntati subiectas vel minus, hypothesin precariam vocat Sprengelius, in *Kritisch. Uebers. der Zust. der Arzneyk. in den letzten Jahrz.* p. 402. ubi et a Brandisio expositam Theoriam sibi proprie competere dicit.

(2) Antiquiores quoque, si tales actiones naturales supprimerentur, et in alia parte similes prodirent effectus, Metastasin appellarunt, etsi proprie sub accepta definitione referri non possent. Conf. Hoffman. l. l. 94.

formatione organismi originem habeant, tamen ob longam durationem eam possunt contrahere cum universali mixtione affinitatem et conjunctionem, ut civitate quasi donatae sint et necessariae factae v. c. ulcus inveteratum (1).

3°.) Actiones quaedam in aliquo organo a certis et singularibus stimulis inductae pro certo quodam, et definito tempore necessariae fieri possunt v. c. venenum variolosum, venereum etc.

4°.) Quaevis actio vicaria simul fit necessaria, ita ut haec non possit supprimi, quin vel nova nascatur, vel primaria restituatur; v. c. erysipelas, arthritis etc.

Hae igitur sunt actiones necessariae, quae si repente supprimantur, actiones vicariae in aliis organis earum vices supplent; atque hae cum primariis conveniunt, quoad illud per organorum similitudinem fieri possit, eademque similitudinis ratio inter harum actionum effecta intercedit, v. c. lactis secretione suppressa, si actio vicaria nascitur in parte, quae maiorem cum glandulis mammariis habet similitudinem, humor secretus magis conveniet cum lacte; minus vero, si minor erit similitudo.

Qua-

(1) Illud intellexit Hoffmannus, cum antiqua ulcera corpori nostro medicinam praebere affirmaret. Conf. l. l. § 20.

Quatenus similitudo humoris secreti per actionem vicariam cum illo, qui per primariam actionem secernebatur, pendeat a mutata structura organi Metastatice secernentis, non valemus determinare. Verum si actio vicaria incidit in organon, quod nullam cum primario habet convenientiam, nulla tum quoque inter effecta convenientia observabitur. Sic cessante subito in puerperis lactis secretione, si actio vicaria sensorium commune petat, oritur delirium. Si secretio herpetici exanthematis repente cessat, actione vicaria musculos occupante, fit contractio, paralysis.

Quaevis actio primaria organon habet, in quod eius actio vicaria potissimum cadat; quod pendet a sympathia (1).

Omnis actio vicaria eadem ratione cohaeret cum tota mixtionis et vitae organismi conditione, quam qua eius actio primaria.

Sunt et actiones primariae, quae a veneno spe-

(1) Quae confundenda non est cum *consensu*; *sympathia* neque coniunctione ope nervorum, neque vasorum, neque motuum associatione haec organa magis, quam quaecunque corporis organa, inter se iungit; sed nititur haec sympathia legibus oeconomiae viventis incognitis, dum consensus quacunque ratione sensibili per nervos, vasa etc., partes inter se nectit. Hac in re igitur Brandis dissentit ab Idelero.

ſpecifico excitatae actiones vicarias eliciunt et efficiunt, licet ipſae perſiſtant; venena nempe ſpecifica corpori applicata illud peculiare habent, quod ſtatim nullum effectum in corpus edant; pars ad quam applicantur, prius modificationem ſubire debet, ut huic ſtimulo percipiendo idonea fiat. Cum hac modificatione mutatio totius organismi iungitur, unde nunc vel mutatae ſecretiones, vel adauctae, vel novae (exanthemata v. c.) naſcuntur et necesſariae fiunt.

Quando nunc talis ſecretio magis magisque necesſaria fit pro univerſa corporis conſtitutione, in aliis quoque locis ſimilia exanthemata prorumpere videmus, ut obſervamus v. c. in lue venerea, in variolis; quod toti conſtitutioni mutatio inferatur, inde quoque manifestum redditur, quod ſaepe actiones vicariae oriantur, quamvis in loco primo excitato nulla actio ſequatur, uti obſervata docuerunt circa variolas inſitas.

Nec disſimile quid obſervamus in actionibus primariis necesſariis; quando nempe ſtimulus quidam in conſtitutionem agens, necesſariam reddit alicuius organi ſecretionem maiorem, quam cui ſatisfacere posſit, oriuntur actiones vicariae, pergentibus quoque primariis (1). Hinc

(1) Talem Metaſtaſin *accesſoriam* vocat Doct. Hartog,

Hinc v. c. lactis ſecretio in mammis, ultimis graviditatis menſibus est actio vicaria, cuius actio primaria est abundans in utero ſecretio. Idem obtinet in illa icteri ſpecie, quae ab ita dicta polycholia oritur (1).

t o g, l. l. ut eam a Metaſtaſi *ſtricte dicta* distinguat, et perſpicue hanc differentiam propoſuisſe videtur.

(1) Haec ſufficiant, ut aliqua ratione hanc Theoriam adumbraverim, quam decem prioribus §is B r a n d i s in ſuo Tractatu expoſuit. Sequentibus quinque §is oſtendit proximam Metaſtaſeos cauſam extra nostrae cognitionis terminos poſitam esſe; et dein pergit ad varias Metaſtaſium ſpecies, quae ex ſuppresſis, vel diminutis, vel praeternaturaliter ſtimulatis functionibus ſecretoriis naturalibus oriuntur. De ſingulis hic mentionem facere non posſumus; ubi opus videbitur, in altera nostrae Disputationis parte, ad quam continuo accedimus, de uno alterove loco ſermo iniicietur.

PARS

PARS ALTERA.

CONTINENS THEORIARUM DIIUDICATIONEM.

Ex instituto nostro accedimus nunc ad alteram Quaestionis partem respondendam, in qua quaeritur indicatio, quaenam ex Recentiorum de Metastasi opinionibus maxime probabilis videatur.

Arduum sane est, quod hîc aggredimur opus. Permagnis enim hanc Quaestionem premi difficultatibus, nemo, opinor, inficias ibit, qui vel secum cogitaverit, totum nostrae quaestionis argumentum versari in explicatione phaenomeni Corporis viventis, cuius agendi ratio obscura est, et parum perspecta.

Quod a sensibus remotum est, ratiociniis explicare voluerunt homines, nec vero semper haec phaenomenorum explicandorum methodus successu caruit, licet ab altera parte opus non est indicare, quam gravia damna ex levium hypothesium, nec in observatione fundatarum, farragine in scientias Physicas redundaverint.

A ſenſibus autem remota est ratio phaenomenorum, quae in corpore humano Metaſtaſin constituunt.

Hinc diverſae circa phaenomeni explicationem opiniones; quodſi enim homini datum esſet, interiora corporis vivi mysteria quaſi, id est vivendi, agendi, patiendique rationes perſcrutari, perſpicere atque cognoscere, utique facilius nodus ſolveretur, nec tanta relinqueretur disſenſûs atque disputandi occaſio.

Iam vero cum homo quaſi in limite cognitionis organismi viventis legum, atque agendi modorum conſistere cogatur, et quominus ulteriùs in investigatione procedat, impediatur, mirum ſane non est, tot, tamque varias exſtitisſe vario tempore variaque doctrinarum conditione, ſententias de phaenomeno, cujus intima natura abdita est, atque abſcondita.

Ut autem et ab hac parte quaestioni ſatisfiat, quantum per virium tenuitatem licuerit, iudicium nostrum qualecunque proponemus. Quod ut ordine quodam fiat, in duas iterum Sectiones hanc partem dispescemus, quarum *prior* exponet argumenta, quibus variae Theoriae, quas parte I. expoſuimus, defendantur vel impugnentur; ut ſic *altera* Sectio brevisſime tradat cuinam theoriae maior probabilitatis gradus competere videatur.

SEC-

SECTIO PRIMA.

EXPOSITIO ARGUMENTORUM, QUAE VEL CONTRA PROPOSITAS THEORIAS, VEL PRO IISDEM AFFERUNTUR.

CAPUT PRIMUM.

Diverso Pathologiae systemati hae Theoriae superstructae sunt.

Cum primum in id magis de industria incumbere inciperent Medici, ut corporis humani functionum, atque actionum rationes redderent, mirum non est, illos talem sibi cogitasse explicationem, quae facillima esset atque simplicissima, quae a stimulo materiali directe in organon applicato omnem actionem illius organi derivaret, quae rem absconditam quasi oculis cernendam proponeret, adeoque illam quam proxime ad mechanicam, quae dicitur, actionem referret. Omnem a statu sano declinationem ad materiem quamdam velut huius

con-

conditionis causam referebant. In quovis igitur morbo assumebant materiem morbificam, morbi genetricem; in quavis Metastasi putabant hanc materiem loco moveri, vel ex toto corpore in unum locum quasi confluere, et focum quemdam constituere, vel ex formato antea foco per omne corpus dispergi, vel ex alia in aliam partem migrare; atque haec certe explicationis norma maxime arridere ob simplicitatem, atque sese commendare debuit; neque per satis longum tempus eximiorum defensorum auctoritate caruit nec vel hodie caret: fundata autem est haec Theoria in Pathologia *humorali* (1).

Ea vero periodo, qua et Physiologiae et Pathologiae facies non leviter immutata fuit, et ad solidorum in fluida vim, et efficaciam magis spectabatur; qua fluidorum vitia primaria negabantur, nisi quantum penderent a mutata solidorum reactione, fieri non potuit, quin et Metastasis alias sortiretur explicationes: harum praecipuas in Partis I. Sect. II. pro instituti ratione exponere conati fuimus; in quas si oculos con-

(1) Hujus vero indoles hodie alio prorsus est quam antea, quum crassior illa amplecteretur, quae virium dynamicarum, vitalium rationem suo systemate non comprehenderet.

coniiciamus, cito, ni fallor, apparebit, qualis inter illas convenientia intercedat. Nobis saltem, nisi rem male teneamus, ita visum est, varias illas sententias illud commune habere, quod numquam causa proxima Metastaseos in morbifici cuiusdam humoris migratione sit quaerenda (1), vel humor Metastatice se prodens idem sit, qui in parte primo affecta resorptus fuerit (2); quod vero conditio organi Metastatice affecti definita ratione mutetur, unde varii effectus morbosi ortum ducunt. Fundatae igitur hae Theoriae sunt in Pathologia *solidari*, vel *nervorum*, vel *vitali.*

CAPUT SECUNDUM.

Duae igitur hodie sunt principes quasi Theoriae, quae agmen ducunt; (de minutioribus differentiis suo loco dicetur). Iam vero in hoc et sequenti Capite ea in medium proferenda sunt, ex quibus argui possit, quaenam Theoriae magis in observatione Naturae fundatae sint; inde enim omnis Theoriae probabilitas diiudi-

can-

(1) Si excipiamus Hufelandi Metastasin Materialem.

(2) Uti statuebant Pathologi humorales et hodie non pauci. Conf. *Dict. des Sc. Méd.* in voce *Métastase* p. 26.

randa est. Nunc vero ab utraque parte praesto sunt argumenta gravia, pro sua Theoria militantia, unde non levis oritur difficultas, eo maior, cum observationum copia satis sit magna, sed singulae saepe non satis inter se conveniant, imo potius sibi prorsus subinde contrariae sint, aliae minus ad rem faciant, de aliis iterum suspicio nascatur, an debita cura et fide institutae et accurate conscriptae sint. Haec omnia metum inducunt ne in erroneum feramur iudicium.

Videamus autem nunc magis speciatim de argumentis, quae Pathologos solidares impulerunt, ut in Metastasi materialem migrationem negarent.

§ I.

Contra translationem materiae per telam cellularem.

Ante omnia hic mentionem faciendam esse puto earum obiectionum, quae contra hanc Metastasin adlatae sunt. Hic autem quaerunt quanam potentia illa translatio produceretur et quare potius in hanc quam in aliam partem? (1) Re-

(1) Sprengel, Path. T. I. § 516. Ed. 1802. *Dict. des Sc.* L. l. p. 19. ubi haec Metastasis omnino negatur.

Respondeo aliquid hic tribui debere gravitati humoris qui saepius per telae cavitates descendere observatur, dein multum huc conferre musculorum motum et telae cellulosae contractilitatem (1). Neque apud alios Pathologos Recentiores contra hanc Metastaseos speciem dubia mota invenio (2). Hanc igitur mechanicam *infiltrationem* (3), utpote sensibus subinde manifestam, nonnunquam locum habere agnoscimus, licet fortasse Veteres nimium ipsi tribuerint, et inprimis longe absit, ut Theoriam Cl. Bordeu assumendam existimemus (4); Sprengelio quoque concedentes illam plerumque lente procedere et minus aptam esse, qua illi explicentur casus, ubi citissime Metastasis peragitur. Humores vero secretos lentius per telam migraturos, quam corpus aliquod peregrinum telae cellulosae inhaerens, non facile cum Sprengelio opinarer. Quidni flui-

(1) Haec nempe per telam migratio tum obtinet, quando morbosa materies in ipso hoc textu haeret. Conf. Hufeland, l. l. p. 191. Siebold, Hist. Syst. Salivalis p. 129, 133. Richter, Specielle Therap. T. I. p. 615.

(2) Ideler, l. l. p. 96.

(3) Conf. H. A. Callenfels, Diss. Path - Med. de Metastasi L. B, 1815.

(4) Vid. Bichat, *Anat. Gén.* T. I. p. 92 etc.

fluidum corpus facilius viam inveniret, quam solidum?

§ II.

Contra Theoriam qua ex absorptione venarum illustratur Metastasis.

Ea fuit prima phaenomeni explicatio. Cum autem dein haec absorptio reiiceretur, eatenus quoque tunc cadere debuit haec Theoria. Hodie vero cum multi sint, quibus ne dubium quidem de venarum absorptione supersit (1), haec antiqua Theoria certe iure suo in lucem iterum protraheretur. Nondum consului Auctores qui, post denuo defensam hanc venarum absorptionem, de Metastasi scripserunt; illud autem certe mihi persuasum habeo, quod si inter Pathologos solidares sint, qui hanc opinionem amplectantur, illos, nisi et alia obstarent dubia (2), in Metastasi, minori cum difficultate materialem translationem admisuros, quam si absorptionem vasis tantum lymphaticis peragi censerent. Sed si vel concedamus secretos

(1) Conf. Magendie, Physiol. T. II. p. 182. Tiedemann et Gmelin, *Versuche über die Wege auf welchen* etc. Heidelb. 1820. p. 112 sqq.

(2) Quae deinceps memoranda, § sqq.

tos humores a venis resorptos sanguinis massae tradi, nonne tum in ipso sanguine vestigia horum humorum reperiri deberent? Contrarium scilicet docent et observationes et experimenta. Sanguis hominis lue venerea contaminati morbum venereum non propagat (1), adeoque illud miasma non continet, quod utique locum haberet, si liquor ex ulceribus resorptus non mutata indole sanguinis massam intraret. De variolis idem docuit experientia (2). Numquam in sanguine verum pus inventum est eo tempore, quo Metastasis purulenta locum habebat (3), neque in sanguine hecticorum (4), quorum morbosa conditio a puris in sanguinem resorptione derivari solet (5).

Pulcherrima, quae a Bichato instituta sunt in canibus experimenta, ubi bilem, urinam aliosque humores in venam iugularem iniecit, docuerunt incommoda quidem inde experta fuisse illa animalia, sed in sanguinis circulum tales hu-

(1) Girtanner, *Verhand. over de Venerische Ziekte*, p. 78.

(2) Darwin, l. l. T. I. p. 172.

(3) *Dict. des Sc. Med.* l. l. p. 22.

(4) Conf. Sprengel, Path. T. II. p. 142 et 212.

(5) Cui sententiae praeter alios opponere quoque video Ioh. Hunterum. Conf. Sprengel, *Zust. der Arzneyk.* etc. p. 193.

humores redire posse sine eo, ut semper mors insequatur. Quum vero Metastasis illorum humorum secuta non est, nihil aliud haec (experimenta probant, quam quod illae materies sensim in vasis circumductae sanguini possint assimilari, sine eo, ut ulterius oeconomiae animali nocivae sint (1).

§ III.

Quae contra Theoriam pugnant, qua humor secretus systemate lymphatico resorptus in massam sanguinis delatus Metastasin crearet.

Ea argumenta quae priori § adduximus, ut refelleretur ibi propositum systema, hic suam quoque, imo maiorem, inveniunt applicationem. Sed praeterea:

1°.) Omnis materia per vasa lymphatica absorpta, in his et praesertim in glandulis maximas subit mutationes; quando vero dein systema sanguineum intrat, cumque sanguine miscetur, fieri non potest quin etiamsi nullam vel in glandulis passa fuisset mutationem, hic suas proprietates prorsus amittat (2).

In

(1) Conf. Bichat, *Anat. Gén.* T. II. p. 612.

(2) Conf. Sprengel, Path. T. I. p. 312. Edit. 1802.

In statu sano hac de re nullum dubium; absorbetur pars tenuior urinae, sed haec antequam sanguinem intrat prorsus subigitur, et nulla eius indicia in sanguine experimur; sed si vel urinae excretione impedita, vesica praeter modum turgeat, et vasa lymphatica uberius habent, quod absorbeant, tamen nullum urinae vestigium in sanguine, et Metastasis urinosa non observatur. Quaeritur autem, an de quocunque humore etiam acerrimo morbose secreto ita sit statuendum? Si humori absorpto peculiaris stimulus est, vel illa materies ejusmodi est, ut naturae animali assimilari non possit, v. c. ichor, tum lymphaticum systema ipsum inflammatur non raro (1), et symptomata nascuntur saepe lethalia, quae vero cum Metastasibus nullam habent convenientiam (2). Tales vero casus rari sunt (3).

2°.) Tempus, quo Metastasis peragitur, saepe

1802. et p. 221. Edit. quartae. Brandis, l. l. p. 58. Ideler, l. l. p. 89, 90.

(1) Ex Sprengelii opinione tales humores partim quoque excernerentur per ductus illos excretorios glandularum, de quarum praesentia pace Vir. Clar. dubitare liceat.

(2) Brandis, l. l. p. 62 et 63. Sprengel, l. l. p. 306. T. I. Edit. 1802.

(3) Sprengel, l. l. p. 197.

pe brevius est, quam quo humorum migratio per varias illas vias et subsequens depositio locum habere posset (1). Saepe momento citius abscessus in superiore corporis regione evanescit, in inferiore se prodit. Memorabilem huc pertinentem casum observavit Idelerus in podagrico, cui postquam pedes subito frigori exposuerat, mox pars capitis capillata inflammatione correpta est, pedibus inde liberatis (2).

§ IV.

Quae obstant Theoriae, ubi assumitur, humores vasis lymphaticis resorptos, qua tales, in illo systemate per omne corpus posse deferri.

Haec quoque Theoria multis adversatur fundamentis anatomicis et physiologicis:

1°.) Animum advertamus ad doctrinam ingeniosi sed hypothesibus nimium indulgentis Darwini. Repudiatur haec doctrina: *a.*) quoniam falsa est hypothesis motus retrogradi in vasis absorbentibus: nulla prostat observatio quae

(1) Sprengel, l. l. p. 303. Edit. 1802. et p. 221, Edit. quartae.

(2) Ideler, l. l. p. 89.

quae doceat valvulas huius ſystematis eo usque posſe relaxari, ut arteriarum modo contentum liquorem propellerent (1). Soemmeringius in laudata Disſertatione duo refert experimenta, quae pro doctrina Darwiniana magis militarent quam vel ab ipſo Darwino in ſuae Theoriae favorem adducta argumenta (2). Haec vero experimenta in cadavere ſunt inſtituta; cumque inde minime concludere liceat, quid in vivo corpore accidere posſit, „ numquam ſe eo abripi pasſurum dicit, ut cum „ Darwino in motu retrogrado lymphae „ cauſam Metaſtaſeos quaerat" (3), qua in re ſecum facientem habet Brandis (4). β.) Altero loco huic Doctrinae obiicitur, quod minus accurata nitatur cognitione anatomica, quum manifestum ſit inter plures partes, quae locales affectiones ſibi communicant, talem nexum per vaſa lymphatica minime exſistere (5).

2°.)

(1) Sprengel, l. l. p. 281. et 304. Ed. 1802. et p. 181. Ed. IV. Conf. quoque Tiedemann et Gmelin, *Verſüche über die wege etc.* p. 26. et 113. ubi experimentis demonſtrarunt, talem motum retrogradum, etiamſi valvulae non obſtarent, tamen locum non habere.

(2) Soemmering, de Morbis vaſor. abſorb. p. 158.

(3) Soemmering, l. l. p. 119. et 180.

(4) Brandis, l. l. p. 97.

(5) Sprengel, l. l. T. I. p. 304.

2°.) Altera Theoria quae sub titulo huius § comprehenditur, est ea quam tuetur Cl. Richerand, Ille enim difficultates perpendens quibus premeretur Theoria illa, quae ex humore vasis lymphaticis resorpto, in systema sanguineum introducto, inde iterum deposito Metastasin explicaret, circulationis vias vitare conatus fuit, Ex resorpto in ulceribus pure nimia copia, vel depravatae indolis, eoque in sanguinem delato febrim hecticam originem petere videbat (1); hinc vero cum in alia corporis parte abscessum repente obortum, altero sublato, derivari non facile posse intelligeret, aliam excogitasse videtur viam, solum nempe systema lymphaticum per quod humor resorptus quicunque ab uno loco ad alterum etiam remotissimum moveri posset (2).

Huic Theoriae adversatur: α.) quod incredibili velocitate in nonnullis Metastasibus humor deportari deberet (3), quod omnino in minimis illis vasculis verisimiliter non contingit; β.) si valvulae in illis adsint, hae non tantum motum retardarent, sed et impedirent quo minus in omnem

(1) Conf. Richerand, Nosogr. et Therap. Chirurg. T. I. p. 306. 1821.

(2) Vid. pag. 19. huius Comment.

(3) Cogitemus v. c. de exemplo praeced. § memorato.

nem sensum humor abire possit. γ.) Si vero vascula illa tot connectantur anastomosibus, ut liquor illis contentus omne corpus possit percurrere, quare tum per universum corpus non dispergitur? Unde tunc icterus aliquando perfecte dimidiam corporis partem occupare visus est? (1) unde, quod ipse Vir Cl. observavit, ex unguenti mercurialis infrictione unum tantum corporis latus effectus expertum fuit? (2) Nonne praeterea ipsa illa vascula contentum humorem subigerent et lymphae assimilarent, saltem eius vires specificas admodum infringerent? Hisce omnibus si addamus, demonstratum non esse, an non alicubi cum venis vasa lymphatica communicent (3), atque sic tamen circulationis vias ipse humor ingrederetur; elucescit, ni fallor, non paucis dubiis hanc Theoriam esse obnoxiam.

(1) Ephem. Nat. Curios. cent. III. Observ. 64.
(2) Richerand, Physiol. T. I. p. 303.
(3) Conf. Haller, El. Phys. T. I. p. 178. Tiedemann et Gmelin, l. l. p. 76.

CA-

CAPUT TERTIUM.

Argumenta quae mox memoratis reponi possunt, ut migratio materialis vindicetur.

Neque tamen nihil in defensionem huius Theoriae, ut ita dicam, materialis in medium proferri potest, quod nisi ab oppositis dubiis illam solvat, saltem eorum pondus atque vim infringit et labefactat. Quid de humoris morbosi per textum cellularem transmissione atque deportatione statui possit, superioris Capitis § I. fuse satis nos disputasse credimus, ita ut illum locum ulterius exponere non sit opus. Ad alia igitur pergemus.

§ I.

Primum contra hanc Theoriam argumentum fuit, *quod humoris Metastatici indicia non reperta sint in sanguine.*

Ab altera vero parte non desunt observationes, quae contrarium indicare videantur: pus resorptum in sanguine visum fuisse notat Hallerus (1). Serum sanguinis ictericorum bilis

(1) In Addendis ad El. Phys., dummodo constet in verum

lis principium tingens continere non raro fuit observatum; et veram bilem in vasis lymphaticis reperisse se indicat Soemmeringius (1); in sanguine Heckerus (2). Si observationi fides habenda in sanguine repertum fuit hydrargyrum (3). Girtanneri aliorumque experimentis de sanguinis a miasmate venereo, varioloso, immunitate opponi potest observatio, qua constat, infantes sugentes effectus experiri pharmaci v. c. drastici a matre lactante assumti.

Sed etiamsi vel nullum umquam humoris Metastatici indicium in sanguine repertum fuisset, tamen ad eius absentiam concludere praeceps foret iudicium: quoniam quantitas humoris resorpti ratione totius massae sanguinis, quocum communicatur, et per quem diffunditur, adeo tantum exigua plerumque esse possit, ut hebetioribus nostris sensibus, et fallacibus experimentis nequeat detegi.

rum pus fuerit, an potius lympha coagulabilis, cuius cum pure similitudo in errorem quoque duxisse videtur Haenium Rat. Med. T. I. C. XI. p. 64.

(1) De Morb. vas. Absorb. p. 122.

(2) *Kunst om enz.* T. II. p. 750, 751.

(3) Consbruch, *Handb. der Pathol.* § 161.

§ II.

§ II.

Alterum quo haec Theoria impugnatur argumentum est, *brevius temporis spatium, quam quo talis translatio possit intelligi.*

In nonnullis certe Metastasium exemplis haec obiectio momentum haberet. Nonne vero resorptio iam incipere potuit, antequam de translatae materiae in alium locum depositione aliquid constiterit? (1) Praeterea arctioribus nostra organismi legum cognitio circumscripta est limitibus, quam ut constituere valeamus tempus, quod ad talem migrationem sufficiat. Nonne incredibili velocitate urina post pastum nonnullorum ciborum pulsa de eorumdem aliquibus testatur proprietatibus? De viis scilicet ita dictis clandestinis minime constat, quantumvis eas existere nonnulli praedicaverint (2); sed

(1) Hinc quoque fortasse derivandum est, quod in Metastasi sanguinem immunem saepe invenerunt, cum non apto tempore experimentum instituerint.

(2) Conf. Morgagni, Ep. Anat. Med. XLI. Art. 2. Haller, El. Phys. T. VII. p. 378 sqq. Magendie, l. l. T. II. p. 380. Tiedemann et Gmelin, l. l. p. 26 et 116. qui rem extra omnem dubitationis aleam posuisse videntur. Experimenta ab Home instituta explicationem forte mutuari possent ex duplici absorptione, venarum nempe et vasorum lacteorum.

sed si vel darentur, nonne id ipsum hanc Theoriam stabiliret potius quam infringeret?

§ III.

Tertium quo contra hanc Theoriam utuntur argumentum petitur ab illa lege, qua *omne continens in contentum agit, unde liquor absorptus varias et magnas subire deberet mutationes, antequam ad locum Metastatice affectum perveniret.*

Si materialis migratio locum habere ponitur, et depositio in aliquam partem, omnino hoc phaenomenon multo minus mirandum, et intellectu magis commodum foret, si materies quovis demum modo mutata, quam si eadem prorsus indole, qua absorpta fuerat, alio loco deponeretur (1).

Rem illustret exemplum a lactis aberratione petitum (2). Hic enim si tumor in femore aliove loco apertus verum lac funderet, hoc phae-

(1) Unde mirum videri possit Sprengelium (Ed. IV. § 310. d.) contrarium huius opinionis inter argumenta contra materialem Metastasin collocasse.

(2) Dissimilitudo inter duos hos humores probat Sprengelius Path. T. II. p. 408. Reil, in *Journ. der Erf.* VII. p. 62 sqq. Brandis, l. l. p. 137 sqq.

phaenomenon legibus Naturae viventis minus consentaneum videretur, quam si uti observatio videtur docere, lac post iter per systema vasculosum absolutum, mutatâ nonnihil natura iterum prodeat et effundatur.

SEC-

SECTIO ALTERA.

ULTERIOR THEORIARUM INDAGATIO. CONCLUSIO.

CAPUT PRIMUM.

Theoria Metastasis materialis.

Non haec Theoria crassiori nititur systemati Pathologico humorali; non absorbent vasa lymphatica tamquam tubi inertes quodcunque iis obferatur fluidum, sed eorum sensibilitas huic stimulo accommodata esse debet; simulac nunc quacunque de causa haec sensibilitas turbetur, mutatur quoque illorum actio, unde nunc liquores absorbent vel copiâ solito maiori, vel tales, quos in normali statu respuerent; ex hac sensibilitatis mutatione explicantur illae turbae, quae non raro Metastasin comitantur. Ut igitur Metastasis accidat, tria haec requiruntur: 1°.) ut ab ipsa materia Metastatice deferendâ vasa absorbentia ita afficiantur, ut eius absorptio-

tioni apta fiant, 2°.) ut eorum actio augeatur, 3°.) ut in organo Metastatice afficiendo irritabilitatis gradus maior sit, quam in primaria affectionis sede (1).

Iam vero in statu maxime naturali resorbetur bilis, urina, lac etc. adeoque ostiola vasorum absorbentium istis humoribus recipiendis accommodata sunt; interim nulla Metastasis; *sed maiori virtute agunt vasa;* si maiori virtute suo absorbendi munere funguntur, eo ipso quoque potiori vi in absorptum humorem reagent, et ipsi proprietates adiment, quibus nocivus oeconomiae fieri posset. Quodsi vero robur vasorum lymphaticorum resorptae materiei subigendae impar fuerit, ipsum hoc systema vitiose afficeretur; et proprium morbum sisteret v. c. tumores glandularum, earum inflammationes etc. Tandem quaeritur quanam potius vi in hunc quam in alium locum illa materies iterum deponeretur: a maiori irritationis gradu repetunt; nec obnitar, dummodo illud vindicare liceat, ab hypothesi hanc Theoriam minime immunem esse, quod subinde eius auctores praedicaverunt. Nonne enim hypotheticum est, icterum topicum inde oriri, quod particulae bi-

(1) Conf. locus, quem (pag. 20.) retulimus ex *Dict. des Sc. Méd.*

bilis per sanguinis massam dispersae ob maiorem affectae partis irritationis gradum in eo tantum loco sedem figere sollicitarentur (1)?

CAPUT SECUNDUM.

Dubia quaedam contra Dynamicam Theoriam mota solvuntur.

1°.) Observatur aliquando collectio purulenta Metastatica absque praegressa topica inflammatione (2). Quodsi autem omnem puogenesin antecedere debeat inflammatio, certe momentosissimum hinc contra Dynamicam Theoriam desumitur argumentum. At vero rem paulisper exactius perpendamus.

Observaverat Ill. Haenius, furunculos non-

(1) Memorabilis est locus Langhansii, l. l. p. 653. „ Quaenam causae sunt, cur unum contagium magis hoc „ modo et non alio in corpore agat, et cur in hac vel „ illa tantum parte adeo mirabiles producat effectus, id „ quidem, ut lubenter fateor, plane me fugit. Theoreticis haud adeo difficile erit pro lubitu varias hic detegere causas, sed invenire causas, quae veritati et naturae horum contagiorum respondent, res est omnibus „ difficillima."

(2) Conf. Callenfels, Diss. Path-Med. de Metastasi p. 22.

nonnunquam in iis, qui a variolis convalescunt fieri sine praegressa inflammatione, nisi solius tensae a materia cutis; sed, inquit, „ tumor „ unica die nascitur, augetur et apertus incipit „ nonnumquam eodem illo die pus funde- „ re" (1). Hic vero summo iure quaestio moveri posset, an non ulla licet brevissima inflammatio furunculos praecesserit. Scilicet et in sanissimis et robustissimis corporibus brevissimo saepe tempore furunculos oriri et pus fundere videmus, quod certe nihil aliud probat quam quod brevi admodum temporis intervallo pus creari possit. Huc quoque pertinere videntur illi casus, quos Swietenius aliquoties se observasse refert, ubi collectiones purulentae reperiebantur praegressa febre, sed nullo inflammationis neque universalis, neque topicae signo (2). Ex quibus coniicere est, vel deceptum fuisse Swietenium, vel pus absque praegressa inflammatione generatum fuisse.

2°.) Huic quoque Theoriae obiicitur quod si in quocunque organo quicunque humor secerni posset (3), irrita foret mirabilis illa singulorum

(1) De Haen, Rat. Med. T. I. C. XI. p. 65.
(2) Conf. Comment. in H. Boerh. T. II. p. 81.
(3) Quod sic enunciat Hallerus El. Phys. T. II. p. 369.

rum organorum fabrica. Speciosa sane obiectio, sed quae Theoriae veritatem, si aliunde haec constare possit, minime potest infringere. Quid in statu pathologico accidere possit, quaenam induci mutationes, illud definire extra nostrae cognitionis sphaeram positum videtur. In sola igitur observatione potius acquiescendum, si ex alio fonte via non aperiatur ad phaenomeni interpretationem.

CAPUT TERTIUM.

Observationes quaedam, quibus nititur Theoria actionum vicariarum.

§ I.

Ea est difficultas maxima qua premitur eorum opinio, qui ex materia vagante Metastasin enodare volunt, quod Metastases observentur in morbis, in quibus de materia cogitatio esse non potest; quid v. c. migraret in Metastasibus morborum nervosorum simplicium? (1) Ex flui-

369. „ Fere quilibet humor per quodcunque colum separ„ rari potest."

(1) Conf. Richter, l. l. p. 71. Ideler, l. l. p. 90.

fluidi nervei problematici vitiis haec phaenomena interpretationem mutuari non possunt. In puerperis saepissime, si lac stillare desinit, observantur affectiones nervosae omnis generis; quid hîc in systemate nerveo accidat, ignoramus; sed ex lactis Metastasi materiali ad nervos, non facile quis ea phaenomena interpretabitur. Neque vel Antiquiores in simili casu de materia ad nervos, vel cerebrum delata cogitaverunt. Quando observaverat Gorterus in ulceribus cum laeso nervo intumescentiam magnam, convulsionem vel insaniam praesagisse, eo in casu, non materiem morbi in cerebrum delatam, sed ipsum cerebrum in consensum trahi existimabat (1).

§ II.

Auctores Theoriae Dynamicae hac potissimum observatione nituntur: *Metastasis humoris cuiusdam secretorii non oritur ex huius humoris in sanguinem resorptione, sed ex impedita illius secretione.* Hanc Thesin sequentes observationes confirmare videntur:

1°.) Metastasis urinosa non observatur, quan-

(1) Comf. Med. Hipp. Ad. Aph. 65. Sect. V. Art. 2.

quando vesica lotio turget sed quando impedita illius est in renibus secretio. „Ligatis," inquit summus Hallerus, „ureteribus, salivae viscidae copia profluxit; arteriisque renalibus revinctis vomitus urinosus successit in cane utrimque," et „Omnino monere oportet, hanc adeo varias per vias expulsam urinam eiusmodi fuisse quae cum sanguine nondum in renibus secreta circumivit. — Sed etiam corruptis cum renibus, et obstructis, ut in exemplo ostendimus, ureteribus, cum nihil ad vesicam veniret, tamen urinosa natura alieno loco apparuit (1)." Morgagni in cadavere hominis urinae in vesica retentione laborantis, vesicam ultra modum distentam invenit; nullibi vero in reliquo corpore sano urinosa natura detegi potuit (2).

2°.) Quamdiu mammae lac multum continent,

(1) Haller, El. Phys. T. II. p. 370 sqq. Conf. et Gaub. Path. § 559. Tales de industria hic cito testes, qui novarum Theoriarum participes non fuerunt. Quod vero hi Auctores particulas secernendas iam in sanguine praeexistere statuerent, hodie vero totum illud opus glandulis tribuatur, nostram Thesin non infringit, dummodo de facto constet in exemplis memorato. Eximium quoque casum refert Brandis, l. l. p. 200. a Dawsono proditum in Phil. Transf. Vol. LI. p. 215.

(2) Morgagni, Ep. Anat. Med. XLI. Art. 8.

nent, Metastasis lactea locum non habet (1); verum tum demum, quando illius secretio suppressa est. Quinimo ante lactis in mammas ingressum iam observantur Metastases (2). Quantitas humoris lactei in Metastasi saepe adeo magna est, ut nulla ratio sit inter illam et eam quantitatem, quam mammae durante illo tempore fudissent (3). Quodsi a resorptione Metastases lacteae orirentur, plurimae locum habere deberent tempore ablactationis; contrarium docet observatio.

Huc quoque referri possunt quaedam illorum argumentorum e quibus nonnulli conficiunt, febrem puerperarum, tumores abscessusque a resorpto lacte non induci (4).

3°. *Nulla* vero in functione proposita Thesis magis confirmatur quam in suppressa perspiratione cutanea. Si aliunde, ita hinc praeprimis ma-

(1) Sunt tamen observationes, ubi simul in mammis lac secernebatur. De hoc casu Vid. ea quae ultima § Part. I. notata sunt, ubi talem Metastasin accessoriam appellari diximus.

(2) Conf. Reil, in *Journ. der Erf. etc.* VII. p. 66. Art. 3, ubi plura argumenta collecta inveniuntur. Conf. et Sprèngel, l. l. T. II. p. 408.

(3) Reil, l. l. Art. IV. Brandis, l. l. p. 142.

(4) Burserius, Inst. Med. Pract. Vol. I. § 462 sqq.

manifestum fit non a resorptione fluidi excernendi, sed a suppressa illius secretione Metastasin esse repetendam. Illud fluidum perspirationis cutaneae, non uti alii humores excrementitii, primo colligitur cavo quodam, unde resorberi possit, sed ex ultimis vasorum capillarium arteriosorum finibus mox ad cutis superficiem deponitur. Iam vero frigori exponatur corpus eidem non assuetum: mox augetur urinae secretio, vel nascitur diarrhoea, quod non facile a resorptione fluidi per cutim excernendi ad vesicam aut intestina delati explanabitur, cum, quod absorberi possit, fere non detur.

4°.) Icterus oriri videtur non tam ex bilis resorptione, sed ex impedita illius secretione; ex multis observationibus hasce paucas commemorasse sufficiat: α.) In cadaveribus hominum ictero exstinctorum, quam plurimum hepar inventum est scirrosum, induratum, ulcerosum vel in genere tale, quale ad bilem secernendam non esset idoneum: β.) In icterici cadavere aperta inventa est via, quae ad duodenum ducit (1), unde patet, bilis exitum non fuisse obstructum, adeoque ex impedita bilis excretione

(1) Stoll, Rat. Med. Vol. III. p. 402 sqq. „Liber nihilominus erat effluxus in duodenum."

ne hunc icterum ortum non duxisse: „ γ.) No-
„ bilis Gallus, cum porum biliarium ea parte,
„ qua duodeno inseritur, lapillo pisum magnum
„ adaequante adeo obstructum haberet, ut ne
„ tantillum bilis per eam expurgari potuerit,
„ regio tamen morbo infectus non fuit" (1).

Quod iterum probat, impeditam bilis excretionem non semper icterum inferre (2).

Est autem et observatio, quae positae Thesi adversari videtur: quod scilicet serum sanguinis icterici flavo colore sit infectum. At vero α.) illud principium tingens non est vera bilis; β.) non in omni ictero observatur; γ.) nonnumquam observatur quoque in sanguine non ictericorum (3).

Est et ubi ictero praesente, ipsum tamen he-

(1) Observationem refert Morgagni, Ep. Anat. Med. XXXVII. Art. 34.

(2) His certe similibusque observationibus mirum non est, acutissimi ingenii Medicos Boerhaavium, Morgagnium, Hallerum in eam adductos fuisse opinionem, ut bilis aliorumque humorum elementa in sanguine praeëxistere statuerent, et icterum tum produci, quando bilis materia in sanguine remaneret, iecore illam non secernente. Conf. Morgagni, Ep. Anat. Med. XXXVII, Art. 9. et 32.

(3) Ut vidisse se testatur Brandis, l. l. p. 173, 174. et pluries observatio docet.

hepar simul copiose satis suo munere fungitur, quae conditio polycholiae nomine venit. Hic vero nulla deprehenditur ratio, nullus nexus inter bilis in hepate secretionem et ipsum icteri phaenomenon, unde constare possit, icterum a bilis in hepate secretae resorptione, et in cutim depositione derivandum esse (1).

Praeter eas quas nunc memoravimus observationes plura alia argumenta non levissimi ponderis pro sua re adducit Brandis, quae vero describere nec opus est, nec volo, quoniam apud illum Auctorem ubi de singulis Metastasibus agit, fuse satis exponuntur.

CONCLUSIO.

Eo igitur pervenimus, ut nostram sententiam aperiamus de duabus illis Theoriis, quae hodie Pathologorum in Metastasi explananda agmen ducunt.

Proposuimus, quantum fieri potuit, dubia quibus utraque Theoria premeretur; varias retulimus observationes, quae huic vel illi faveant; nec

(1) Hinc ille icterus ad Metastases accessorias (ut Doct. Hartog vocat) refertur. Conf. Brandis, l. l. p. 181 sqq.

nec celavimus, ni fallimur, eas quae cuique Theoriae repugnarent.

Sentio autem non parvam difficultatem inde exſurgere, quod obſervationes non ſatis bene inter ſe conveniant, vel nonnunquam contrarium docere videantur, unde pro parte ingens illud discrimen inter binas has Theorias iure videtur derivari. Hic certe, ſi alicubi, memores ſemper fuiſſent obſervatores regularum, quas in obſervando et obſervationem ſcriptis tradendo usque ob oculos habere debent. Quippe inde Theoria ſuum mutuatur pondus, quod ſimpliciſſima ſit, quod in Naturae obſervatione ſit fundata; eoque erit praeſtantior, quo plura iterum ex eadem phaenomena explicari poſſunt. Iam vero diſſimulare non poſſumus nos primo captos fuiſſe veri illa ſimilitudinis ſpecie, quam Theoria Antiquorum vel (ſi ita dicere liceat) materialis prae ſe fert; nec diffiteor nonnulla Metaſtaſium exempla ex illa Theoria ſatis bene explanari poſſe; verum argumentis obſervationibusque, prout fidem mereri videntur, inter ſe comparatis atque collatis, illud ſaltem certum nobis videtur, Theoriam materialem neutiquam ad omnes, quas obſervamus, Metaſtaſes poſſe applicari. Quaeritur autem, an ideo derelinquendae ſunt, et ad Recentiores confugiendum?

Op-

Optandum certe foret, ut plura adhuc de industria instituerentur observationes et experimenta, ut animus veri cupidus facilius, quid verum quid falsum sit, posset discernere. Si igitur rem in medio relinquamus et in tempore et usu spem ponamus, forsan optimas sequemur partes; nisi potius cum Hufelando aliisque non mediocribus huius aetatis viris mediam viam tenere velimus, qua non raro tutissime itur.

Si vero honestae, in quam Quaestio nos ducit, necessitati satisfacere velimus, sique ex illis factis, quae hucusque utraque pro Theoria pugnent, vel eidem obversentur, iudicium ferre audeamus, eatenus calculum adiicimus Recentiorum opinionibus, licet hypotheticis; eo magis cum ne vel illi qui in disputanda Metastasi nihil aliud nisi materiae demigrationem cogitent, ab hypothesi immunes vindicari queant.

Probabilior igitur nobis videtur ea opinio quam protulit Brandis, quamque Doct. Hartog his verbis complectitur: „ Metastasis est actionum corporearum naturalium vel „ praeternaturalium actio substituta seu vicaria, „ quae actionem primariam impeditam excipit, „ eiusque vicibus fungi conatur, estque novi

„ ena-

„ enati organi effectus, et a commine Naturae
„ ad mixtionem Chemico-organicam iustam con-
„ servandam, repetenda."

Haec ideo potissimum verba addidi, ut pateret me non omnium illorum opinionem probare, qui omne materiale ex Metastasi discutiendum putant; scilicet neque hi de modo et ratione qua Metastasis fieret inter se conveniunt. Sunt enim, qui ad organorum consensum Metastasin referunt, quem consensum certe qui negare vellet, ille desipere videretur. Unde vero ille consensus pendeat, quaenam illius sit ratio, haud satis liquido perspicimus (1). Multum nervis tribuitur, et saepe nexus partium ope nervorum facit, ut hisce verosimiliter aliquid tribui possit. Sed an inde explicabimus, cur unius renis actione suppressa, alter copiosius urinam secernat? Ex stimuli reflexione in sensorio communi, quod illum stimulum ad alterum organon referat, explicare voluerunt, sed sine ullo argumento temere hanc hypothesin arripiunt.

Sunt qui ex virium analogo cum motuum antagonismo, vel et ex motuum animalium associatione Metastasium phaenomena enodare conati sint, sed harum Theoriarum vanitatem abun-

(1) Conf. Gaub. Path. § 864.

unde et perspicue in apricum posuit Brandis (1).

Non ex mere Dynamica, non mere materiali actione totus constituitur organismus vivus, et errorum fontem sistit fluidorum a solidis separatio (2). Omnes partes, omnia organa in unum quasi coniuncta sunt, et quodque suum confert ad sustentationem et harmoniam totius; nihil non vivum, nihil non activum; nulla conditio morbosa ad solida vel fluida unice pertinet. „ Consensus datur ac mutua partium „ conspiratio, qua uti unum aliquod constitu„ unt, idemque integrum, collatâ quaeque sua „ symbola, conservare nituntur, ita cum ea„ rum alicui noxa imminet, aliae, nec raro „ omnes iunctis viribus laboranti succurrere, „ communem in privata cuiusque et propriam „ in sociarum salute propugnantes (3); qua„ mutuam sibi opem ferunt, aliae aliarum vici„ bus funguntur, sanaeque pro afflictis in mo„ tus medicatos ruunt" (4).

Ex

(1) Conf. l. l. p. 88 seq. 91 sqq.

(2) Conf. A. F. Hecker, *Nieuwe Voorstellingleere enz. in Bijdragen tot Theoret. en Pract. Geneesk. door 't Genootschap* Arti Salutiferae *te Amsterdam*, D. II. St. II. p. 13 enz.

(3) Conf. Gaub. l. l. § 99.

(4) Ibid. § 642. Quam Gaubius hic conspirationem vocat a Brandisio nuncupata fuit sympathia, cuius causam proximam ignoramus.

Ex hoc fonte Metastasium quoque originem petendam esse, suadet analogia. Metastasin igitur non explicuimus, sed ulterius in phaenomeno perscrutando huc usque procedi non posse credere lubet, memores sapientissimi Gaubii praecepti, „ ad ultimas metaphysicas primasve „ physicas causas non adscendendum".

Habetis igitur V. V. C. C. hocce iuvenile opus et nostram qualemcunque sententiam, quam pro Vestra humanitate atque ardore, quo iuvenes ad scribendum potius excitare, quam ab eodem absterrere soletis, iudicare velitis, rogo atque obsecro.

T. A N T U M.

IACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS,

DORDRACENI,

LITT. HUM. CAND.

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM,

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM,

PROPOSITAM:

„*Quaenam sunt praecipue Herodoti in re-*
„ *bus gentium enarrandis dotes atque vir-*
„ *tutes?*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Die XXVI. Martii MDCCCXXII.

CONSPECTUS DISQUISITIONIS.

SEC-

SECTIO PRIMA.

EPICI CARMINIS FORMA EGREGIAS HERODOTEO OPERI CONCILIAT DOTES

SEC-

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QUARTA.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

Euripides.

Nullius facile ex antiquitate scriptoris ad nos pervenit notitia, qui plures nactus fuerit, quam Herodotus, aut patronos operis sui aut obtrectatores. Hic enim antiquo iam aevo ab aliis summopere laudatus, ab aliis vero, imprimis a Plutarcho, summae malignitatis et voluntarii adeo mendacii reus habitus est. Cui quidem accusationi, ex ipsius utpote Plutarchi petendae persona, nemo sanus, rationibus omnibus subductis, fidem habere potest. Quodsi tamen quis non magno loco hunc historicum habeat, diligenter ille in eius opus inquirat, adeat quoque egregias de eo doctissimorum virorum disputationes, et, vel fallor equidem, vel compertum sibi habebit, nihil facile unquam exstitisse fide dignius, pluribusque dotibus et virtutibus praeditum, quam Herodoti opus.

Haec ita mecum reputanti occurrebat in Academia Rheno-Traiectina a Nob. Facultate Phil. Theor. et Litt. Hum. quaestionem esse propositam, qua quaereretur, *quaenam essent praecipue in rebus gentium enarrandis Herodoti dotes atque virtutes.* Quod ut occurrerat, pro meis mihi quantuliscumque tandem viribus ad hanc quaestionem disputationem conscribere proposui. Sic enim egregium huncce, de quo cum ex ipso, tum ex aliorum testimoniis praeclare existimabam, historicum, paullo accuratius mihi cognoscere, eiusque dotes et virtutes pluris aestimare posse videbar. Num autem in hoc exsequendo proposito res mihi cesserit nec ne, vos, Viri Cl., iudicabitis; mihi vero, licet alius verosimiliter palmam sit praerepturus, idem tamen haud facile eripiet, quam ex hoc legendo scriptore, et voluptatem cepi et vero utilitatem.

IN-

INTROITUS.

DE FORMA OPERIS HERODOTEI ET FONTIBUS E QUIBUS HAUSISSE VIDETUR AUCTOR.

Herodotus anno a: Chr. 484. in Cariae urbe Halicarnasso, nobili genere natus, iuvenis etiamnunc magna iam suscepit itinera, in quibus quae vel ipse viderat, vel ab aliis acceperat, memoriae deinceps prodidit. Hoc autem eius opus in novem distributum libros ad magnam continuo pervenit celebritatem, tantique pretii in Olympicis aliisque ludis, in quibus nonnullas eius partes legere solebat auctor, habitum est, ut decem ei donarentur talenta. Haud quoque desunt, qui eandem ob causam ab auditoribus singulis libris singula Musarum nomina imposita fuisse opinentur (a). Quidquid sit,

(a) Vid. Joachimus Camerarius, dissert. de Herod. in Gronov. Herodoti edit. p. 717. Fabricius, Bibl. Gr Vol.

ſit, temporum decurſu Graecis non tantum, ſed et Romanis hocce Herodoti opus maximopere placuit, e quibus Cicero imprimis de eo nobis audiendus eſt. Hic enim cum aliis locis Herodotum celebrat, tum in libris de Legg. Lib. I. C. I. vocat eum *Historiae patrem*; quod non ita est accipiendum, quaſi Cicero Herodotum primum historiam conſcripſiſſe dixerit; huic quippe antecesſerunt Pherecydes, Hecataeus, Xanthus, Hellanicus Lesbius, Charon Lampſacenus, alii. Ideo vero a Cicerone hoc nomine dicitur, quia primus ſic expoſuit gentium hominumque res geſtas, mores, inſtituta, ut historiae inde exiſterent variae eaeque primariae dotes; ut v. c. ſuavitas, ubertas, varietas, aliae; et ita viam primus ſtravit, cui alii deinceps inſiſtentes historici, primariis illis, quas diximus, historiae dotibus conſpicui fieri posſent. Has autem dotes quominus continuo in Herodoteo opere exquiramus, noſtrae nos vetat ſcriptionis ratio; primum enim de huius operis forma et auctoris, e quibus ſua hauſit, fontibus, nonnulla dicenda videntur, quae age tribus abſolvamus ſectionibus.

Vol. II. L. II. C. 20. § 2. p. 331. et Wandelaincourt, *Principes de Litterature et Belles Lettres*, P. 30.

§ I.

§ I.

Qua ratione historiam conscripsit Herodotus?

Ii fere, quos supra memoravimus, historici, historiam hoc nomine dignam non conscripserant, verum annales confecerant, atque sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerant (*a*); verbo, huius illiusve populi ita sibi conscribendam sumserant historiam, ut ordine quodam notarent, quid quoque anno memoratu dignum illi accidisset. Ab hac autem ieiuna, uti a Cicerone dicitur, ratione prorsus alienus fuit Herodotus. Hic enim, non, ut Thucydides (*b*) aliique, τοῖς χρόνοις, sed ταῖς περιοχαῖς τῶν πραγμάτων ἀκολουθῶν (*c*), longe aliam rationem sponte secutus est, quod effecit historiâ ad similitudinem carminis epici conscribendâ. Quod ut rite intelligatur, primum animadvertendum, in carmine epico ubivis induci Deos, qui rebus se humanis immisceant, pre-

(*a*) Verba sunt Ciceronis de Orat. L. II. C. 12.

(*b*) Vid. Dionys. Halic. in Epist. ad Cn. Pompejum de praecip. histor. C. 3. p. 773. Edit. Reisk.

(*c*) Ut ait Dionysius Halic. l. l.

probis benefaciant, malos contra puniant. Sic v. c. apud Homerum saepissime memorantur Dii Deaeque vel a Graecorum, vel a Troianorum partibus stantes, atque ita se horum populorum rebus immiscentes, ut eos potius quam ipsos populos de victoria dimicare crederes. Eadem prorsus est Herodoti ratio. Hic enim, quamvis non, uti Homerus, mythologice Deos inducat, et ita eorum quasi certamen proponat, sibi tamen temperare non potest, quin eos continuo memoret summam vim in res humanas exercentes, bonis faventes, malos contra gravissimis poenis afficientes (*a*).

Prouti autem ea quoque est carminis epici ratio, ut Deorum occurrant vates, quos assidue adeant homines, quibusque prorsus obsequantur, ita hac etiam in causa huius carminis similitudinem apud Herodotum haud frustra quaeras (*b*). Nec mirum. Vatibus enim Deorumque

(*a*) Exemplo sit Lib. VIII. C. 37. quo loco Dii e coelo in barbaros Minervae sacellum adeuntes fulmina dimisisse dicuntur, ipsaque adeo Minerva e sacello vocem edidisse item L. I. C. 65. — Sic etiam clades, quas passi fuerunt Persae, intervenientis alicuius numinis vi, sive id per ventos, seu per tempestates, aut aliud quid in eos saeviret, inflictae esse memorantur Lib. VIII. C. 13. alibi.

(*b*) Ad hanc rem probandam licet plurima afferri possint

que oraculis fidem se habere, cum aliis locis affirmat, tum Libro VIII. C. 77, ubi χρησμοῖσι, ait, οὐκ ἔχω ἀντιλέγειν, ὡς οὐκ εἰσι ἀληθέες — et infra ἀντιλογίης χρησμῶν πέρι, οὔτε αὐτὸς λέγειν τολμέω, οὔτε παρ' ἄλλων ἐνδέκομαι. Et sane tam crebro fit oraculorum apud Herodotum mentio, ut ab iis pendere prorsus videantur res Graecorum. Cujus rei si causam indagamus, tempora nobis attendenda sunt non tantum antiqua, quibus magna fuit oraculorum auctoritas, sed ipsa etiam Herodoti, quae magnam partem etiamnunc erant poëtica. Quodsi praeterea animadvertamus, eadem aetate summo studio lecta fuisse Homeri carmina, eaque maximam in Herodotum vim habuisse et efficaciam; patebit, ni fallor, et fieri vix potuisse, quin Deos eorumque oracula in opere suo induceret, et vero tantam ei cum Homero intercedere similitudinem, ut inter hunc epicum poëtam, et historicum vere ita dictum medius sit Herodotus (*a*). Sed his-

sint loca, nos tamen inutilem huncce laborem mittere malumus, quoniam cum de Deorum apud Herodotum inductione, tum etiam de oraculis disseruit Fuhrmannus *Handbuch der Class. Lit.* Tom. II. P. 2. p. 105; et plurima de oraculis, prodigiis, simil. in Herodoteo opere obvia loca attulit Clar. de Rhoer, in disputat. *de fide Herodoti recte aestimanda*, Sect. I. C. 5. §. 3. pag. 97. in notis.

(*a*) Conf. Fuhrmann, l. l. p. 106. Et haec quidem in-

hisce longius prosequendis a via nimis deflecteremus; ad illud potius, a quo incepimus, redeamus.

Ex iis igitur quae supra memoravimus, haud obscure iam percipimus similitudinem carmen epicum inter et opus Herodoteum; quae quo magis nobis perspicua fiat, alia etiam indagare libet, nec minoris momenti, indicia. Nam carmen epicum id sibi proprium habet, ut caussas continuo quaerat maximarum rerum, tum in medias nos res inducat, et ubivis fere episodia immisceat. Sic Homerus initio Iliadis post memo-

inter utrumque similitudo non tantum ex Diis, eorum oraculis, aliisve appapet, quae uterque in narrando communia habet, sed aeque ex Ionicae dialecti cognatione in verbis, dictionibus, formis; tum vero e simplici illo antiquitatis candore et colore aequabiliter per omnes et materiae et orationis partes fuso. Vid. Wyttenb. in praef. ad Sel. princ. hist. P. XI. — Pingui agamus Minerva et unum huius in narrando imitationis apponamus exemplum. Apud Homerum ea cernitur ratio, ut, quamvis gravissima quis perpetrarit facinora, modo ea profiteatur, vitio ea illi non vertantur, vid. v. c. Il. lib. III. vs. 164. de Helena. Eadem ratio obtinet apud Herodotum Lib. I. C. 45. de Croeso cum Adrasto. Conf. Larcherus in notis ad Herodoti Lib. I. C. 45. vers. Gall. Caeterum eadem subinde vel similia apud utrumque occurrunt dicta; sic Hom. Il. L. V. vs. 176.

Ἐπεὶ πολλῶν τε καὶ ἐσθλῶν γούνατ' ἔλυσεν.

He-

moratum argumentum caussas continuo quaerit gravissimae illius μήνιδος, quae carminis proprie continet argumentum; tum continuo eius caussam describere incipit. Haec autem Achillis ira, licet proprie carminis sit argumentum, non tamen sola describitur, sed saepissime inseruntur episodia, quae ad bellum Troianum spectant, notatu dignissima, et eo imprimis valent, ut taedio occurratur, quod ex perpetuis de eodem argumento oriri solet narrationibus. Eadem prorsus in Aeneide Virgiliana cernitur ratio. Ab initio iam Musam invocat poëta, ut sibi caussam memoret,

quo numine laeso,
Quidve dolens, regina Deum, tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit.

Tum vero eam exponere incipit; ita quidem, ut in medias nos statim res rapiat, et ubivis epi-

Herod. L. V. C. 92. Πολλῶν δ' ὑπὸ γούνατα λύσει.
Il. L. VII. vs. 125.
Ἦ κε μέγ' οἰμώξειε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς.
Herod. L. VII. C. 159. Ἦ κε μέγ' οἰμώξειεν ὁ Πελοπίδης Ἀγαμέμνων. Sic prorsus Homericum est istud L. VII. C. 38. Καὶ πρήξεις τὰ ποιέεις, νοστήσεις ὀπίσω alia.

episodiis immiscendis miram carmini suo conciliet suavitatem.

Haec autem, quae de Homeri Iliade et Virgilii Aeneide vel potius de carminis epici ratione in medium protulimus, nequis temere ea in Herodoto praetereat. Hic enim operis iam initio simili omnino ratione argumentum memorat, quod sibi tractandum sumserat. Ἡροδότου Ἁλικαρνασσῆος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε κ. τ. λ. Tum causam indagat bellorum Graecos inter et barbaros gestorum. Περσέων μέν νυν οἱ λόγιοι Φοίνικας φασὶ γενέσθαι τῆς διαφορῆς αἰτίους. Quorum memoratis opinionibus suam se prolaturum esse dicit sententiam. Τὸν δὲ οἶδα αὐτὸς πρῶτον ὑπάρξαντα ἀδίκων ἔργων ἐς τοὺς Ἕλληνας, τοῦτον σημήνας κ. τ. λ. Tum ad ipsum deinceps argumentum transitum habens, de Croeso, quomodo imperium obtinuerit, aliisque simul rebus ita narrare incipit, ut iis veluti te interesse existimes. Totum denique opus episodiis iisdemque venustissimis plenum est, quae quantopere illius elegantiae, suavitati et vero utilitati inserviant, suo loco indicare conabimur (*a*).

(*a*) Parte I. Sect. I. § 2.

§ II.

§ II.

Operis distributio.

Proposuerat sibi Herodotus bellum enarrare Graecos inter et Persas gestum (*a*), eiusque remotissimas exquirere causas. De huius igitur prima origine postquam aliorum alias fabulosas tradidit opiniones, caussam revera quaerendam esse statuit in Asiaticis Graecis, qui a Croeso subacti ab eodem deinceps defecerunt. Croesi autem semel mentione facta, narrat continuo quomodo ex alio genere ad ipsum pervenerit regnum, quid maxime in rebus domesticis adversi ei acciderit, quâque deinceps fortunâ cum Cyro bellum gesserit. Ut autem Cyrus Persas a Medis liberavit et ipsi Medi antea simili se ratione in libertatem ab Assyriis vindicarunt, ita huius utriusque populi breviter dein, sed accurate, narrantur res gestae (*b*).

Por-

(*a*) Ut ipse dicit operis initio. Conf. Larcherus, in praef. vers. Gall. praemissa P. XXV. in vita Herodoti p. 69. et p. 606 in nota ad Herodoti defensionem a Plutarchi accusationibus, quae habetur in calce Larcher. editionis; et omnino Wyttenb. in annot. ad Herod. Selecta princ. hist. p. 341.

(*b*) Medorum historiam memorat Lib. I. C. 96 - 107. Assyriorum vero C. 178 - 201.

Porro Cyri rebus gestis explicitis omnibus, ad eius successorem Cambysem L. II. pervenit; de cuius in Aegyptum expeditione disputans ansam continuo inde capit de ipsis Aegyptiis dicendi; quorum igitur mores, instituta, leges; regionis, fluminum conditionem, Lib. II. fusius exponit. Tum vero Lib. III. ad Cambysen rediens, huius aliorumque, qui deinceps regnarunt, Persicorum regum res gestas ita enarrat, ut simul etiam vel brevius vel accuratius harum gentium prosequatur historiam, quibuscum ipsi hi principes vel bellum gesserant, vel alio modo rem habuerant. Sic v. c. Darii in Scythas tradendâ expeditione accurate simul Scytharum notat mores, instituta, alia ad hanc gentem spectantia plurima (*a*). Narrando autem, aliorumque etiam populorum immiscendâ historiâ, pervenit denique ad bellum Graecos inter et Persas gestum; quod tamen ita exponitur, ut simul quoque ipsorum Graecorum historiam usque ad pugnas ad Plataeam et Mycalen efficiat. Quocirca omnium horum populorum historias, ita cum nostri cohaerere videmus proposito, ut sine operis detrimento ei auferri possit nulla (*b*).

Hu-

(*a*) Lib. IV. ad caput usque 83.

(*b*) Quae est Larcheri sententia in praef. p. 32. Conf. Dio-

Huius autem distributionis, ut rite percipiamus praestantiam, animadvertendum, in medias nos res ita ab auctore rapi. Fingamus enim scriptorem, qui sibi populi cuiusdam historiam ita tradere proponit, ut ab eius origine incipiens, omnia chronologice enarret; quae ei ab initio inde, aliarum etiam gentium ratione habita, ad lapsum usque acciderunt. In istiusmodi profecto scriptore non magnopere est quod miremur; ieiune enim et sine ullis ornamentis ita narrat, ut taedium tandem apud lectores oriatur. Quid enim magis eo valet, quam factorum ab eodem populo peractorum, ut ita dicam, conservatio? Haec quippe, ex ipsius Pindari sententia, celeres adeo mentes obtundit (a). Huiusmodi autem scriptori opponendus est Herodotus; et, vel fallor equidem, vel eius operis distributionem non mirari non poterimus. Et enim in medias continuo res rapimur; legimus v. c. res Cyri, quae non ieiune et annalium modo enarrantur, sed coniunguntur ex. gr. cum rebus Lydorum aliorumque: sic derepente in mediam Lydorum historiam ducti pervenimus iterum ad Persici imperii, qui Cyro successerunt, reges; et legendo tandem proce-

di-

Dionysius Hal. in Epist. ad Cn. Pompeium C. 3. p. 774.

(a) Pythia I. Str. 5. v. 4.

dimus ad illud, quod ſibi proprie tractandum ſumſerat Herodotus, bellum nempe Graecos inter et Perſas geſtum (a).

In hac autem Herodotei operis, quam exhibuimus, distributione, carminis epici rationem quis est qui non videat? Episodia illa apud Homerum et Virgilium frequentisſima istiusmodi distributione ſponte obtinent. Quae enim de Aegyptiis, Scythis aliisque populis occurrunt, nonne habenda ſunt eorum instar, quae v. c. Homerus Lib. VI. Iliad. de Hectore et Andromacha, aut Virgilius Lib. IX. Aen. de Niſo et Euryalo carminibus ſuis inſeruerunt?

Atque ita quidem ſatis, ut opinor, ſuperque de Herodotei operis diximus forma. Videamus igitur ſecundo loco de fontibus, e quibus historiam ſuam hauſisſe videtur Herodotus.

(a) Operae pretium est hac de re audire Dionyſium Halic., qui Thucydidem Herodoto hac in cauſa inferiorem esſe ſtatuit. „Συνιδὼν," inquit, „Ἡρόδοτος, ὅτι πᾶσα μῆκος ἔχουσα ἀπὸ λόγου διήγησις, ἂν μὲν ἀναπαύσεις τινὰς λαμβάνῃ, τὰς ψυχὰς τῶν ἀκροωμένων ἡδέως διατίθησιν· ἐὰν δ' ἐπὶ τῶν αὐτῶν μένῃ πραγμάτων, κἂν τὰ μάλιστα ἐπιτυγχάνηται, λυπεῖ τὴν ἀκοὴν τῷ κόρῳ· ποικίλην ἐβουλήθη ποιῆσαι τὴν γραφὴν, Ὁμήρου ζηλωτὴς γενόμενος." Quod apud Thucydidem rarisſime tantum obtinere affirmat in Epiſt. ad Cn. Pompeium C. 3. p. 771.

§ III.

§ III.

De fontibus, e quibus sua hausit Herodotus.

Exigui nobis primum visum fuerat momenti, de hoc argumento agere; quo vero magis in rem intuiti sumus, eo simul dignius apparuit argumentum, de quo, quoad eius a nobis fieri poterat, accuratissime disputaretur. Huius enim scriptoris in gentium legibus, institutis, moribus universe notandis diligentiam, historicam fidem, alias omninò virtutes haud facile quis, nisi primum fontes, e quibus hausit, attenderit, rite diiudicare possit. Quoniam autem accuratius illud tractandum esse videtur argumentum, quam, ut sectione *de fide Herodoti historica*, hic illic de eo moneri possit, ita hoc optime loco de illo agi opinamur.

Ex aliis igitur fontium generibus antiquissima poëtarum carmina haud minimum profecto, ex quo sua hauriret Herodotus, constituebant fontem. Uti enim in gentibus incultis homines habentur, qui de Diis Deabusque, et praeclaris maiorum rebus gestis canunt, ita Graecis istiusmodi quoque non defuerint homines, qui, quamvis res in mira omnia subinde adducerent, fontem tamen constituebant, ex quo, qui primi

historiam metri lege folutam fcribebant, necesfario haurire debebant. Ad istiusmodi autem antiquisfimos Poëtas referendi cum alii tum praefertim ii, qui exercitum fequentes milites ad fortia quaeque excitarent facinora, *vates*que dicerentur; e quibus procul dubio haufit Herodotus, uti ipfe haud abfcure fignificare videtur, cum Lib. V. C. 95 Alcaei antiquisfimi istiusmodi poëtae carmen memorat *de bello Mitylenaeos inter et Athenienfes*, qua de re ipfe fuperiore capite egerat. Eodem modo hoc indicare videtur, cum Lib. IV. C. 13. agit de Aristea, antiquisfimo item poëta, qui carmen compofuerat de bello Arimasporum populi Scythici cum Gruibus auri custodibus; ex quo carmine Scytharum res et traditiones haufisfe nostrum, facile credimus, cum ex Cap. 16. pateat, totum hoc ab eo perceptum fuisfe carmen (*a*). Quodfi facrorum mentionem facere debet noster, eorum plerumque originem vel ritus ex hymnis haufisfe videtur, non raro quippe in his rebus hymnum affert, qui eo re- fe-

(*a*) Vid. omnino Clar. de Rhoer, in Disp. laud. Sect. I. C. 1. § 5. pag. 21. Ad hoc autem antiquisfimorum poëtarum genus referri quoque posfunt Mufaeus, quem citat noster Lib. VII. C. 6. et Lib. VIII. C. 96. et Bacis, quem memorat Lib. VIII. C. 20, 77, et 96.

feratur (*a*). Et hactenus quidem de Poëtis, quos consuluisse videtur Herodotus; in horum enim numerum quamvis plures etiam referri possint, uti Simonides (*b*), Hesiodus (*c*), ipse subinde Homerus (*d*) alii, nobis tamen monuisse sufficiat, magnam profecto sibi historiae patrem non conciliaturum fuisse fidem, si hos tantummodo adiisset fontes (*e*).

Alterum fontium genus constituebant universe templa. Herodotus enim antiquitatis memoriam investigaturus, adire solebat loca sacra, ea imprimis, quae oraculis, monumentis, donariis conspicua erant, ut ex horum inscriptionibus

(*a*) Vid. ex. gr. Lib. II. C. 49. et Lib. IV. C. 35. Animadvertendum autem sacrorum nullam fere mentionem fecisse nostrum, nisi, ut ipse ait, coactum; vid. v. c. Lib. II. C. 61. 65. 86. et 171; cuius rei caussas affert Cl. de Rhoer, l. l. Sect. I. C. 5. § 4. p. 100 sq.

(*b*) Cuius mentio fit Lib. V. C. 102. et Lib. VII. C. 228.

(*c*) Lib. V. C. 32.

(*d*) Quem testem sibi notat Lib. II. C. 116. Lib. IV. C. 29. et Lib. VII. C. 161.

(*e*) Ad fontes, e quibus hausit, non constare video inter doctos viros, utrum referendi sint, qui ante eum vixerunt, quosque supra citavimus, historici: eos iccirco huc in censum venire non posse putemus. Conf. Cl. de Rhoer, l. l. p. 22. et imprimis p. 24 et 25.

bus et sacerdotum traditionibus cognosceret, quaenam de origine templorum, historiâ Deorum, conciliis gentium ad sacra celebranda illuc convenientium narrarentur: quae quidem omnia e sacerdotibus optime et unice fere audire poterat. Uti enim antiquissimarum gentium mores, instituta, leges, tota omnino historia cum cultu divino arctissimo vinculo coniuncta erat, ita ipsarum quoque monumenta in templis tantum a sacerdotibus custodiebantur, ceterisque omnibus eorum cognitio studiosissime occultabatur; unde luculenter patet penes Sacerdotes fuisse, omnes, qui ipsos adirent, decipere, iisque alia omnia narrare. Putet iccirco aliquis, historicam Herodoti fidem ideo magnam partem infirmari, quippe qui tam corrupto fonte usus sit; verumtamen ne hanc ob causam infirmaretur illa, eiusdem Herodoti fecit veri amor; uti exemplo illustrare liceat. Adierat v. c. sacerdotes Memphiticos, ut quaedam ex iis de Aegypto cognosceret; tum vero horum traditionibus minus fretus earundem rerum cognoscendarum causâ ad Thebanos se contulit et Heliopolitanos sacerdotes (*a*). Sic tandem collata illa, quae harum urbium sacerdotes nar-

(*a*) Lib. II. C. 3.

narraverant, eaque prorſus inter ſe congruentia, ut fide digna, memoriae prodidit (*a*).

Praeter hos autem Aegyptiorum ſacerdotes cum Chaldaeis quoque collocutus est vatibus, quos tamen quoties memorat, toties ſe iis haud magnam fidem habere ostendit; ſemper enim istiusmodi formulam addit: *mihi quidem, quae referunt Chaldaei ſacerdotes, non credibilia ſunt*, vel etiam: *haec ego non vidi, ſed memoro, quae a Chaldaeis referuntur* (*b*). Praeterea antiquitatis memoriam e ſacerdotibus Phoenicibus cognoscendi cauſa, contulit ſe in Herculis Tyrii templum (*c*). Sed haec nobis de templis eorumque monumentis et ſacerdotibus dicta ſunto, e quibus, ni fallor, patet, optimum ea, dummodo caute adhiberentur, conſtituisſe fontem.

Pervenimus nunc ad quaestionem ſatis gravem, num mercatoribus multum in historia ſua conſcribenda debuerit Herodotus. Licet enim mer-

(*a*) Conf. Larcherus in vita Herodoti p. 72. Ex aliis quoque locis patet, ſemper, quae ab aliquo audierat noster, cum aliorum de eadem re conferre ſolitum fuisſe dictis, et tum demum iis fidem habuisſe. Vid. ex. gr. Lib. IV. C. 15.

(*b*) Lib. I. C. 182 et 183.

(*c*) Ut ait Lib. II. C. 44

mercatores istos, praesertim Carthaginienses, saepe testes citet (*a*), iis tamen non magnam se habuisse fidem, adeoque non multum ex illis profecisse satis superque ostendit Lib. V. C. 195. Ibi enim sedulo distinguit quae a Carthaginiensibus acceperat, ab iis, quorum ipse fuerat testis (*b*). Carthaginienses iccirco et universe mercatores haud magnae Herodoto fuisse utilitatis merito quis affirmaverit. Nec mirum. Hoc enim plerisque mercatoribus proprium erat, (et est hodieque etiamnunc) ut solius lucri causa longinquas regiones visitantes, mercibus, quam rebus, in istis regionibus notatu dignis, intentiores essent, atque ita domum reduces omnia vel obiter conspecta, vel ipsorum ingenium superantia prae nar-

(*a*) Ubi Lib. IV. C. 43. 195. et passim.

(*b*) Refert ibi nonnulla, quae Carthaginienses dicere solebant; tum *haec*, ait, *an vera sint*, *nescio*, *sed quae dicuntur*, *scribo*. Sequuntur porro, quae ipse viderat. Quibus memoratis, continuo dicit, *aiunt praeterea Carthaginienses*. Ubivis praeterea, quae vidit et rite novit, ab iis distinguit, quae audivit. Sic v. c. Lib. II. C. 99. *Hactenus, quae vidi. Nunc pergam sermones proferre Aegyptios, quos audivi*. Et C. 148. *quorum* (domiciliorum) *ea, quae superna sunt, ipsi vidimus. Quae igitur aspeximus, et transiimus, de iis narramus; subterranea vero auditu didicimus. Haec quippe nemini videre licebat*.

narrandi cupiditate, ut miracula efferrent. De Carthaginiensibus praeterea mercatoribus animadvertendum est, summo eos silentio obtegere solitos fuisse, quae in aliis regionibus viderant, metuentes, ne alii populi lucri spe adducti illuc quoque se conferrent, atque ita lucri sibi partem praeriperent.

Omnes autem, e quibus historiae pater hauserit, recensere fontes cum infinitum esset, tum vero nullius momenti. Hoc tantum nobis adiecisse sufficiat, praeterea quoque usum fuisse Herodotum omnibus illis, quos aliquam rerum notitiam habere putabat, auctoribus (*a*); eumque, quae famâ ad ipsum pervenerant haud raro operi suo immiscuisse (*b*). Ne autem temere quis ideo ei parum fidei habendum esse censeat, quia istiusmodi corruptis omnino fontibus usus est, talia semper eum addidisse monemus vocabula, e quibus pateret, famâ haec ad eum pervenisse, ut ita, nemini falsa pro veris obtrudendo, omnibus de rebus traditis li-

(*a*) Vid. Cl. de Rhoer, l. l. § 15. p. 38. Rei exemplum praebet v. c. Lib. IX. C. 16. ubi eleganter refert, quae e Thersandro audierat.

(*b*) Uti v. c. Lib. II. C. 75. *fama fert*, Lib. IV. C. 195. ubi *haec*, inquit, *an vera sint*, *nescio*, *sed quae dicuntur scribo* Lib. VII. C. 3. *adiit hic Vir Xerxem*, *uti fama fertur*, et C. 189. *uti fama fert.*

liberum relinqueret iudicium (*a*). Quum autem eiusdem rei duplex aut contraria prorſus habetur fama, utramque primum exponit, tum exquirit, utra probabilitate maxime ſe commendet, quam tandem, probabilitatis addita cauſa, veram ſibi videri ſignificat (*b*). Quodſi tamen istiusmodi rumores ita dubii, atque a ſe invicem discrepantes ſunt, ut de eorum probabilitate vix disputari poſſit, eos tantummodo memorat, addita hac ſimilive formula, *quamvis plerique ita narrent, alii tamen alio modo rem referunt* (*c*).

In

(*a*) Laudandus est igitur Herodotus, qui istiusmodi quid ſemper addit. Alii contra ſcriptores hoc omittentes rem tantummodo factam esſe narrant; ſic v. c. *Lib. III. C.* 2. triplicem famam fuisſe memorat de Cambyſis in Aegyptum expeditionis cauſâ; quaenam autem vera ſit ſe ignorare profitetur; Dino contra in Perſicis et Linceus in Aegyptiacis, quam tertio loco memoravit Herodotus, eam memorant tanquam unice veram. Conf. omnino Larcherus in notis ad Herod. Lib. III. C. 3.

(*b*) Ut unum tantum exemplum afferam. Lib. VII. C. 214. duplicem famam fuisſe narrat de Xerxis copiis Thermopylas conſcendentibus; qua memorata alteram ſibi probabiliorem videri dicit, cuius rei cauſam addit; et tum demum alteram ſe veram habere notat. Conf. Lib. III. C. 1. 2. 44. 45. 120. et 121.

(*c*) Exemplo rem illustrabo. Lib. V. C. 44. narrat *Sybaritas bellum Crotoniatis illaturos fuisſe; hos vero id metuentes Doricum quendam orasſe, ut ſibi opem ferret, quem* *pre-*

In fontibus autem, quos adiit Herodotus, recensendis, licet etiam supra dixerim, finem huic sectioni esse imponendum, non tamen mihi temperare possum, quin unum etiam excitem, quo historiae pater usus est, fontem; qui quidem itineribus continetur in remotissimas plerasque ab eo susceptis regiones. Postquam enim sibi historiam conscribere proposuerat, nolebat, quae ipse videre poterat, ab aliis accipere, sed ipsos studuit et locos explorare et populos cognoscere.

Et hisce quidem in medium prolatis, ad primam vestrae, Viri Clar. quaestionis partem progredi libet. Quae universe huc usque disseruimus, maioris nobis videbantur momenti, quam ut praetermitti possent. Quomodo enim historici operis rite quis percipiat dotes atque virtutes, nisi antea eius formam rite te-

precibus inductum una cum illis adversus Sybarim militasse eamque cepisse. Haec Sybaritae, Dorieum et qui cum illo erant, fecisse aiunt. Haec vero, quoniam iis, quae dicebant Crotoniatae, minime congruebant, neque etiam affirmari poterat, quorumnam opinio probabilitate magis se commendaret, simpliciter utramque memorat et statim subiungit: *At Crotoniatae nullum sibi peregrinum in bello adversus Sybaritas fuisse statuunt, praeter Calliam vatem, qui ad ipsos profugerat.* Conf. Lib. III. C. 32. Lib. V. C. 85 sq. Lib. VII. C. 148 sqq. et Lib. IX. C. 73.

teneat, nos quidem non intelligimus. Quae vero postremo loco de iis disputavimus, e quibus sua hausit Herodotus, eo imprimis illa valebunt, ut de historica deinceps eius fide agentes, perspiciamus quam facile non suâ culpâ, sed fontium errare potuerit corruptelâ.

PARS PRIOR.

INVESTIGATUR QUIBUSNAM PRAECIPUE HERODOTUS IN REBUS GENTIUM ENARRANDIS CONSPICUUS SIT DOTIBUS.

Ex iis, quae ſupra monuimus, quaedam iam quodammodo huius operis nobis innoteſcere potuerunt dotes. Diximus enim de eius forma, epiſodiis in illo obviis, aliiſque carminis epici formam ſpectantibus. Quae omnia, una cum dramatica, quae in eo obtinet, ratione, et ſimplici illo antiquitatis candore et colore aequabiliter per omnes et materiae et orationis partes fuſo, primariae Herodoti cenſenda ſunt dotes. De his igitur, primo et praecipuo acturi ſumus loco; tum vero alias quasdam easdemque, quamvis non a carmine epico manantes, primarias tamen, notaturi ſumus dotes.

SEC-

SECTIO PRIOR.

EPICI CARMINIS FORMA EGREGIAS HERODOTEO OPERI CONCILIAT DOTES.

§ I.

Varietas cum ſimplicitate coniuncta.

Est haec omnino carminis epici ratio, ut magnam in ſe contineat varietatem ſimul et ſimplicitatem, uti ex antiquis epicis poëtis cuivis facile patet. Sic v. c. Homerus, epicorum poëtarum facile princeps, Achillis ſibi canere proponens iram, non ita rem agit, ut, quae eo ſpectent, ordine quodam enarret omnia, ſed exſpatiatur ſubinde deſcribendis ſummorum heroum tam Troianorum quam Graecorum facinoribus, ita tamen ut omnia ad iſtam Achillis μηνιδα et vero gloriam extollendam referri poſſint (*a*).

Haec

(*a*) Omnia ſcilicet, quae de bello Troiano in Iliade narrantur, ad Achillis gloriam extollendam valent. Quum igitur proelia deſcribuntur vel alia Graecis, Achillis quippe

Haec autem Homeri in Iliade ratio, quantam operi addat suavitatem, dici vix potest. Sic enim et magis elucet, quam canere instituit poëta, Achillis ira, et in medias Graecorum Troianorumque pugnas sponte ducimur et vero satietas, quae ex continua earundem, quamvis etiam pulcerrimarum, rerum narratione oriri solet, sponte repellitur. Tenendum enim in hisce Pindari effatum:

κόρον δ' ἔχει
Καὶ μέλι, καὶ τὰ τέρπν' ἄνθεα 'Αφροδίσια (a).

Haec autem, quae universe in Homeri Iliade et ita in carmine epico obtinere diximus, in Herodotum nunc transferamus, et videamus num carminis epici ratio, ad quod historiam suam concinnavit, hanc quoque in eius opus habuerit vim et efficaciam, ut varietate nemini non placere debeat. Et profecto ubivis ea, quippe

pe

pe destitutis virtute, male cedentia, haec tamen omnia ad eius gloriam non minus conferunt, quam, quae illius auspiciis feliciter cedunt, facinora. His enim locis, ubi nullam Homerus heroïs sui mentionem facit, vere dici potest de eo, cum taceat, clamare, ut ait Cons. D a C o s t a, in eius specimine *quod positiones quasdam exhibet ad Phil. Theor. pertinentes*, Part. III. *de Homeri Iliade* p. 45.

(a) Nem. Od. VII. Antistr. 3. vs. 3.

pe carmini epico arctisſimo vinculo coniuncta, in Herodoto invenitur. Propoſuerat ſibi bellum memoriae tradere Graecos inter et Perſas gestum. Hoc vero argumentum, ſi Thucydidea ratione tractasſet, nemini facile placere potuisſet. Sic enim fuisſet pugnarum pugnis, apparatus belli apparatibus, orationum orationibus ſine ulla reſpiratione coacervatio. (*a*). Nunc contra epici carminis formam exprimere conatus, deſcripſit quidem illud et accuratisſime omnino, quod ſibi ſumſerat, bellum, ſed ita, ut remotisſimas eius cauſas quaerens, omnium fere, quarum ad belli istius historiam rite percipiendam valeret cognitio, operi ſuo insereret gentes. Sic Perſicae gentis originem tradens ſimul etiam tradit Medorum historiam, inque horum ab Asſyriis defectione deſcribenda ipſorum adeo Asſyriorum res gestas breviter memorat. Sic alii quoque notati ſunt, qui adverſus Perſas pugnarunt, populi; quae tamen diverſarum gentium historia ita cum caeteris cohaeret, ut ſine operis detrimento nihil auferri posſe videatur.

Uti autem varietate conſpicuus est, ita ſimplicitate non minus placet historiae pater; quae qui-

(*a*) Quod est Dionyſii Halic. de Thucydide iudicium in Epiſt. ad Cn. Pompeium C. 3. p. 772.

quidem ſimplicitas epici rurſus carminis propria quaedam et priva quaſi dos esſe videtur. Sic apud Homerum in rebus quam maxime a ſe invicem diverſis, ſimplicitas tamen egregie ſemper prodit. In toto carmine cernitur unitas quaedam, quae vulgo dicitur; i. e. unus in ſumma varietate tenor, ut, quamvis varias res ob oculos ponat poëta, ad unum tamen, qui celebratur, heroem, ad unum etiam, quod enarratur, facinus, referantur omnia.

Quod autem de Homeri obſervamus carminibus, hoc quoque in Herodotum ſummopere quadrat. Hic enim opus ſuum a Lydis incipiens, narrationis, ut ita dicam, filum non abrumpit, ut narret porro, quae eodem tempore apud Perſas obtinuerint; ſed hiſtoriam ſuam perſequitur conſtanter. Lydorum Croeſique mentione facta, tranſit mox ad Perſas, quibus notandis, hac tractationis ſimplicitate, facile complectitur Aegyptiorum, Scytharum, Libyorum, aliorumque populorum hiſtoriam. Ergo quod in omnibus artis monumentis quam maxime laudatur, ut in ſumma varietate ſumma adſit ſimplicitas (*a*), hoc profecto habetur in He-

(*a*) De Herodoti ſimplicitate egregie diſputat Dionyſius Halic., qui eum Thucydidem hac in re longe ſupera-

Herodoto. Est vero aliud quid carmini epico proprium, quo commendantur Herodoti Musae. Uti enim in illo ubivis immiscentur episodia, ita iis quoque ad illius carminis normam inserendis summam operi suo venustatem conciliavit: qua de re nunc agendum.

§ II.

Episodia.

Varietas et simplicitas uti carminis epici nota, qua commendatur, esse solet peculiaris, ita episodiis eius venustas haud parum augetur, uti ex antiquorum epicis carminibus egregie intelligitur. Narraverat Homerus, primis Iliadis libris, quae Graecis Troianisque prospera et adversa acciderant; ab utraque parte egregii duces vel interfecti, vel vulnerati erant; Dii Deaeque rebus se humanis saepius immiscuerant, quorum alii Graecis, alii Troianis auxiliati erant. Hector postquam aliquamdiu animum desponderat, ad pugnam rursus proficisci de-

rare statuit: de Vet. script. censura C. 3. p. 425. Conferri meretur Wandelaincourt, l. l. p. 29.

decreverat, a quo eum proposito summa ope avertere nitebatur eius uxor Andromache. Hoc nactus argumentum poëta, copiose illud et mira suavitate enarrat. Videmus Andromachen de mariti reditu desperantem, audimus Hectorem se proficisci dicentem Troianorum metu, et, quod prae ceteris huic episodio suavitatem conciliat, videmus parvulum istum Astyanactem prae splendidissimorum metu armorum a patre recedentem, et clamore ad nutricem se suam convertentem. Totam autem rem ita ob oculos ponit Homerus, ut ne pictura quidem, qua hoc expressum sit negotium, magis vel nos movere vel rem accuratius proponere possit. Pariter se commendat Homeri Ilias cum aliis episodiis, tum Graecorum nocturna expeditione in castra Troianorum; armorum descriptione, quae a matre Thetide accepit Achilles; ludorum imprimis narratione, qui in Patrocli honorem celebrantur. Nec cedit Homero Virgilius episodiorum frequentia et venustate, in quibus res Didonis praecipuum quendam locum occupant. Has autem discursiones eo imprimis valere, ut epica narratio varia reddatur et ita simul venusta, unusquisque sponte intelligit.

Et haec quidem, quae diximus, si vera sunt, uti sunt verissima, maiorem etiam Herodoteo

 ope-

operi venustatem conciliant episodia, quoniam iis magis opus est historiae metri legibus solutae aliisque poëseos ornamentis magnam partem carenti, cuius ita venustas et varietas continuâ earundem rerum narratione non magnopere promoveri potest.

Quae apud Herodotum occurrunt episodia, referuntur maximam partem vel ad regionum gentiumque descriptionem, qua terrarum situs, fluminum ratio, populorum sacra, leges, instituta continentur; vel ad celebrium virorum vitas, mores, res gestas, varias fortunas; vel tandem ad antiquas gentium traditiones (*a*). De singulis nobis singulatim agendum.

Ad primum igitur quod attinet genus, operis iam initio luculentissimum illius habetur exemplum (*b*). Cyrum enim narrat Herodotus, variis sibi subiectis regionibus, Assyrios quoque invasisse. Hoc igitur loco non perpetua habetur narratio; sed invertit orationem auctor et episodii loco urbis Babylonis situm, mag-

(*a*) Conf. Doct. Geinoz, in libro cui titulus: *Defense d'Herodote contre les accusations de Plutarque*, in calce Larcheri editionis Tom. VI. p. 575. Invenitur etiam in *Mémoires de l'Academie des Belles Lettres* Tom. XIX.

(*b*) Lib. I. C. 178 sqq.

magnitudinem, formam, quomodo ſit condita, quaenam ſit ratio parvi illius fluminis *Is*, haec igitur omnia copioſe accurateque perſequitur; porro mentionem facit Iovis Beli templi, enarrat etiam ſacerdotum fraudem de Dei in templum adventu et ſomno, alia; tandem ne ſingula recenſeam, Babylonis memorat et totius adeo Asſyriae praeſtantiam, agrorum fertilitatem, navigandi rationem per Euphratem, huius item gentis mores accurate et eleganter notat: quae tamen omnia ita narrantur, ut Cyri ſimul etiam ob oculos ponatur in hunc populum expeditio (*a*).

Is-

(*a*) Plura quoniam huius generis epiſodia afferre infinitum est, loca tantum indicabimus ubi alia habentur eiusdem generis exempla. Vid. igitur Lib. II. C. 17. ſqq., ubi Aegyptiorum ita mentio fit, ut plurima ſimul addantur v. c. de Nilo, de moribus Aegyptiorum, de eorum ſacris, (quatenus ſcilicet de iis ei dicere licebat) animalibus, ſimilibus: hoc autem ipſum, quod citamus, aliud iterum in ſe continet epiſodium; in media enim Aegypti narratione verſans, Cap. 44. dicit noster, Tyrum ſe profectum fuiſſe, ut Herculis Tyrii templum videret. Hoc autem loco, huius templi propriis et antiquitate notatis, ad Aegyptios redit. Porro. Lib. IV. C. 2. quo loco accurate de Scytharum origine, moribus, ſimil. disputatur. Eâdem prorſus ratione Lib. V. C. 6. agit de Thracibus; et Lib. VII. in exponendis Xerxis adverſus Graecos copiis, variarum gentium varios notat mores a Cap. inde 61; alibi.

Istiusmodi autem, quas indicavimus, discursionum uti ea est ratio, ut miram Herodoteo operi concilient varietatem ac suavitatem, ita earum maxime in eo posita esse videtur praestantia, quod antiqui nobis orbis exhibeant conditionem; cuius quidem orbis nisi ex Herodoto nobis cognita esset geographia, remotissimae illae non magnopere nobis innotuissent regiones. Est igitur quod statuamus, Herodoteum opus plurimarum non tantum gentium historiam continere, sed uberrimum item esse rerum geographicarum fontem (*a*).

His autem, quae de regionum situ, conditione, fluminibus, apud historiae patrem habentur, episodiis, non postponendae videntur, quae apud eundem de celebrium virorum ingenio et facinoribus inveniuntur discursiones, quarum nunc unum alterumve proponere lubet exemplum. Res Lydorum memorans Herodotus pervenit tandem ad Croesum, cuius breviter enarrat potentiam ad eumque doctorum e Grae-

(*a*) Egregia est hac de re Fuhrmanni observatio l. l. p. 109. ita statuentis: *Herodot's werk ist nicht passend betitelt Geschichte, sondern mehr Geschichtliche Länder- und Völkerkunde zu überschreiben.* Utilitatem ita ex istiusmodi percipi posse episodiis quam maximam, nemo facile in dubium vocabit.

Graecia virorum adventum, in quibus citat Solonem Athenienſem. Iam vero in huius proponendo cum Croeſo colloquio, Croeſi ſimul cum adumbrat tum exprimit ingenium (*a*). Quod licet proprie non ſit necesſarium, in legendis tamen huius Regis facinoribus maximopere placet.

Eadem ratione Lib. II. Aegyptiorum hiſtoriam fuſius enarrans, ut ad Nechonem pervenit, huius etiam conſilia et res geſtas diligenter tradit (*b*). Huc autem praeſertim referendi ſunt, qui in bellis Perſicis inclaruerunt, duces. In iis enim vix praeclarus exſtitit vir, quin eius non tantum mentionem fecerit, ſed et mores atque praeclara quaeque facinora ſimul notaverit Herodotus; cuius rei exemplum ſit Leonidas. Huius enim Lib. VII. c. 204. primum recenſet, quod ab ipſo Hercule ducit, genus; eiusdem porro c. 205. memorat prudentiam omniaque ad Thermopylas praeclara facinora (C. 220. ſqq.) (*c*).

Su-

(*a*) Habetur hocce colloquium Lib. I. C. 29. Croeſi tamen eodem libro pasſim mentio ſit.

(*b*) C. 158. Citavimus Nechonem, ſed ita aliorum quoque regum accurate apud noſtrum deſcribuntur res geſtae.

(*c*) Alia exempla praebent Lib. I. C. 60. Lib. III. C.

Superest ut de tertio agamus episodiorum genere, quod mythologicis continetur traditionibus; in quo genere quam libenter versatus fuerit historiae pater, exinde imprimis intelligitur, quod innumeras huius generis operi inseruerit discursiones. Ita initio iam (*a*) traditio illa habetur de Arione; qua haud minus placent, quae Lib. II. C. 121. de fure narrantur Aegyptiaco, aut Lib. VI. C. 129. de procis in mensa ad varios modulos saltantibus (*b*).

Horum autem episodiorum uti ea est ratio, ut delectent atque nauseam antevertant, quae ex continua oritur narratione, ita aliae eiusdem generis occurrunt discursiones, quae utilitate se quam maxime commendant; cuius rei Librum secundum luculentissimum praebere putamus indicium. Ibi enim Aegyptiorum notans religionem, non tantum eam tradit Herodotus, sed ansam inde capit, ut in Graecorum simul inquirat Deos, ora-

C. 153. Lib. IV. C. 76. Lib. VII. C. 155. et Lib. VIII. C. 61. 95. 124. et passim; hoc enim libro indoles et omnino notatu digna memorantur Themistoclis, Aristidis aliorumque principum ducum.

(*a*) C. 23.

(*b*) Plura exempla vid. Lib. I. C. 3. Lib. II. C. 111. Lib. VI. C. 61. alibi.

oracula, mysteria, eaque fere omnia ab illis ad hos pervenisse accurate exponat.

Nec vero id tantummodo spectavit auctor, ut, quae antiquitus gesta erant, bella, regionum nonnullarum situm, conditionem, similiave memoriae mandaret, sed, quod longe praestantius est, voluit tanquam philosophus homines docere, voluit omnino hanc ex eius opere perceptum iri utilitatem, ut virtus excoleretur. Hoc autem quum praecipue sibi proposuisset, ita ab initio iam Croesi inducendâ et Solonis discursione, efficacissime monet homines, ne beatos se habeant divitiis affluentes, multis utpote mediocria habentibus, divite et rege adeo, felicioribus. Ostendit porro subiectos esse homines fortunae vicissitudinibus, omne numen invidum esse et turbulentum (a), nullum idcirco ho-

(a) Operae pretium sit de hac dicendi ratione accuratius paullo agere; ex ea enim ansam cepit Plutarchus, Herodotum perstringendi: *de malignitate Herodoti* C. 15. p. 445. edit. Wytt. Tom. 4. Sed quomodo illa explicanda sit, quidque ea significaverit, ipse nobis ostendit Herodotus. Haud voluit, ut eum significasse dicit Plutarchus, τὸ θεῖον esse invidum, sed, uti ipse explicuit Lib. VII. C. 10. τὸ θεῖον ferre non posse, hominem insolescere, sibique maius quid esse videri quam re vera est; Deum enim non alium sapere, quam se ipsum, sinere. Conf. omnino Larcherus in notis ad Herod. Lib. I. C. 32. et ad C. 16. li-

hominem ante mortem dici posſe *beatum* (*a*). Hac igitur ratione ad virtutem excitare ſtudet homines, eaque deinceps monita exemplis probare inſtituens, egregia inducit epiſodia. Quum enim Solonem induxerat Croeſum monentem ne beatum ſe haberet, utpote divitiis excellentem, ita nunc discurſione quadam nos docet quam parum ad veram felicitatem conducant divitiae; idem enim, qui ſe omnium longe feliciſſimum putaverat hominum, et ita inſolenter ſe gerere ſolebat, fortunae nunc calamitatibus nobis proponitur a ſummo felicitatis faſtigio repulſus. Croeſo enim ſomnium oblatum erat, alterum ſibi filium ferrea cuspide periturum esſe. Pater autem, quamvis etiam ſumma ope niteretur, ut hoc a filio averteret malum, fatum tamen evitare non poterat. Qui enim ipſi, altero utpote filio muto, cariſſimus erat Atys, idem ille Adrasti deinceps occiditur iaculo. Croeſus vero etiamſi tum iam non

libelli *de malignitate Herodoti*, qui post eius habetur Gall. edit. Denique ita Herodoti de divina providentia explicandam esſe opinionem ſatis ſuperque ex iis patet, quae habentur Lib. III. C. 108.

(*a*) Hanc ſententiam certatim quaſi adhibuerunt antiqui et imprimis tragici. Vid. ex. gr. Sophocles in Oedip. tyr. vs. 1528. et Euripides in Androm. vs. 100. in Troad. vs. 511. in Elect. vs. 960. et in Heraclid. vs. 860.

non ita felix, ita tamen deinceps fortunae quasſatur vicisſitudinibus, ut efficacisſimum praebeat exemplum, quam parum ante mortem felices praedicandi ſint homines. Qui enim potentisſimus et vero ditisſimus fuerat Lydorum rex, idem a Cyro deinceps ſubactus rogo imponebatur. Utrumque autem hocce, quod citavimus, epiſodium ut venustate ſe commendat, ita tragicis fere affectibus (*a*) adeo est plenum, ut, ſi oratione traditum esſet ligatâ, haud multum interesſet inter

(*a*) Obſervari hoc loco meretur, hanc esſe Herodoti in narrando rationem, ut, quam primum homines memorat populosve Deorum conſilio e ſummo felicitatis fastigio repulſos, inque pesſima quaeque ita proruentes, ut fortunae calamitatibus pares esſe deſinant, ſuam ipſe toto orationis habitu derepente mutando abunde patefaciat miſericordiam. Hanc autem orationis, ut ita dicam, tristitiam augeri etiam obſervamus, cum hominum mentio fit, qui inſontes in perniciem ipſi ſuam proruunt tyranni v. c. vel perverſis aliorum conſiliis decepti. Vid. Dionyſio Halic. in Epiſt. ad Cn. Pompeium C. 3. p. 774. Hoc autem loco illud obſervandum esſe duximus, quia in narrationibus illis de Croeſo hanc imprimis nobis viſi ſumus deprehendisſe tristitiam; quae egregie quoque prodit cum aliis locis, tum praeſertim Lib. III. C. 39 ſqq. et C. 50. Quidquid ſit melius illud in legendo animadvertitur, quam exemplis illustratur.

ter eum, qui apud Sophoclem vel Euripidem occurrit, Oedipodem, et, qui apud Herodotum memoratur, Croesum. Duobus igitur hisce exemplis procul dubio iam probavit historiae pater, quae in colloquio Croesi cum Solone proposuerat, sapientiae monita. Quod exinde quoque percipi potest, quod post memoratum illud colloquium talis habetur transitus: *Μετὰ δὲ Σόλωνα οἰχόμενον, ἔλαβε ἐκ θεῶν νέμεσις μεγάλη Κροῖσον, ὡς εἰκάσαι, ὅτι ἐνόμισε ἑωυτὸν εἶναι ἀνθρώπων ἁπάντων ὀλβιώτατον* (*a*).

Huiusmodi autem summae sapientiae praecepta per totum deinceps opus ubivis in episodiis prodeunt. Cuius rei primaria quaeque exempla habentur Lib. I. C. 204 sqq.; ubi Cyrus in Massagetarum regione mortuus, pessime a Tomyri huius gentis regina habitus fuisse traditur. Nec mirum. Periculosissimam enim hancce susceperat expeditionem genere suo et fortitudine fretus, quod maius quidquam homine sibi esse videbatur (*b*). Pari prudentiâ Li-

(*a*) Vid. Abbas Geinoz, l. l. p. 581. qui de toto hoc argumento omnino conferri debet.

(*b*) Uti habetur C. 204. Eum autem refutat Tomyris C. 207. Probat igitur Cyri quoque historia τὸ θεῖον hominis ferre non posse vanam istiusmodi iactantiam. Hanc

Libro III. C. 64. in Cambysis historia, qui graviter vulneratus erat eodem loco, quo ipse Aegyptiorum Deum Apin antea percusserat, viri nobis proponit exemplum, qui ob impietatem (*a*) gravissime a Diis punitur: quem quidem virum ita loquentem inducit, ut suo se probare dicat exemplo, hominem avertere non posse quod sibi est eventurum: se enim fratrem Smerdin properantius, quam prudentius interficiendum curasse. Sed haec omnia licet Herodoti satis declarent propositum, ut per totum opus probaret, quae illius initio protulerat, palmaria effata, ita huius rei prae ceteris documentum est Polycratis historia (*b*). Hic enim etsi ita felix, ut Amasis, Aegyptiorum rex, fieri non posse statueret, ut homo hominem casui eventuro eriperet (*c*), Polycratemque non bene moriturum esse cogitaret, qui in omnibus felix fuisset; atque ideo ius hos-

Hanc vero alii scriptores saepissime usurparunt sententiam; in quibus imprimis Tragici. Vid. e.g. Sophocles in Aiace Mast. vs. 758 sqq. et in Antig. vs. 127. et ib. vs. 604.

(*a*) Cuius documentum quoque exhibet C. 16.

(*b*) Lib.. III. C. 39 sqq.

(*c*) Idem saepius apud tragicos occurrit effatum, uti v. c. apud Sophoclem in Antig. vs. 951, qui locus omnino est palmarius. Conf. Eur. in Ion. vs. 1387. et Aeschyl. in Prom. Vinct. vs. 105.

hospitii cum illo solveret: hic igitur postea tamen turpiter obiit (*a*). Probavit igitur noster hac de Polycrate inserendâ discursione, quam antea Solonem dicentem induxerat, sententiam, „ *neminem ante mortem felicem esse habendum*" (*b*). Sed in re nota plura cumulare supersedeo exempla (*c*). Hoc unice addendum puto, veram demum hanc esse et efficacissimam rationem, qua homines ad virtutem et excitet historicus et adducat. Et profecto qui in Herodoti se penitus insinuavit opus, vel fallor equidem, vel uberrimos exinde perceperit fructus. Quae cum ita sese habeant, haud, ut opinor, immerito quispiam affirmaverit, plurima esse in Herodoto, quae vel utilitate, vel venustate se commendant, episodia, sed longe plura, quae utrâque hacce dote nulli facile, nisi ferreo prorsùs, non placere possint (*d*).

§ III.

(*a*) Vid. Lib. III. C. 125.

(*b*) Quod praeceptum non tantum episodiis continetur, sed ubivis in Herodoto occurrit; sic ut unum excitem exemplum Lib. VII. C. 203. Graeci Locris Opuntiis et Phocensibus dicunt nullum nec esse, nec futurum, cui non aliquando malum acciderit, mortalem.

(*c*) Habentur illa ex. gr. Lib. II. C. 120. Lib. VII. C. 46. et Lib. IX. C. 16. Vid. Abbas Geinoz, l. l. pag. 586, ubi alia quoque notantur exempla.

(*d*) Ipse Herodotus se amare dicit episodia Lib. IV. C.

§ III.

Ratio dramatica.

Prouti haec esse solet carminis epici ratio, ut varietate se commendet simul et simplicitate, ita dramatica item ratione lectorum animos tenet et in sui prorsus rapit admirationem. Quae quidem norma cum Homeri exprimitur carminibus, tum Virgilii Aeneide. In utroque carmine non ipse omnia enarrat poeta, sed Deos hominesque sic secum invicem colloquentes inducit, ut ipsius Tragoediae vix desideremus vim et efficaciam. Sic in Virgiliana Aeneide continuo occurrit Iuno, Troianis infesta, Aeolum rogans, ut tempestatem iis immittat per mare navigantibus:

Aeole, namque tibi Divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,

Ili-

C. 30. Voluit enim, ut ait Dionysius Hal. in Epist. ad Cn. Pompeium C. 3. p. 771. *ποικίλην ποιῆσαι τὴν γραφὴν Ὁμήρου ζηλωτὴς γενόμενος.* Qua tamen in re si nimis a proposito se suo deflectere animadvertit neque perspici posse quare alicuius rei mentionem faciat, istiusmodi quid addit; *quamobrem huius rei mentionem fecerim, dicam:* Vid. ex. gr. Lib. VIII. C. 55.

Ilium in Italiam portans victosque Penates:
Incute vim ventis.

Nec subiicit poëta, facilem se praebuisse Aeolum his Iunonis precibus: ipsum deinceps veluti *audimus* Aeolum, his verbis Deae gratificantem:

tuus, ô regina, quid optes,
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.

Emissis ventis, indignatur Neptunus. Sed efficacissima enarratione haud ita exprimere potuisset Virgilius potentissimi Dei auctoritatem et vero maiestatem, ut dramatica expressit ratione:

Tantam vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam coelum terramque meo sine numine, venti,
Miscere et tantas audetis tollere moles?
Quos ego. — Sed motos praestat componere fluctus (*a*).

Quodsi huiusmodi Deorum hominumque colloquentium inducendorum ratio, epico carmini propria, placet non tantum, sed et loquentibus nos veluti praesentes reddit, quis est, qui eam in Herodoto, maioris quippe plerumque momenti inducente colloquia, non prorsus divinam existimet? Ita enim hic ad carminis epici normam opus suum concinnans, varietatem mi-

(*a*) Aen. I. vs. 65 sqq. et vs. 132 sqq.

mirum in modum promovet; placet ita, et nos, cum primariorum ex antiquitate virorum de gravisſimis quibusque rebus disſerentium, cum etiam aliorum hominum prorſus auditores reddit. Sic equidem in ſuavisſima illa de Cyro legenda narratione, Astyagis bubulcum fere mihi videor, quid ſibi in Harpagi domo accidisſet, narrantem audire. Nec mirum. Tam nativâ enim, istiusmodi hominis indolem prorſus referente, ſimplicitate hoc tradidit Herodotus, ut nonnunquam totum hocce colloquium me non legere existimaverim, ſed mihi finxerim bubulcum haec *mihi* omnia narrantem, mecum hac de re deliberantem et tandem ſublato velo dicentem: *νῦν τε ὅδε ἐστὶ* (*a*). Quodſi Cyri deinoeps attendimus cum avo ſermones, eodem prorſus afficimur ſenſu. Puerilem enim cum audacia quadam coniunctam quid melius exprimit indolem, quam Cyri illud ab Astya-

ge

(a) Ita enim pro ὧδε Mſs. quorundam auctoritate legere video Larcherum in notis ad hunc locum, et, ſi meam mihi licet proferre opinionem, rectisſime. Nativae enim Herodoteae dicendi rationi uti optime convenit istud *et nunc ecce puerulum*, ita frigidum ſit colloquium ſi legitur, *et nunc res ita ſeſe habet*, Patet praeterea ex ſequentibus, bubulcum, re uxori expoſita, puerulum illum detectum ostendisſe. Rem autem ſi ita nobis proponimus, aliter Herodotum vix ſcribere potuisſe opinor.

ge in ius vocati? „ Caeteri pueri, quae equidem tanquam rex iusseram, continuo peragebant, ille vero mihi non obtemperavit ideoque poenas dedit. Εἰ ὦν δὴ τοῦδε εἵνεκα ἄξιος τευ κακοῦ εἰμὶ, ὧδέ τοι πάρειμι.." Huius autem, quem attulimus, loci ut intelligamus et penitus perspiciamus praestantiam, tollamus paulisper dramaticam eius formam, ut omnia ex Herodoti personâ dicta sint, hunc fere in modum. „ Postquam Harpagum iusserat Astyages ex Mandana natum puerulum interficere, illum prae Mandanae metu occidere recusans Harpagus, bubulco cuidam necandum tradidit, qui tamen misericordia ductus filiolum ipse suum mortuum exposuit, Cyrum contra uxori educandum commisit. Cyrus autem decennis a pueris, quibuscum ludere solebat, rex creatus, unum eorum dictis suis minus obsequentem verberibus caedi iussit; quod puer aegre ferens mox domum redux patri enarravit. Hic autem ira, ut erat, percitus, regem adi[illegible] eique se a bubulci filio nefaria passum esse dixit; quibus auditis rex bubulci illum filium arcessi iussit. Hic vero quum adesset, ex eius dictis, oris habitu, liberaliori gestu, regem eius cognitio subiit. Perculsus ita continuo rem exploravit Astyages, eâque cognitâ, crudeli deinceps ratione punivit Harpagum." Haec igitur,

tur, quae Latine appofuimus, licet Graece et Herodotea ratione tradita, maioris fane esfent fuavitatis, nemini tamen magnopere placerent (*a*). Ratio enim illa διηγηματικη, fi continue in opere quodam obtinet, quam ieiuna fit, quamque idonea ad lectorum animos taedio afficiendos, testes funt innumeri illi, qui hodieque etiamnunc hac ratione confcribuntur, libri.

Istiusmodi autem colloquia prouti miram in lec-

(*a*) Huius dramaticae rationis praeftantiam pauci illi in Herodoto ostendunt quoque loci, quibus e duabus, quae proponuntur, fententiis, alteram e fua perfona, alteram dramatice tradit; uti v. c. Lib. VIII. C. 108 fq. Hoc enim loco Eurybiadis fententia narratur, Themistocles vero loquens inducitur; et Lib. IX. C. 2., ubi partim Thebanorum traduntur opiniones, partim eorundem cum Mardonio habetur colloquium; quorum locorum quaenam in legendo magis placeat pars, fatis facile est diiudicatu.

Obfervari praeterea potest, dramaticae rationis ope haud pauca huic operi immixta esfe venusta fimul et utilia, quae nullo alio modo ei inferi potuisfent; cuius rei exempla fint Lib. V. C. 92, ubi Soficles Corinthius loquens inducitur de Tyrannide et anfam inde capiens Corinthiorum exponendi conditionem fub Cypfelidarum tyrannide; et Lib. VI. C. 86; ubi Leutychidae occurrunt fermones de reddendis Aeginetis decem viris, qui Athenis erant depofiti. Hoc autem colloquio fimul continetur Glauci Lacedaemonii historia.

lectorum animos vim habent et efficaciam, ita alia ſunt plurima, quae, verborum non tantum ſuavitate, ſed rerum magis etiam praeſtantia et ubertate ſe commendant. Huius generis ſunt, ne Croeſi iterum colloquium citem cum Solone habitum, Perſarum post interfectos Magos de optima inducenda regiminis forma, ſermones, imprimis Demarati cum Xerxe, alii, de quibus quominus nunc agamus, nostrae nos vetat disputationis ratio, quandoquidem de iis infra accuratius disputandum erit (*a*).

Et ſic quidem huic ſectioni finem impoſituri, quae in illa disputavimus, breviter complectamur paucisque investigemus, quaenam maxime ex dictis confici posſint. Varietatem igitur, ſimplicitatem, epiſodia, dramaticam rationem Herodoti opus commendare probavimus. Haec autem omnia cum proprie ſint carminis epici dotes, affirmari posſe putamus, huius carminis rationem niſi expresſisſet noster, nunquam eius opus tot tamque egregiis ſe commendaturum fuisſe dotibus, ſed imaginem potius relaturum fuisſe priorum illorum, quos ſupra citavimus, historicorum (*b*). Cum igitur tan-

(*a*) Parte II. Sect. 3.

(*b*) Quorum opera quam parum delectare potuerint patet e Ciceronis Orat. C. 12. et Lib. de Orat. Lib. II.

tanta est carminis epici vis et efficacia, ut primariae Herodotei operis dotes illi ſint tribuendae, non mirum, Thucydidem huius carminis neglecta ratione, quod ad operis attinet dotes, Herodoto magnam partem eſſe inferiorem. Qua idcirco neglecta ratione, ſimul etiam neglexit varietatem et ſimplicitatem apud Herodotum ubivis obviam (*a*).

Ast vero licet primariae Herodotei operis ex hoc carmine expreſſae ſint dotes, res tamen non ita est accipienda, quaſi nullis aliis, niſi quae ex uberrimo hocce proveniant fonte, ſe commendet dotibus. Qua de re ne perverſa ſtatuatur, breviter nunc disputare lubet.

SECTIO ALTERA.

DE CAETERIS HERODOTEI OPERIS DOTIBUS.

Quam ſupra iam univerſe in Herodoto obſer-

II. C. 12. Conf. Barthelemyus, in opere quod inſcribitur: *Voyage du jeune Anacharſis en Grece*, Tom. 5. C. 65. p. 427.

(*a*) Thucydidis opus *Annales* dicendum eſſe cenſet Barthelemyus, l. l. p. 432. Quod tamen iudicium durius videtur. De eius obſcuritate aliisque vitiis conf. Cic. in Orat. C. 9. Dionyſius Halic. *de Veterum ſcript. cenſura in iudicio de Philisto et Xenophonte*. p. 427.

servavimus simplicitatem, eandem nunc, quod ad verba attinet et dicendi formulas, ad Hebraicam prorsus accedere simplicitatem, primum nobis probandum erit: cui quidem nullum facile apud reliquos Graecos scriptores propius accedit scribendi genus. Operis iam initio haec, ni fallor, luculentissime prodit similitudo. Quod enim ibi habetur *Herodoti Halic. historiae haec est demonstratio*, quam simile sit Esaïae exordio, *visio Esaiae filii Amos*, Ieremiae, *verba Ieremiae filii Helciae*, Amos, *verba Amos*, aliorumque, qui dicuntur, prophetarum, unusquisque facile videbit. Eodem modo apud Herodotum legenti, *haec dixit Harpagus*, *haec Lydis Pythia respondit*, simplicissima illa statim succurrit cum aliorum scriptorum, tum imprimis prophetarum scribendi ratio, *ita dicit dominus Israëlitarum rex*. Quod praeterea apud Hebraeos invenitur, ut, licet supra memoratum esset, quisnam loqueretur, adderent tamen *haec igitur hic vel ille dixit*, eandem ubivis apud Herodotum deprehendere licet dicendi formam (*a*). Haec autem simplicitas satis magnam Herodotes operi

(*a*) Conf. Stephanus, post Gronovianam Herodoti edit. p. 744.

ri conciliat dotem; refert enim antiqui aevi nativam rationem, conquisitâ nondum verborum structurâ corruptam.

De Herodoti porro narrandi ratione uti observari meretur hilaritatem quandam, (*a*) in illa haberi cuivis gratam, ita dulcis est eadem, lenis, candida, (*b*) ab omni asperitate aliena; omnibus ita caret vitiis, quae in legendo nos vel minimum offendere possent. Et omnino in omnibus, etiam minoris momenti, rebus exponendis versatur fere noster, ut mulier quaedam, quae pueris elegantes quasdam mira cum suavitate exponere solet narrationes (*c*); quod tamen non ita accipiendum, quasi mulierculae alicuius instar gravissimas quasque res exposuerit Herodotus; valent enim solummodo de eius oratione, quae muliebri ratione quasi sedatus amnis (*d*) profluit, ita tamen, ut, quae hilaris imprimis est, lenis et suavis, eadem quoque ἐνεργείᾳ sese commendet ad persuadendum

(*a*) Vid. Fuhrmann, l. l. p. 110. coll. Dionysio Hal. in Epist. ad Cn. Pompeium C. 3. p. 777.

(*b*) Conf. Quinctilianus, Inst. Or. Lib. IX. C. 1.

(*c*) Ipse adeo Dionysius Hal. hanc ob causam *mulierem* dixit Herodotum, eique opponens Thucydidem *virum*, ut ait Fuhrmannus, l. l. p. 134.

(*d*) Ut ait Cicero in Orat. C. 12.

dum quam maxime idoneâ, uti et eloquentiâ, quam ipse adeo admiratus fuit Cicero (*a*).

Quod praeterea de Herodoteo opere notari potest, vel potius in illo admirari debemus, illud spectat, quod homines, quos loquentes induxit noster, eorumque mores non ad lubitum exhibuit, sed ita proposuit, ut patriae, aetatis, indolisque quisque suae prorsus referrent rationem. Sic v. c. Lib. IV. C. 19. inducitur Alexander Amyntae filius iuvenili prorsus ardore loquens (*b*). Sic Lib. VII. C. 101. qui Demarati habentur cum Xerxe sermones, eodem illi modo virum referunt, Persis licet faventem, Graeca tamen ratione sentientem Spartanamque indolem egregie prodentem. Ita in nobilissimo illo Gygis cum Candaule colloquio, hic barbara prorsus ratione loquens inducitur. Dicit enim, auribus mortales minus fidei tribuere quam oculis, non vero,

(*a*) Ut ait de Orat. Lib. II. C. 13.

(*b*) Conf. Lib. I. C. 37 sqq: sermones Atyos cum Croeso patre; et imp. Lib. VII. C. 46 sqq. Artabani cum Xerxe colloquia, quae cum politicâ prudentiâ, tum vero praestantissimis sapientiae monitis ita abundant, ut una in paucis placeant, teneant, inque scriptoris rapiant admirationem. Imo vero ob sententiarum, personis congruam, magnitudinem illa miratus est Hermogenes, p. 509.

ro, ut v. c. Graeci dixisſent, maiorem homines habere fidem iis, quas viderunt, quam, quas audierunt, rebus; quae a barbaro homine prorſus abhorruiſſet dicendi forma. Quum igitur barbarus loquens inducitur, ita horum hominum ratione optime ſigurato ſermone utitur (*a*).

In recenſendis porro Herodotei operis dotibus illud quoque animadvertendum videtur, id ſummo ſtudio egiſſe noſtrum, ut perſuaderet. Quod, ut ipſi cederet, cum alia adhibuit multa, tum quoque iſtiusmodi uſus eſt verbis, quae ab unoquoque homine uſurpabantur: quod ad perſuaſionem mirifice facere, quis eſt qui non videat? Nam, ut ait Dionyſius Hal.: ἀνάγκη που ὅταν τοῖς κυριωτάτοις τε καὶ προσεχεστάτοις ὀνομάσιν ἐκφέρηται τὰ νοήματα μηδὲν σεμνότερον εἶναι, ἢ οἷα ἐστιν (*b*); quod percipiens noſter ipſa adeo proverbia ex communis, quae dicitur, vitae uſu ſumſit (*c*).

Ul-

(*a*) Hoc ex Herodoto exemplum tenuit Dionyſium Hal. in Arte Rhet. C. 11. § 4. p. 400.

(*b*) De Compoſ. Verb. Tom. 5. p. 20.

(*c*) Ut unum tantum excitem, vid. Lib. VI. C. 1. τοῦτο τὸ ὑπόδημα ἔῤῥαψας μὲν σὺ, ὑπεδήσατο δὲ Ἀρισταγόρης. Conf. Lib. I. C. 62. Lib. VII. C. 51. Cum vero ea eſſe ſolet hominum ratio, ut minae in illos intentae longe

Ultimo denique loco Herodoto proprium esse monemus, ut eius oratio sponte quasi et ultro procedat, nec longis sententiarum sive periodorum ambagibus lectori molestiam praebeat. In ipsis adeo orationibus, quamvis eloquentiae dotibus haud sint destitutae, longae vix occurrunt periodi (*a*). Quae simplicitas licet a nonnullis fortasse improbetur, cultissimo sane cuique maxime placet.

Et sic quidem, Viri Cl., primam propositae quaestionis partem ad finem perduximus. Quae in illa de Herodoti dotibus disputavimus cum ipsi observavimus, tum vero ex aliorum de summo viro testimoniis in medium protulimus. Quomagis autem in illius nos insinuare studemus opus, eo magis veram illam admiramur et palmariam prorsus summi Wyttenbachii de summo historico sententiam: „*Herodotus nar-*
„ *rator est dulcis, lenis, candidus, ut fere senem*
„ *vi-*

ge maiorem habeant vim, si quidem obscure et allegorice, quam aperte proferuntur, ita egregie istiusmodi ratione uti solet noster, uti ex. gr. patet ex Lib. VI. C. 37, ubi Croesus Lampsacenis minatus non dicit se illos funditus perditurum esse, sed pinus in modum excisurum.

(*a*) Vid. imprimis Lib. III. C. 53. Conf. Lib. IV. C. 97. alibi.

„ *videre videamur post longinquas peregri-*
„ *nationes domum reducem, in ſolio ſeden-*
„ *tem, libenter referentem cum quae vide-*
„ *rat, tum quae audiverat, ne iis quidem*
„ *exceptis, qnae incredibilia ipſe iudica-*
„ *ret"* (*a*).

(*a*) In Praefat. ad Sel. Princ. Hist. p. 10.

PARS

PARS ALTERA.

HERODOTI IN REBUS GENTIUM ENARRANDIS VIRTUTES.

De huius operis dotibus uti omnes, ipsi adeo eius obtrectatores, idem fere protulerunt iudicium, ita illius virtutes ab aliis alio prorsus modo sunt diiudicatae. Fuerunt enim, qui egregias in hoc opere sibi invenisse visi sint virtutes, illasque ita patronorum instar ab iniustissimis adversariorum reprehensionibus summo ardore tueri studuerint (*a*). Fuerunt contra alii, qui, de operis dotibus licet magnifice existimantes, eius tamen virtutes fere nullas esse putarent (*b*). Quorum quidem omnium, sin-

(*a*) Uti v. c. Henricus Stephanus, Iosephus Scaliger, Ioach. Camerarius, Henr. Böclerus, Abbas Geinoz. alii.

(*b*) Uti ex antiquis Ctesias, Manetho, Thucydides, Plutarchus, Lucianus; ex recentioribus autem Götze, Creuzerus; V. Fuhrmannus, l. l. p. 118. Plutarchus acerrimus ille Herodotei operis obtrectator in libello *de malignitate Herodoti* C. 43. fine, quod ad eius attinet do-

singulatim explorare et diiudicare opiniones, haud necessarium esse censemus, si quidem plerique historiae patrem fabularum tantummodo dixerunt elegantem narratorem. Plutarchus vero cum de industria hac de re agens. id Herodoti declarare studuerit fuisse in scribendo propositum, ut cum universae Graeciae gloriam, tum vero uniuscuiusque gentis praeclara quaeque facinora malignitate quadam notaret et detrectaret adeo; nos huius, ut ita dicam, in accusatoribus choragi, accuratius exponemus et diiudicabimus opiniones. Sed primum cum aliorum tum nostram ipsi sequentes opinionem, praestantissimas quasque in Herodoteo opere virtutes ostendere conabimur.

SECTIO PRIOR.

DILIGENTIA IN REBUS GEOGRAPHICIS COGNOSCENDIS.

Ex haec profecto una omnium communis sen-

dotes, γραφικὸς, inquit, ἐστὶν ἀνὴρ, καὶ ἡδὺς ὁ λόγος, καὶ χάρις ἔπεστι, καὶ δεινότης, καὶ ὥρα τοῖς διηγήμασι

μῦθον δ' ὡς ὅτ' ἀοιδὸς ἐπισταμένως

μὲν οὔ, λιγυρῶς δὲ καὶ γλαφυρῶς ἠγόρευκεν. Eodem modo ceteri obtrectatores has ei dotes tribuere debuerunt.

ſententia, nec in antiquis nec in recentioribus exſtitisſe geographum, qui maiori, quam Herodotus, rebus geographicis cognoscendis ſtuduerit diligentiâ; quae quanta fuerit ex iis, quae Introit. § 3. disputavimus, quodammodo effici posſe videtur. Variis enim ſusceptis itineribus, de quibus memoriae prodidit, quam plurimas Herodotus cognovit regiones. Sic v. c. viſitavit totam fere Graeciam, Epirum, Macedoniam (*a*), Thraciam, Aegyptum, Palaeſtinam; inque ipſam adeo Scythiam ſe contulisſe videtur (*b*). In Asſyriam autem num profectus fuerit inter eruditos non conſtare video (*c*); quod licet certe probari non posſit, mihi tamen verisſima esſe videtur Bouherii hac de re disputatio, Herodotum revera Balylonem, pulcerrimam Asſyriorum urbem, adiisſe ſtatuentis (*d*).

Ad eius autem in hisce itineribus quod attinet

(*a*) Quod ex iis quoque patet quae habentur Lib. VII. C. 129

(*b*) Abunde hoc confici potest ex Lib. IV. C. 81. et C. 124.

(*c*) Vid. Larcherus in vita Herodoti. p. 75.

(*d*) Cujus hac de re palmariam disputationem, non posſum, quin integram apponam.

Quoique les pasſages d' Hérodote, (Lib. I. Cap. 178. et C. 183.) *qui ont fait croire à beaucoup de gèns, qu' il avoit été réellement a Babylone, ne ſoient pas biens clairs, il*

net diligentiam, exinde ea satis superque appa-ret, quod v. c. in Aegypto Memphiticis Sacer-do-

il n' est presque pas possible de douter, qu' il ne l' ait vue, si on veut prendre la peine d' examiner la description exacte qu' il fait en ses endroits de toutes les singularités de cette grande ville et de ces habitans. Il n' y a guère, qu' un témoin oculaire, qui en puisse parler avec autant de précision, sur-tout dans un tems où aucun autre Grèc n' avoit encore rien écrit là-dessus.

De plus qu' on fasse attention à la maniere (C. 183.) *dont il parle d' une statue d' or massif de* Jupiter Bélus, *qui étoit dans Babylone, et qui avoit douze coudes de hauteur. En avouant, qu' il ne l' a pas vue, parce que le roi Xerxès l' avoit fait enlever, n' est ce pàs insinuer tacitement, qu' il avoit vu toutes les autres choses qu' il dit être dans cette grande ville? il est aisé aussi de reconnoître par divers autres passages de son ouvrage,* (C. 181, 182, et 183) *qu'il avoit conferré sur les lieux avec des Babyloniens et des Perses,* (recte hoc loco Larcherus in vita Herodoti p. 76. nota 3., observat; *Monsieur* Bouhier *auroit dû dire avec Herodote* des Chaldéens, *et cela auroit donné une plus grande force à sa preuve; car les Chaldéens, qui étoient les Prêtres des Babyloniens ne voyagoient point en ce tems-la hòrs de la Babylonie*) *sur ce qui regardoit leur religion et leur histoire. D' ailleurs il n' est guére vraisemblable, qu' un homme, qui avoit parcouru tant de differents pays pour s' instruire de tout ce qui pouvoit les concerner, éut negligé d' aller voir une ville, qui passoit àlors pour la plus belle du monde, et où il pouvoit recueillir les mémoires les plus sûrs pour l' histoire, qu'il preparoit de la haute Asie, surtout en ayant approché de ci près. Recherches et dissertations sur Herodote* C. 1. p. 4.

dotibus minus fretus, earundem rerum cognoscendarum causa ad Thebanos se contulit et Heliopolitanos sacerdotes, quorum porro collata inter se et prorsus congruentia dicta memoriae prodidit. Hoc igitur exemplum Herodoti cum probet in rebus cognoscendis diligentiam (*a*), quis est qui eum non eandem adhibuisse censeat in geographiâ rite explorandâ? Sed hanc sententiam exemplis quibusdam confirmare libet.

Herodoti igitur in rebus geographicis cognoscendis diligentia cum ex aliis locis patet, tum imprimis ex Lib. II. historiam complectente rerum Aegyptiacarum; cujus libri jam Cap. 19 ita memorantur Nili propria, ut vel hic unus locus plurium instar totum hoc negotium probare posset. De hujus igitur fluvii natura quum a sacerdotibus nihil accipere se posse dixit, memorat Graecorum hac de re opiniones: quarum tamen duas vix mentione dignas existimat. Has

(*a*) Haec, ut opinor, mirabilis prorsus est diligentia in rebus adeo minoris momenti; sic v. c. ut de serpentibus aliquid veri cognosceret, in Arabiae quendam locum se contulit, vid Lib. II. C. 75. Imo vero eo procedebat Herodoti indagandi studium, ut, cum in Aegypto terram non videret e stagno Moeride effossam, incolas adiret eosque rogaret, ubinam illa tandem esset vid. Lib. II. C. 150.

Has igitur ad fabulas refert, atque ab Homero aut eo etiam antiquiori poëta fictas censet; quocirca iis memorandis minime contentus, suam ipse addit de Nili adscensu opinionem. De fluminis porro fontibus, eorum ait, quibuscum in colloquium venerat, sibi aliquid compertum habere neminem, nisi scribam quendam rerum sacrarum Minervae in Aegypto (*a*), cujus continuo memorat verba; addit autem, quod illam, quam saepius jam memoravimus, egregie declarat diligentiam; *haec quidem scriba affirmavit, modo vere pronuntiarit.* De eadem deinceps re suam subjungit sententiam. In tota autem descriptione habetur: *ego noscendi cupidus hac de re a sacerdotibus nihil percipere potui. Quas proposui opiniones improbantem, oportet me ipsum de illis rebus occultis ferre sententiam. Aliud ab alio quoquam audire non potui. Tale quidem ad longissimum indagavi, usque ad Elephantinem urbem ipse ad inspiciendum profectus*, similia. His ita dicendi formulis suam ipse ostendit in rebus hisce geographicis rite cognoscendis et memorandis diligentiam: imo anxie adeo aliorum prodit opiniones, metuens ne nimia iis habeatur fides. Rogat veluti ne sibi rei culpa imputetur; se enim

(*a*) C. 28.

enim adiisse, quos hac de re aliquid scire posse suspicabatur vel sacerdotes vel etiam alios homines omnes: ideo ad Elephantinem urbem, ut ipse rem inspiceret, profectum esse. Quidquid igitur alii afferant, ut hanc Herodoti in rebus geographicis non ita magnam ducendam esse ostendant diligentiam, nos potius praestantissimorum et perquam idoneorum judicum sequentes sententiam, et vero ex ipso Herodoto exempla petentes, summo loco eam habendam esse opinamur (*a*). Cujus idcirco ex eodem Lib. II. unum etiam indicium petamus (*b*). Disputat de Aegypto, de qua sacerdotum memoratis opinionibus, de regione, inquit, recte illi mihi dicere videntur, quod facile ei apparebit, qui, etsi antea nihil de ea audiverit, eam tamen inspexerit. — Hisce autem, quae protulerant sacerdotes, non contentus, quae ipse viderat, continuo adjicit, et accurate de hac regione agere incipit. Habetur ita elegans locus de ea Aegypti parte, quae Nili dono Aegyptiis acquisita esse credebatur: qua in re, ne sacerdotibus tantum, qui hanc tuebantur opinio-

(*a*) Hanc quidem Herodoti, de qua dicimus, diligentiam ejusque adeo hac in causa praestantiam, tanti duxit Fuhrmannus, ut maiorem ei geographo quam historiographo habeat fidem l. l., p. 122.

(*b*) C. 5.

nionem, credere cogeretur, ipſe ita rem explorare ſtuduit. Qua quidem exploratâ, recte dicit de ea regione disſerere ſacerdotes, ſibique, quae illi dixerant, prorſus vera videri (a). Obſervandum autem imprimis, cum ex antiquis plurimos asſenſos esſe Herodoti opinioni, tum vero ex recentioribus Mailletum, Schavium, Volneium, alios luculenter docuisſe, Deltae ſolum altius hodieque esſe quam fuit Herodoti aetate, et quotannis etiam novum a Nilo accipere incrementum (b).

Haec igitur, quae propoſuimus, exempla Herodoti, ut putamus, in rebus geographicis cognoscendis probant diligentiam; plura autem huius generis afferre documenta infinitum ſit et nauſeam creet. Quodſi quis quaerat, num etiam diligens fuerit Herodotus in iis, quas non vidit, cognoscendis terris, idem ei paratum est responſum. Earum enim, in quas ſe conferre non poterat, regionum, fide dignisſima ſummâ cu-

(a) Alia hujus diligentiae exempla exſtant Lib. I. C. 145. et 178. Lib. III. C. 117. Lib. IV. C. 17. 37. 99. et 168. et Lib. 7. C. 176. et aliis bene multis locis. Nonnullis tamen eorum mentio fit remotisſimarum et vero incultisſimarum regionum.

(b) Conf. imprimis Volney *Reize door Syrie en Aegypte*, Tom. I. C. 2. p. 20. ſqq. interp. Belg. qui luculenter Herodoti de Nili dono confirmat ſententiam.

curâ indagabat testimonia; et saepissime adire solebat homines eorumque inter se conferre documenta (*a*). Omnium vero, quae huc usque diximus, hoc maximum est veritatis testimonium, quod cum antiqui tum quotquot e recentioribus rem accuratius explorarunt, Herodoti in rebus geographicis laudarunt diligentiam. Sic v. c. quae de Aegyptiis memoriae prodidit, prorsus confirmarunt cum ex antiquis Strabo, tum ex recentioribus celeberrimi illi viri Wood, Schaw, Maillet, Savary, Andreossi, Denon, Geobert, Brown, alii (*b*). Ita etiam quae de Scythis tradidit, tam accurata sunt, ut, qui hac aetate in Bulgariam, Moldaviam, Bessarabiam, Crimeam se contulerunt peregrinatores, illosque adierunt homines, qui *Danubii Cozaci* dicuntur, fidem ei negari non posse affirmarint (*c*).

SEC-

(*a*) Sic in Colchidem se contulit, ut exploraret an vera essent, quae audiverat, Colchos origine esse Aegyptios; vid. Lib. II. C. 104.

(*b*) Fuhrmann. l. l. p. 123. Conf. La Harpe *Lycée ou cours de Litterature ancienne et moderne* Tom. III. p. 3.

(*c*) Conf. Larcherus in praefat. p. 29. sq. Operae pretium sit apponere, quod apud eundum Doct: cuiusdam viri, de Herodoti diligentiâ in Scythiae tradenda geographia, inveni testimonium. „*Malgré quelques ambiguités et quelques contradictions apparentes, qui se trouvent dans*

SECTIO ALTERA.

HERODOTI DILIGENTIA IN GENTIUM NOTANDIS MORIBUS, INSTITUTIS, LEGIBUS.

Vix ulla in Herodoteo opere memoratur gens, quin simul etiam eius mores, instituta, leges accurate describantur. Quae quidem descriptiones si ad operis referuntur dotes atque episodiorum habentur instar, mirifice illud commendant, quippe gratissimam ei varietatem conciliantes; ast vero earum haec est ratio, ut multo etiam magis ad operis referendae sint *virtutes*. Accuratam enim illarum gentium praebent cognitionem, quarum alio modo haud magna ad nos perventura fuisset notitia. Efficiunt ita, ut

dans la description géographique de la Scythie, il est certain, qu' Herodote à donné une attention extraordinaire à ce sujet. Par la declaration solennelle, qu'il fait dès le commencement, on peut suppose qu'il à u intention, qu'elle fit beaucoup d' impresfion. Il est peut-être rarement arrivé à un voyageur, qui à tiré d' une manière si casuelle ses connaissances concernant la géographie d' un pays aussi étendu que la Scythie, de faire une description dans la quelle on remarque tant de circonstances qui s' accordent avec la verité." Vid. Larcherus in not. ad Lib. IV. C. 16.

ut *in* plurimorum antiquitatis populorum historiam penitus nos insinuare possimus. Res autem exemplis illustranda est: et quoniam secunda Herodoti Musa iam saepius nobis usu venit, hoc quoque loco non prorsus ea praetermittenda videtur, aptissima quippe ad rem nostram confirmandam exhibens documenta. Uberius igitur postquam cum de aliis rebus, tum vero de Nilo egerat, ita Cap. 35. Νείλου μὲν, inquit, νυν πέρι τοσαῦτα εἰρήσθω. Ἔρχομαι δὲ περὶ Αἰγύπτου μηκυνέων τὸν λόγον, ὅτι πλεῖστα θωμμάσια ἔχει ἢ ἄλλη πᾶσα χώρη, καὶ ἔργα λόγου μέζω παρέχεται πρὸς πᾶσαν χώρην· τούτων εἵνεκα πλέω περὶ αὐτῆς εἰρήσεται. Et omnino, quod pollicetur, in sequentibus egregie exsequitur. Primum enim memorat, quae viris, quaeque feminis apud Aegyptios essent propria (*a*); accurate ita tradit omnes notatu dignos huius gentis mores; agit deinceps de gentis sacris, templis, sacerdotibus; varia nobis exhibet animalium, quae in hac regione habebantur, genera, eaque sedulo describit; immiscet subinde gentis leges, ut v. c. C. 92, quae apud

(*a*) Mira profecto et absurda fortasse videntur, quae de virorum apud Aegyptios mulierumque moribus prodidit noster: quibus tamen, quam parum hac in re neganda sit fides, infra videbimus.

apud eam de coniugio obtinebant. Haec autem omnia sic describit, ut, qui gentem quandam antiquam interius explorare cupit, nullo facile historico legendo magis animum expleturus sit, quam hoc tractando altero Herodotei operis libro (a).

Quae autem in Aegyptiacis Herodoti est ratio, eadem quoque in Assyriorum cernitur describenda historia. Memorata enim Lib. I. C. 177. Cyri in Assyrios expeditione, hanc porro ad Cap. usque 201 prorsus negligit. Interea enim, semel nominatis Assyriis, horum continuo fusius exponit leges, v. c. de locandis puellis, de aegrotis, de sepultura, de luctu, alias; ne-

(a) Apponere iuvat Savaryi testimonium. „*Je ne puis apprècier, que la partie de l' histoire d' Herodote, qui tracte de l'Egypte; et c' est avec la plus grande satisfaction, que j' ai retrouvé dans ce pays les moeurs, les usages, qu' il à decrits avec quelques legéres modifications;* in lib. cui titulus: *Lettres sur l'Egypte Tom. I. pag.* 101." Nobilissimus ille in Syria et Aegypto peregrinator Volneius, ita de Herodoto in iisdem memorandis rebus statuit: ante haec duo et viginti saecula eum illa de Aegypto scripsisse, quae nunc quotidie fere observantur. Interp. Belg. Tom. II. C. 2. p. 20. Fuhrmannus autem affirmat, plurima omnino, quae de Aegypto dixit noster, cum ab aliis peregrinatoribus, tum a Francis in Aegyptum expeditionem suscipientibus, confirmata fuisse l. l. p. 123.

nefandum istum tradit Veneris cultum; tum ichthyophagorum haud silentio praetermittit mores et vivendi rationem.

Pariter mores describit et instituta variorum Graeciae populorum. Sic agit v. c. Lib. VI. C. 56. de Spartanorum institutis; quaenam Regibus iura concesserint, sedulo exponit: morem etiam quendam huius gentis tradit, quo liberi paterna officia excipere solebant (a). Quod autem de Herodoti in rebus geographicis describendis observari potest diligentia, remotissimarum etiam et incultissimarum regionum eum proposuisse geographiam, idem quoque de eius in gentium notandis moribus, institutis et legibus valet diligentia. Non enim Graecorum solummodo, nec etiam cultiorum gentium, uti Aegyptio-

(a) Συμφέρονται δὲ καὶ τάδε Αἰγυπτίοισι Λακεδαιμόνιοι. οἱ κήρυκες αὐτέων καὶ αὐληταὶ, καὶ μάγειροι ἐκδέκονται τὰς πατρωΐας τέχνας· καὶ αὐλητής τε αὐλητέω γίνεται, καὶ μάγειρος μαγείρου, καὶ κῆρυξ κήρυκος· οὐ κατὰ λαμπροφωνίην ἐπιτιθέμενοι ἄλλοι σφέας παρακληΐουσι, ἀλλὰ κατὰ τὰ πάτρια ἐπιτελέουσι. C. 60. Conf. Diodorus Sic. Lib. I. C. 74. p. 86. Edit. Wesfel. Ceterum passim describuntur mores aliarum Graeciae gentium; loca autem, quibus illarum habetur descriptio, recensere infinitum foret, hic quippe illic earum mentio fit. Ita v. c. Lacedaemoniorum, de quibus agit noster Lib. VI. C. 56., aliud quid memorat Lib. III. C. 46., aliud Lib. IV. C. 77.

tiorum, Asſyriorum, aliorumve memoriae prodidit mores et instituta, sed pari diligentia de Barbaris, id est, incultis populis egit, cuius rei luculentissimum exemplum praebet Lib. IV., quo fusius exponitur Scytharum historia. Eo enim loco (*a*) notantur Scytharum ritus in sacrificiis, et universe mores, in quibus mos ille in captivos occisosque hostes saeviendi; recensentur item, quae apud gentem obtinebant, leges. Eadem ratione Lib. III. C. 20. memorantur Aethiopes, eorum traduntur vivendi ratio, indoles, leges. Persarum autem mores, instituta, leges explicuisse nostrum nemini mirum videbitur, qui eum Persicum imprimis bellum exponere voluisse cogitaverit (*b*).

Et hisce quidem probatur, ni fallor, huius sectionis inscriptio; quae enim de cultissimis primariisque gentibus attulimus exempla, Herodoti abunde declarant hac in causa diligentiam; quae, si de iis, quae *cultiores* dicuntur, valet gentibus; ita in Barbaros quoque, quorum, uti vidimus, quam accuratissime exposita est historia, optime quadrat populos. Ceterum, ut hoc addamus, primaria quamvis nobis ex Herodoto attulisse videamur exempla, alia tamen afferri possent, nisi

dis

(*a*) C. 60.

(*b*) Quae habentur omnia Lib. I. a Cap. inde 131.

diſputationis limites prohiberent, eademque egregia hic illic apud hiſtoriae patrem obvia loca, quibus eleganti ratione et mira ſimul ſuavitate aliarum, minoris etiam momenti gentium, deſcribuntur indoles, inſtituta, leges (*a*).

SECTIO TERTIA.

PRUDENTIA POLITICA.

In opere Herodoteo uti ubivis exſtant ſapientiae praecepta (*b*), ita haud raro occurrunt ſenten-

(*a*) Vid. ex. gr. Lib. I. C. 172. et 215. Lib. III. C. 8. et 98. Lib. IV. C. 103. et 168. Lib. V. C. 3. et Lib. VII. C. 70. et alibi.

(*b*) Vid. ex. gr. ſaepius iam laudatum Solonis cum Croeſo colloquium; conferri quoque merentur Lib. I. C. 87. Lib. VII. C. 237. ubi egregia illa et per totam antiquitatem diffuſa de amicitià occurrit ſententia; civis quidem civis felicitati facile invideat, neque alteri civi alter, cum eum conſuluerit, optima praebebit conſilia, niſi magnos iam in virtute fecerit progreſſus, ſed ξεῖνος ξείνῳ εὖ πρήσσοντί ἐστι εὐμενέστατον πάντων, συμβουλευομένου τε ἂν συμβουλεύσειε τὰ ἄριστα. cf. Lib. VIII. C. 60. Ceterum, ut hoc obiter moneam, iſtiusmodi plurima apud noſtrum occurrunt loca,

tentiae de regiminis formis, de legibus, de moribus, prudentia politica plenae. Cuius generis innumera etiamsi excitari posſint loca (*a*), ea tamen ſolummodo exhibituri ſumus, e quibus *imprimis* Herodoti pateat politica ſolertia. Hanc itaque prae ceteris mirifice probare videtur locus ille, ubi Perſarum inducuntur de regiminis forma conſtituenda ſermones (*b*). Hoc igitur loco tres principes Perſarum viri Otanes, Megabyzus et Darius de Democratia, Oligarchia et Monarchia in utramque partem disputant. Otanes autem primus ſententiam proferens Democratiam optimam regiminis formam eſſe ſtatuit. Ad Monarchiam enim quod attinet, eius mala, inquit, novistis omnes. Vidistis quo Cambyſis Magorumque proceſſerit inſolentia; nec

ea, ubi non disputationes habentur, e quibus historiae patris efficiatur politica prudentia, ſed ſententiae breves illae, at vero palmariae, ῥῆτραι, eiusdem, quam vocant, politicae prudentiae plenae; cujus rei ut unum afferam exemplum; Lib. VIII. C. 3. nobilisſima illa invenitur ſententia, στασις — ἔμφυλος πολέμου ὁμοφρονέοντος τοσούτῳ κακιόν ἐστι, ἴσῳ πολέμος εἰρήνης.

(*a*) Huius generis ſententiae ubivis fere iis immiscentur locis, quae gentium continent mores, inſtituta, leges; ea autem plura ſup. Sect. attulimus.

(*b*) Lib. III. C. 80. Conf. Lib. I. C. 207. et Lib. IX. C. 9. et 122. add. Lib. VII. C. 236.

nec mirum: quomodo enim quis, etiamsi omnium hominum sit optimus, si ei omnia pro lubitu impune facere licet, ἐντὸς τῶν ἐωθότων νοημάτων manere potest? Oritur enim apud eum praeter invidiam homini ingenitam, insolentia ex praesentibus bonis nata. Haec autem duo si quis habet, omnem simul habet κακότητα; partim enim insolentiâ satiatus, partim etiam invidiâ multa peragit nefaria. At vero tyrannum invidiâ carere oportet, omnia quippe bona habentem. Contrario autem modo agit in cives suos: invidet enim optimatibus quod supersint, malisque contra civibus gaudet; calumnias autem lubens admittit (*a*). Quod autem omnium maxime incongruum est, si eum mediocriter miraris, aegre fert quod non valde colitur; si vero quis valde eum colit, odit eum tanquam adulatorem: verbo, patriae iura concutit, mulieribus vim infert, indemnatos occidit. Multitudo autem si imperat, primum quidem omnium pulcerrimum obtinet nomen, ἰσονομίη, eorum deinde, quae monarcha facit, nihil peragit: sorte enim magistratum obtinet, il-

(*a*) Ita enim ἀρέστος, id est ἀρεσκόμενος, vel similem quandam vocem pro ἀρίστος ponendam esse monuit illustris Wyttenbachius in annot. ad Sel. Princ. Hist. pag. 356. in nota ad pag. 57.

illius rationes reddere debet, omnia denique consilia ad populum refert (*a*). Et haec quidem sunt, quae Otanes de optima regiminis forma sentiebat.

Megabyzi nunc et Darii apponere sermones nobis non necesse videtur, quoniam ex iis, quae apposuimus, politica Herodoti prudentia satis nobis patet. Philosophiae politicae, quae deinceps exstitit, egregie hic locus refert primordia; spirat odium in tyrannum, et, quod tanti a Graecis ducebatur momenti, ea laudatur imperii forma, in qua totus populus imperii est particeps, ut ita obtinere possit, quam Cicero notavit, iuris aequabilitas, ἰσονομία omnino, a Graecis ita dicta, summumque ab iis civitatis commodum habita (*b*). Sed quo magis etiam po-

(*a*) Ne tamen absurdum videatur, hominem Persam ita de monarchia iudicare, operae pretium sit monere, hoc ipsum perspicientem Herodotum ita dixisse Lib. VI. C. 43. Miram rem ego referam iis Graecis, qui sibi persuaderi non patiuntur, Otanem populare imperium apud Persas instituendum esse censuisse; quod enim Otanes apud Persas censuit, id in Iönum civitatibus peregit Mardonius. Hic enim, harum civitatum tyrannide abdicata, popularem regiminis formam in civitatibus instituit. Conf. quoque Lib. V. C. 37. Ceterum de Monarchia praeque illa Democratici regiminis praestantia eadem ratione disseruit Euripides in Med. vs. 119-125.

(*b*) Egregia est de hisce sermonibus Clar. Heusdii sen-

politica haecce eluceat prudentia, operae pretium videtur, alium item excitare, nec minus nobilem de tyrannide locum. Dicit Herodotus Lib. V. C. 78.: iuris aequabilitas quanti sit pretii, non ex uno tantum exemplo, sed undique intelligi posse, quandoquidem et Athenienses tyrannis subiecti nullis vicinorum in bello praestantiores erant, iis vero liberati longe primi evaserunt. Cuius rei hanc esse statuit caussam: quamdiu, inquit, continebantur, segnes erant proposito, quippe pro domino laborantes, liberati vero sibi unus quisque rem gerere properabat (*a*). Paucis hisce verbis egregia omnia continentur. Atheniensium exprimitur et Graecorum universe ratio, quae istiusmodi erat, ut ferre non possent, qui sibi, quamvis alioquin optimus, praeesset dominus. Illi igitur si subiecti essent, sublata erat libertas, adversus hostes non pro suâ, sed pro tyranni se salute certare putabant; fieri igitur vix poterat, quin hos-

sententia, eos fontem constituere germanae politicae in Diat. in Antiq. civit. p. 72.

(*a*) Quod quam vere sit, exinde patet, quod Lacedaemonii animadvertentes genus Atticum, quod sub tyrannide mansurum esset, infirmum, et parendo promptum, nunc nactum libertatem vel ipsis par evasurum, Hippiam Pisistrati filium Athenas introducere conabantur. Vid. L. V. C. 91.

hostibus in bello nisi inferiores, saltem non praestantiones essent; illo vero liberati, nullum habebant, quo cogerentur, dominum, nisi τὸν νόμον, cui unice obtemperare et pro quo omnia facere, sanctissimum habebatur officium. Quum igitur Lacedaemonii Hippiae restituere Athenarum imperium studerent, egregie Sosiclem Corinthium ita loquentem inducit Herodotus. Ἦ δὴ ὅτε οὐρανὸς ἔσται ἔνερθε τῆς γῆς, καὶ ἡ γῆ μετέωρος ὑπὲρ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ οἱ ἄνθρωποι νομὸν ἐν θαλάσσῃ ἕξουσι, καὶ οἱ ἰχθύες τὸν πρότερον ἄνθρωποι, ὅτε γε ὑμεῖς, ὦ Λακεδαιμόνιοι, ἰσοκρατίας καταλύοντες, τυραννίδας ἐς τὰς πόλις κατάγειν παρασκευάζεσθε· τῶν οὔτε ἀδικώτερον οὐδέν ἐστι κατ' ἀνθρώπους, οὔτε μιαιφονώτερον. Εἰ γὰρ δὴ τοῦτο γε δοκέει ὑμῖν εἶναι χρηστὸν, ὥστε τυραννεύεσθαι τὰς πόλις, αὐτοὶ πρῶτοι τύραννον καταστησάμενοι παρὰ σφίσι αὐτοῖσι, οὕτω καὶ τοῖσι ἄλλοισι δίζησθε κατιστάναι. νῦν δὲ αὐτοὶ ἄπειροι ἐόντες τυράννων, καὶ φυλάσσοντες δεινότατα τοῦτο ἐν τῇ Σπάρτῃ μὴ γενέσθαι, παραχρᾶσθε ἐς τοὺς συμμάχους. εἰ δὲ αὐτοὶ ἔμπειροι ἔατε, κατάπερ ἡμεῖς, εἴχετε ἂν περὶ αὐτοῦ γνώμας ἀμείνονας συμβάλλεσθαι ἤπερ νῦν (a). Quae sententia, ut in antiquas omnes mirifice quadrat Respublicas, ita alius etiam nobis adducendus

(a) Lib. V. C. 92.

ſius est locus, qui interius etiam antiquam nobis politicam aperit. Qui enim Lib. VII. C. 101. Demarati habentur cum Xerxe ſermones, totam nobis veterum Rerumpublicarum collustrant rationem et formam. Xerxes ante proelium Demaratum rogabat, num Graeci ipſius impetum ſuſtenturi esſent. Hic autem, vel ſoli, inquit, Lacedaemonii obviam tibi venient ad pugnandum, etiamſi reliqui Graeci tecum ſentiant omnes. De eorum vero numero, quot illi ſint, qui hoc facere posſint, ne quaeras; nam ſive in eorum exercitu mille fuerint, hi tecum pugnabunt, ſive his pauciores, ſeu plures. — Tum vero Xerxes cachinnans, Demarate, ait, quale tu tandem protuliſti verbum, poteruntne mille viri cum tanto exercitu pugnare? age, tu, qui horum virorum fuiſti rex, dic mihi, viſne igitur cum decem viris pugnare? et ſi ita ſunt veſtri cives, ut tu iactas, te illorum regem ſecundum veſtras leges duplo numero opponi decet: et ſi cives illi ſunt tales ac tanti magnitudine, quanti tu, et qui mecum ſermones miscuerunt, Graeci, vide ne ſermo iſte tuus in extremam proruat iactationem; nam, age, videbo quomodo mille homines, aut decies aut denique quinquagies mille omnes ſimul liberi neque ab uno gubernati tanto exercitui obſiſterent; quum ſimus nos plures

res quam milleni ad singulos eorum; si sint quinque millia. Nam milites, uti apud nos, uni obtemperantes imperatori, illius metu contra suam etiam naturam meliores fiunt, et flagellis coacti vel pauciores adversus plures procedant; iidem vero in libertatem proruentes horum neutrum facerent. Vix igitur opinor, Graecos, numero etiamsi pares essent, cum solis Persis esse pugnaturos. Sed, quod tu dicis, apud nos, quamvis raro, subinde tamen obtinet; sunt enim ex meis Persarum satellitibus, qui cum tribus simul Graecis dimicare velint. — Ad haec Demaratus, equidem, inquit, neque cum decem viris me pugnare posse polliceor, neque cum duobus; ne singulari quidem certamine volens certaverim; si autem necesse fuerit, aut magnum quoddam exstiterit periculum, libentissime certarem cum uno horum hominum, qui tribus Graecis se singulos pares esse dicunt. Ita et Lacedaemonii, cum singulis dimicando, nullis sunt inferiores, sed conferti omnium sunt fortissimi, liberi enim non tamen omnino sunt liberi. *Etenim eos urget domina*, lex, *quam multo magis timent*, *quam te tui*; faciunt idcirco, quae illa iubeat; semper autem idem iubet, vetans eos, quantacunque sit inimicorum multitudo, ex acie fugere, sed iubens in suo quemque manen-

nentem ordine, vel vincere vel occumbere (*a*).

Apparet ita, ni fallor, ex iis, qui apud Herodotum occurrunt, sermonibus, quaenam Spartae et Graecarum universe civitatum, quaenam Persici imperii (*b*) fuerit ratio; quam quidem si

(*a*) Conf. eiusdem Demarati qui habentur Lib. VII. C. 209. et 234. sermones et Lib. VIII. C. 143. Atheniensium de libertate opiniones.

(*b*) Haec Persarum ratio et ita Herodoti politica prudentia egregie quoque effici potest ex Lib. I. C. 89. Lib. VII. C. 9; ex iis enim, quae hoc loco de Graecis profert Mardonius, haud obscure patent Persarum de populo quodam subigendo opiniones; — Lib. VII. C. 193. et 135. ubi Sperthies et Bulis Persae cuidam Hidarni de Persis universe dicunt: τὸ μὲν δοῦλος εἶναι ἐξεπίστεαι, ἐλευθερίης δ' οὔκω ἐπειρήθης. Lib. VII. C. 210. ubi de Persiae rege dicitur: πολλοὺς ἐκεῖνον μὲν ἀνθρώπους ἔχειν, ὀλίγους δ' ἄνδρας. Lib. IX. C. 110; qui enim ibi habentur Xerxis cum fratre Masista sermones, mirifice illi Persicorum regum, quem dicunt, declarant despotismum. Conf. Lib. VIII. C. 26: quo loco Persae Tritantaechmae verissimum de Graecis habetur effatum: Παπαῖ, Μαρδόνιε, κοίους ἐπ' ἄνδρας ἤγαγες μαχησομένους ἡμέας, οἳ οὐ περὶ χρημάτων τὸν ἀγῶνα ποιεῦνται, ἀλλὰ περὶ ἀρετῆς; et imprimis Lib. VIII. C. 86: ubi strenue pugnasse dicuntur Persae ad Salaminem et longe melius quam ad Euboeam, sed causa huius rei fuisse narratur Xerxis praesentia, qui in littore uniuscuiusque spectabat fortitudinem aut ignaviam. Add. Lib. VIII. C. 102. ex Artemisiae enim, quod illo loco habetur cum Xerxe colloquio, haud obscure elici potest Persarum despotismus;

si nobiscum reputaverimus, gravissimum istud in historia factum, Graecos paucos numero innumeras istas Persarum copias profligasse, continuo nobis perspicuum erit. Et his quidem, ni fallimur, exemplis patet, historiae non tantum, sed pariter politicae prudentiae parentem fuisse Herodotum (*a*).

SECTIO QUARTA.

HERODOTEI OPERIS FIDES.

In omnibus illis, quae huc usque disputavimus, licet innumerae nobis occurrerint difficultates eaedemque istiusmodi, ut saepius, quomodo eas omnes expediremus, prorsus ignoraremus; cum iis tamen, quae in hac elaboranda sectione habentur, aliae comparari prorsus possunt nullae. In illud enim inquirendum est argumentum, de quo inter doctissimos quosque viros neque unquam constitit, nec vero hodieque con-

mus; dicit enim nihil interesse utrum Mardonius mali quid patiatur quippe servus; neque ex cladibus, quibus eum affecerint, magnam percepturos esse Graecos utilitatem; rege quippe superstite illiusque domo incolumi; ex quibus verbis vilissima illa Persarum erga reges patet ratio.

(*a*) Sunt verba Cl. van Heusde, l. l. p. 71.

constat. Scriptionis igitur nostrae nisi flagitaret ratio, nunquam profecto de eo agere institueremus. Cum autem haec ita sit comparata, ut nullo modo praetermitti possit, pro nostris viribus tenue quid et nullius fortasse momenti de eo in medium proferre debebimus.

Huius igitur argumenti amplitudo quandoquidem quendam sibi requirit ordinem, hoc modo illud persecuturi sumus, ut primum investigemus, num fides Herodoto abneganda sit, patriae utpote amore eo perducto, ut veri studium negligeret; tum de miris illis aliarum gentium agamus nobisque fere incredibilibus consuetudinibus, et denique in Plutarchi inquiramus de Herodoto iudicium. Quae omnia si quodammodo explicaverimus, de historicâ Herodoti fere accuratius existimare licebit.

§ I.

Investigatur num patriae amore eo perductus fuerit Herodotus, ut veri studium negligeret.

Antiquis plerisque scriptoribus hoc adhaesit vitium, ut in historia conscribenda res imprimis celebrarent gentis suae; quo factum, ut in iis universe obtineret partium studium. Nec mi-

mirum. Graeci enim alias gentes omnes *barbaras* habentes, earum virtutes tenebris involvere, vitia contra nimis accurate notare studebant. Hoc igitur vitium quum magnam partem historicam fidem infirmare possit, diligenter nobis indagandum, num eo quoque laboraverit historiae pater.

Mihi fere cogitanti quot itinera in remotissimas etiam regiones susceperit Herodotus, fieri vix potuisse videtur, ut, civium suorum ratione, exterarum gentium praeclara quaeque detrectaret. Is enim peregrinationum fructus esse solet, ut variorum hominum moribus, institutis, legibus cognitis, ingenium simul nostrum a perversa illa abducatur ratione, nil nisi patrium probandi, extera omnia contemnendi (*a*). Quo vero melius hac de re existimetur, exempla, quae a seculi labe Historiae patrem tueantur, ex ipsius opere afferamus.

Operis iam initio haud obscure significat Herodotus, aeque se barbarorum ac Graecorum traditurum esse praeclara quaeque facinora; quod revera in historia conscribenda exsecutus esse videtur. Gentium v. c. nominumque origi-

(*a*) Ut vere Pausanias Lib. X. C. 4. p. 806; qui eos maxime homines rerum miraculis fidem negare dicit, quibus in tota vita non contigit quidquam intueri, quod est communi hominum opinione maius.

gines non, ut alii scriptores, temere a Graecis ducit, nec, quae de Eridano narrabantur, ideo ad fabulas relegare dubitat, quia ipsum vocabulum Graecam, non vero barbaram prodiens originem, a poëta quodam effictum esse censet (*a*). Sic, quum Iönes animal quoddam cum Aegyptiaco Crocodilo comparantes, illi se bestiae crocodili nomen imposuisse dicerent, docet, illud non *Crocodilum*, sed *Champsam* dici solere (*b*). Neque minus refutat Graecos omnem ingenii cultum suae patriae limitibus circumscribi putantes. Qua opinione ducti quum dicerent, Anacharsidem Scytham a rege Scytharum missum, ut Graecorum esset discipulus, hanc tradit narrationem ab ipsis Graecis temere fuisse fictam (*c*).

Quas porro Graeci de sacrorum suorum antiquitate divulgare studebant opiniones, ea scilicet ab antiquissimis inde temporibus apud ipsos orta, non vero ab aliis recepta esse, con-

(*a*) Lib. III. C. 115.

(*b*) Lib. II. C. 69.

(*c*) Lib. IV. C. 77. Conf. Lib. I. C. 75. Ubi dicit, Croesum, ubi ad Halyn fluvium pervenerat, copias suas traduxisse pontibus, qui ibi erant; Graecos contra vulgo narrare, Thaletem eas traduxisse Milesium; quem ita Graecorum rumorem contemnit noster. Vid. omnino ad h. l. Celeb. Wesselingius.

continuo ad fabulas refert. Sic v. c. omnia fere Deorum nomina ex Aegypto in Graeciam delata dicit (*a*): nam, inquit, a barbaris ea venisse sciscitatus ita esse comperio; opinor autem praecipue ex Aegypto. At vero Deorum non tantum nomina, sed et ritus sacros, ipsam adeo artem divinandi his illos accepta referre debere putat. Imo vero eo procedit Herodoti studium, ut nil nisi verum narret, ut, quibus Graeci tantopere tanquam in sua terra ortis gloriabantur, celeberrima illa Thesmopho-

(*a*) Lib. II. C. 50. Conf. eiusd. libri C. 43. ubi de Hercule agit. Similiter Phoenicibus Graecos debere tradit cum alias multas doctrinas, tum etiam litterarum usum Lib. V. C. 58. In Graecorum autem sacrorum origine ad aliam gentem referendâ, non tamen ita est existimandum, quasi pro lubitu versatus fuerit; sed contra, uti ex Lib. II. C. 49. optime patet, ex ipsorum sacrorum naturâ illam ducit originem. Tum ex Lib. II. C. 167. intelligitur, eum non memoriae prodidisse, Graecos aliquid alii debere populo, nisi illud rite novisset. Ceterum addi potest, subinde quoque noluisse nostrum nimis invehi in vanam Graecorum et imprimis Atheniensium iactationem, ita tamen ut suo simul prospiceret veri studio. Sic v. c. Lib. V. C. 82. narrat, oleam arborem nusquam exstitisse nisi in Attica, qua traditione vehementer gloriabantur Athenienses; eorum igitur vanae gloriolae ut aliquid daret, suo tamen non neglecto veri studio, addit *dicitur* olea rel.

phoria, haec a Danai filiabus ex Aegypto in Graeciam adducta fuisse, referat (*a*).

Haec autem omnia licet Herodoti luculentissime probent veri studium (*b*), coeco haud corruptum patriae amore, maior tamen dictis nostris affundetur lux, si illius attenderimus Persici belli descriptionem. Haec enim Graeco homini, licet veri amantissimo, istiusmodi tamen erat materia, quam lubentissime extolleret. In ea tamen tradenda tantum abest, ut veri studium postposuerit historiae pater, ut contra, quam in suae gentis rebus gestis narrandis ad-

(*a*) Lib. II. C. 171. Eodem libro C. 123. Aegyptii, inquit, quidquid obloquantur Graeci, primum dixerunt hominis animum in alium post mortem migrare corpus. Add. Lib. II. C. 177.

(*b*) Idem ille veri amor exinde haud minimum intelligitur, quod de patria ipse sua istiusmodi subinde tradit negotia, quae in eius dedecus quantum facerent ipse satis noverat. Narrat ex. gr. Lib. I. C. 135. Persas a Graecis consuetudinem accepisse cum pueris se miscendi, quod profecto, si patriae amore corruptus fuisset, vel plane omisisset, vel fortasse contraria tradidisset ratione, hos ita ab illis turpissimum huncce mutuatos fuisse morem. Haec autem narratio, etiamsi a Plutarcho de malign. Herod. C. 13. p. 442. in dubium vocetur, nobis tamen, doctorum virorum sequentibus opiniones, verissima esse videtur. Vid. omnino Larcherus ad Herod. Lib. I. C. 135. Conf. Schweighauserus adnotat. ad eundem Herodoti locum.

adhiberet normam, eandem quoque ad aliorum populorum facta contulerit. Narrat igitur Lib. VI. C. 115: Persas post pugnam Marathoniam Athenas capere cupientes, circumvectos fuisse Sunium, ut ita praevertentes Athenienses in ipsam urbem venirent (a). Quod reprehendit Plutarchus, dicens, hoc modo si traditur pugna Marathonia, victoriae gloriam ad nihillum redire (b). Sed hoc, qualecumque tandem sit Plutarchi iudicium, probat sane, patriae saltem amore non corruptum fuisse nostrum. Graecorum porro res cum extollere noluisse, abunde quoque ostendit, quem memorat, caesorum in pugna Persarum numerus. Hoc enim si facere voluisset, cum Iustino ducenta hominum millia (c) periisse scripsisset, nunc contra circiter sex millia et quadringentos Persarum (d) occubuisse refert. Sed idem iterum nobis audiendus Iustinus, ut Herodoti magis appareat veri studium. Hic igitur de Cynae-

(a) Conf. omnino meretur huius libri C. 113, ibi enim memorat Graecos non continuo vicisse, sed Persas diu iis restitisse eorumque mediam adeo aciem perrupisse.

(b) L. l. C. 27. p. 464.

(c) Lib. II. C. 9.

(d) Lib. VI. C. 117.

naegiro narrans, „ Cynaegiri quoque, inquit, militis Atheniensis gloria magnis scriptorum laudibus celebrata est, qui post proelii innumeras caedes cum fugientes hostes ad naves egisset, onustam navem dextrâ manu tenuit, nec prius dimisit, quam manum amitteret, tum quoque, amputatâ dextrâ, navim sinistrâ comprehendit, quam et ipsam quum amisisset, ad postremum morsu eam detinuit"; qui quidem Iustini locus quam inneptus et nugis *illis similis* sit, quae a nutricibus pueris narrari solent, unusquisque facile videbit. Simplicius vero et verius Herodotus *ἐν τούτῳ τῷ πόνῳ Κυναίγειρος ὁ Εὐφορίωνος ἐνθαῦτα, ἐπιλαβόμενος τῶν ἀφλάστων νηὸς, τὴν χεῖρα ἀποκοπεὶς πελέκει, πίπτει* (*a*). Quodsi iis, quae huc usque monuimus, Plutarchi de Herodoto addatur iudicium, eum fuisse *φιλοβαρβάρον* (*b*), persuasum nobis fiet, patriae amorem non eam in Herodotum vim habuisse, ut veri studium negligeret. Nullo praeterea par-

(*a*) Lib. VI. C. 114.

(*b*) C. 12. p. 441. Nec tamen inde efficiendum, revera nostrum fuisse *φιλοβαρβάρον*; horum enim si favisset partibus, non profecto Lib. VIII. C. 103. Xerxem adeo ignavum et timidum hominem fuisse tradidisset, ut, invitis omnibus, in Graecia tamen post pugnam ad Salaminem non ausus fuerit manere.

partium ſtudio ductus (*a*), res ſubinde narrat, quae in gentis ſuae haud minimum faciunt dedecus (*b*).

Sed quandoquidem istiusmodi ſubinde apud Herodotum occurrunt narrationes, quae multis mirae, imo abſurdae videntur, atque ita ad fabulas plerumque relegari ſolent, earum praecipuae quaeque apponendae erunt, ut pateat, num ideo ſuſpectae esſe debeant fidei?

§ II.

De miris, quae apud Herodotum occurrunt, narrationibus.

Negari profecto non potest, istiusmodi ſaepius apud Herodotum inveniri narrationes, quae no-

(*a*) Quod etiam luculenter demonſtrat Lib. I. C. 95, ibi enim, quemadmodum, ait, quidam memorant Perſarum, non qui res Cyri extollere voluerunt, ſed, prout illae ſeſe habent, referre ſtudent, ita ego ſcribam. Conf. Lib. I. C. 137 ſq. ubi de Perſarum agens legibus, optimas aeque ac reliquas tradit, imo vero, quod num alius quoque Graecus ſcriptor feciſſet vehementer dubito, earum legum nonnullas optimas *esſe* dicit. Add. Lib. I. C. 196 et 197. Lib. II. C. 177.

(*b*) Vid. Fuhrmann, l. l. p. 126. Conf. Abbas Geinoz, l. l. p. 622.

nobis incredibiles videntur, quaeque ideo a multis in fabularum referri solent numerum. Eorum tamen, qui in alias regiones peregrinati et ita illarum mores edocti sunt, eadem saepe illa mira confirmantur testimoniis. Praeterea in legendo Herodoto sedulo distinguendum, quod ipse narrat, ab eo, quod ex aliorum tradit persona; huius enim distinctionis, ut ita dicam, neglectus quot contraxerit Herodoto reprehensores dici vix potest. Quocirca huius loci erit, primum exemplis indicare, sedulo semper nostrum aliquid addere solere, e quo pateat non e suâ, sed ex aliorum ipsum narrare personâ, quorum praeterea, si ipsi displiceat sententia, hoc illove modo inpugnat traditiones. Tum vero nonnulla attendemus, quae vel ipse tradit, vel quibus fidem habuisse videtur, mira autem videri solent, partim, quia ignorantur gentium Orientalium mores et consuetudines, partim, quia rerum naturalium causae non satis vulgo percipiuntur.

Primum igitur, quod ad alterum argumentum probandum nobis succurrit, exemplum, de Phoenicibus agit, mira quaedam domum reducibus narrantibus. Quum enim Neco Aegyptiorum rex destitisset a fodienda fossa a Nilo ad sinum Arabicum, Phoenices aliquot iussit per Herculis columnas renavigare in mare boreale

(i. e.

(i. e. mediterraneum), et ita in Aegyptum redire. Hi vero Phoenices deinceps in Aegyptum redeuntes, narrabant Africam se praeternavigantes solem habuisse ad dextram. Iam vero, quae referunt illi hac de re, addit noster, apud alium fortasse fidem habent, mihi autem nullo modo vera videntur (*a*).

Idem qnoque, quod volumus, ostendit elegantissima illa de Psyllis narratio, qui hoc modo periisse ferebantur. „ Notus omnia eorum arefecerat aquarum receptacula, quod aegre ferentes publico consilio adversus hunc ventum expeditionem facere constituerant, in qua tamen expeditione idem ipsos obruit ventus." Mediae autem narrationi inserit, *quae Afri memorant, ipsa refero* (*b*). Quodsi his, quae attu-

(*a*) Lib. IV. C. 42. Hoc autem exemplum non ita mutari debet, ut illo probetur simplicissimis rebus fidem non habuisse nostrum; astronomia enim eius aetate illa erat conditione, ut incredibile quid illi videri deberet, quod narraverant Phoenices. Probat igitur noluisse historiae patrem aliis quaedam pro vero obtrudere, quibus ipse fidem non habebat. Conf. Larcherus in notis ad h. l. ubi huius itineris veritas egregie probatur.

(*b*) Lib. IV. C. 173. Non poterat profecto noster rei, quae ita narrabatur, fidem habere. Res autem quodammodo explicari potest uti apud Larcherum in notis ad h. l. doctum quendam virum eam explicuisse video. „ *Il peut se faire, dit Monf. l'Abbé Souchay, que les Psy-*

audimus, infinita illa addantur loca, quibus occurrit: *ut dicunt*, aliaeque istiusmodi dicendi formulae, satis, ni fallor, superque probatum est, falsa pro veris obtrudere noluisse Herodotum (*a*).

Sunt

Psyles étant allés chercher de l'au au fleuve Cinyphe pour eux et pour leurs troupeaux, il se leva un vent impetueux qui les ensevelit sous les sables." — Alia nunc lubet excitare loca ubi eaedem fere occurrunt formulae. Vid. Lib. I. C. 172. 182. 183. et 214. Lib. II. C. 73. 121. 123. et 131. Lib. III. C. 116. Lib. IV. C. 105. Lib. VII. C. 152. Subinde quoque eo procedit noster, ut non tantum suos memoret testes, sed et eorum, qui ipsi aliquid dixerant, excitet testes; cuius rei exemplum sit Lib. VIII. C. 65. Iis contra locis, ubi aliquid narravit, quod, quamvis mirum, verum tamen esse novit, haud semel hoc illudve addit, ut dictis fidem faciat, cuius rei duo statim occurrunt exempla, Lib. I. C. 140. ταῦτα μὲν ἀτρέκεως ἔχω περὶ αὐτῶν εἰδῶς εἰπεῖν, et L. II. C. 99. μέχρι μὲν τούτου ὄψις τε ἐμὴ, καὶ γνώμη, καὶ ἱστορίη ταῦτα λέγουσά ἐστι· τὸ δ' ἀπὸ τοῦδε, Αἰγυπτίους ἔρχομαι λόγους ἐρέων κατὰ τὰ ἤκουον.

(*a*) Cuius rei id quoque maximum est documentum, quod potius confitetur, rem quandam se nescire quam inscium nihilominus memorare. Conf. v. c. Lib. II. C. 103 sq. Lib. III. C. 115 sq. Lib. IV. C. 16. 45. 81. 180. et 185. et Lib. VII. C. 54. Huc quoque referri potest formula illa saepissime apud nostrum obvia ὡς ἐμοὶ δοκέειν, ὡς ἐμοὶ δοκέει συμβαλλομένῳ, ὡς φαίνεται, τάχα δ' ἄν· His enim adiiciendis ostendit, quae ipse comperta non habebat, aliis illa se affirmare noluisse.

Sunt autem alia apud eundem multa, quae vel e sua narravit persona, vel quibus saltem fidem habere videtur, quaeque ideo ad fabulas vulgo referri solent, quia ab Europaeorum hominum moribus toto coelo distant; et tamen tantum abest, ut incredibilia sint, ut omnem potius mereantur fidem. Nam quod in gentium Africanarum describendis moribus fabulosa inseruit multa, non illi, sed Carthaginiensibus, quibus, ut supra ostendimus, haud magnam habebat fidem, procul dubio hocce tribuendum est. Quocirca non eo valent, ut minorem ipse mereatur fidem (*a*). Verum dicta nostra exemplis fulciamus.

Tradit Herod. Lib. IV. C. 191 (*b*), Africae quendam populum dextram capitis partem comatam gestare, sinistram tondere, et corpus minio tingere solere. Quis, quaeso, qui vel parum cognoverit rudium gentium mores, illam in dubium vocabit consuetudinem? Infinita enim exemplorum copia probari potest, quanto studio populi illi rudes et inculti se tingant, ut sibi placeant plumis, vittulis ornati, ut a teneris inde annis puerulorum nasi annulis conde-

co-

(*a*) Studiose quoque in his rebus enarrandis addit noster, *quod ab Afris memoratur* Lib. IV. C. 187. *aiunt Carthaginienses* C. 195.

(*b*) Simile quid habetur eodem libro C. 175. de Macis.

eorari soleant (a). Magis absurdum videri posset, quod eodem habetur loco, homines esse in Africa cynocephalos et alios acephalos in pectoribus oculos habentes (b); quod tamen ipsum explicari posse videtur, si studium istud reputamus, quo gentes prorsus incultae corpori ipsae suo naturalem formam, membris distorquendis et truncandis subinde, adimere amant. Homines icciroo cynocephali verosimiliter sunt ii, quorum capita tenellâ admodum aetate ita sunt distorta, ut a canino capite haud multum abludant; alii contra acephali dicti sunt, quorum

(a) Paratum me nihil habere profiteor, quo populum istum probem dextram capitis partem comatam gestare, sinistram tondere, sed hoc nihil ad rem; quum enim omnes sciamus, verissimas esse, quas iam attulimus, rudium gentium consuetudines, quidni verum esse posset illud, quod neque ita absurdum est, neque etiam dolorem quendam affert? Quidquid sit, Abantes narrat Homerus Il. Lib. II. vs. 542. anteriorem capitis partem tondere, occiput vero comatum gestare. Elegans de rudium populorum ornamentis est locus apud Clar. van Heusde; in Orat. de Pulchri Amore p. 4. Ex his autem locis abunde patet egregie dixisse Larcherum, in notis ad Lib. I. C. 182. „ *Malgré la crédulité du siècle où vivoit Herodote, on trouve dans ses écrits des preuves d'un jugement saint et éclairé.*

(b) Observandum, hoc iterum loco addidisse nostrum ὡς δὴ λέγονται γε ὑπὸ Λιβύων.

rum quippe recens natorum capita ita depressa erant, ut fere viderentur nullum habere caput, et ita oculos proxime in pectore gerere (*a*).

Quod de Trausis habetur Lib. V. C. 5. apud eos feminas, mortuo marito, inter se certare quaenam prae caeteris a marito dilecta fuerit, illamque, quae talis iudicatur, lotam atque a viris mulieribusque ornatam in tumulo mactari (*b*): eundem illum morem hodie apud Indos obtinere, quis est qui nesciat? Similiter nemo sanus ad fabulas relegabit, apud Scythas, rege mortuo, alios brachia circumcidere, frontem nasumque sauciare, alios sinistram manum sagittis traiicere solere (*c*). Haec enim omnia mi-

(*a*) Vid. omnino Clar. de Rhoer, Sect. I. C. 4. § 3. pag. 77. in not. *f*, et auctores ibi cit. ita autem simplicius res mihi explicari videtur, quam si monstra illa ad bestias, ut vulgo fit, et habetur quoque apud Larcherum in notis ad h. l, referamus.

(*b*) Idem quoque apud Getas habebatur mos. Vid. Stephanus Byz. de Urb. in voce Γετία. Apud Indos autem uti hodie obtinet, ita antiquitus iam in usu erat, uti patet ex Ciceronis Tusc. Quaest. Lib. V. C. 27. Hunc morem eleganter descripsit Propertius Lib. III. Eleg. 11. vs. 15. Conf. Diodorus Sic. Lib. XIX. C. 33 et 34. p. 343.

(*c*) Apud Aethiopes, rege mutilato vel mortuo, eius maxime familiares idem pati debebant, ut refert Strabo Lib. XVII. § 4. p. 628. Edit. Siebenk.

mirifice congruunt rudium gentium moribus, quae hac praesertim ratione luctum ostendere solent (a).

Mirum porro videri possit atque absurdum prorsus, quod narrat Herodotus, apud Babylonios mulieres semel se in vita prostituere debere (b). Quod licet a nostris plane abhorreat moribus, verissimum tamen est, quippe cum aliorum, tum vero Ieremiae confirmatur testimonio (c). Ast vero etiamsi nullus alius de horribili illo more testatus fuisset scriptor, facile tamen ex ipsius gentis ratione explicari posse videtur. Is enim

(a) Ab hoc more ne ipsi quidem alieni fuere Romani; quamvis enim non ita vehementer sese sauciare solerent, crines tamen in luctu haud raro evellebant genasque lacerabant, unde Ovidius Fast. Lib. III. Eleg. 3. vs. 51.

Parce tamen lacerare genas nec scinde capillos.

genas tamen lacerare prohibuere leges XII. Tab.; uti patet ex Cic. de leg. Lib. II. C. 23. Aegyptii quoque hac in causa caput aut vultum luto oblinebant, et per urbem vagantes se verberari iubebant, ut refert Herod. Lib. II. C. 85. Aliae gentes tantummodo vestes in luctu discerpere solebant. Vid. idem Lib. VIII. C. 99.

(b) Lib. I. C. 199.

(c) Vid. eius epist. ad Iudaeos libro *Baruch* vulgo adiuncta vs. 42 sq. Vid. omnino Larcherus in notis ad Herod. Lib. I. C. 199, ubi egregie hunc Herodoti locum tuitus est ab ineptis Voltarii cavillationibus in libro cui titulus est: *Dictionn. Philos.* Tom. 3. Article *Babel*, pag. 225. Conferri quoque meretur Cl. de Rhoer, Sect. I. C. 4. § 8. p. 91.

enim in genere humano obſervari debet progresſus, ut pudoris ſenſus ſenſim paulatimque invaluerit. Mirum igitur non est, veteres cultisſimas quoque gentes ea in ſacris adhibuisſe, quae a nostris toto coelo distant moribus: cuius rei documenta ſunt celebratisſima illa Graecorum Aegyptiorumque phallophoria, Romanorum Priapi cultus.

Et ſic quidem exempla quaedam notavimus, quae licet continuo nobis abſurda videantur, imo vero iis, qui incultarum gentium mores nunquam edocti fuerunt, incredibilia, vera ſunt tamen, et eo imprimis valere posſunt, ut ridiculos et pueriles prorſus harum gentium mores penitus perſpiciamus. Sunt idcirco ipſae illae narrationes, ut mirae ſuavitatis, ita maximae quoque utilitatis. Quoniam vero alia quoque exſtant eiusdem generis multa, nonnulla item et memoremus et diiudicemus.

Ad fabulas igitur vulgo referuntur, quae Lib. II. C. 35. traduntur, apud Aegyptios, viros feminasque contraria prorſus, quam apud alios populos, agere ratione; has enim v. c. forum frequentare et mercari, illos vero domi ſedentes telam texere; has mingere ſtantes, illos contra ſedentes. Ad primum autem quod attinet morem cum ab aliis ille confirmatur ſcrip-

toribus (*a*), tum vero eius mentionem fecit Sophocles, cuius ex *Oedipode Colonio* elegantissima ideo imprimis adscribere lubet verba, quia extorrem senem, quem negligunt filii, diligunt contra et ubivis comitantur filiae, suorum mores liberorum cum Aegyptiacis ita comparantem inducit moribus:

Ὦ πάντ' ἐκείνω τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ νόμοις
Φύσιν κατεικασθέντε καὶ βίου τροφάς.
Ἐκεῖ γὰρ οἱ μὲν ἄρσενες κατὰ στέγας
Θακοῦσιν ἱστουργοῦντες· αἱ δὲ σύννομοι
Τἄξω βίου τροφεῖα πορσύνουσ' ἀεί.
Σφῷν δ' ὦ τέκν', οὓς μὲν εἰκὸς ἦν πονεῖν τάδε,
Κατ' οἶκον οἰκουροῦσιν, ὥστε παρθένοι.
Σφὼ δ' ἀντ' ἐκείνων τἀμὰ δυστήνου κακὰ
Ὑπερπονεῖτον. (*b*).

Huius igitur moris uti vix in dubium vocari potest veritas, ita, quominus alteram illam de mingendi ratione fictam habeamus consuetudinem, sunt, quae prohibeant, documenta. Testibus enim peregrinatoribus, populus quidam in India

(*a*) Vid. Larcherus in notis ad Herod. Lib. II. C. 35. nota 112 et 113, ubi habetur Nymphodori de harum consuetudinum auctore et causa, opinio; hic autem in rebus istis fere eadem, quae noster, narrat.

(*b*) Vs. 337.

dia habetur, apud quem idem prorsus observatur mos (*a*).

Sed quandoquidem ad Aegyptios pervenimus, operae pretium sit in medium proferre miram illam eandemque ridiculam fere, quae Lib. II. C. 68. crocodili habetur, descriptionem. Hoc enim animal naturâ prorsus linguâ carere et maxillam inferiorem immotam habere narratur. Quae crocodili descriptio etiamsi tota vix defendi possit, magnam tamen partem non ita redicula est habenda. De eius enim lingua idem fuit Aristotelis iudicium (*b*), qui licet vera quoque habuerit, quae de maxilla apud Herodotum leguntur (*c*), ei tamen recentiores haud mag-

(*a*) *Les Indiens de la Baie d'Hudson, dit Monsieur Ellis, diffèrent de toutes les nations connues par leur manière d'uriner; les hommes s'accroupissent toujours pour lâcher de l'eau et les femmes se tiennent de bout*, in opere cui titulus: *Histoire des Voyages* Tom. 14. p. 669. Sunt qui dicant Aegyptiorum haud multum ab hodiernorum Indorum abludere institutis. Vid. Larcherus in not. ad Herod. Lib. II. C. 47. not. 175, ubi docti cuiusdam viri hac de re invenitur sententia.

(*b*) Hist. anim. Lib. II C. 10. p. 784. Ex recentioribus Doct. Camus idem se, quod ab Herodoto et Aristotele traditur, in crocodilo observasse dicit in vers. Arist. *Hist. Anim.* Tom. 2. p. 262.

(*c*) De part. anim. Lib. II. C. 17. p. 997.

magnopere assentiuntur (*a*). Sed attendamus item duo illa ovium genera, quae in Arabia inveniri dicuntur Lib. III. C. 113, quorum alterum caudas habeat tam longas, ut pastores, ne ulcera contrahant, exiguum plaustrum fabricentur, quod caudae subligetur; alterum vero ad cubiti latitudinem. Hoc igitur nisi a recentioribus scriptoribus prorsus confirmaretur (*b*), a nullo non in dubium vocaretur.

Sed missis miris illis animalium generibus, aga-

(*a*) Vid. Camus, l. l. pag. 264. Hoc autem loco monendum, modeste me a summo Rhoerio discedere, qui (Sect. I. C. 6. p. 105.) Herodotum sine dubio peccare putat, quum Lib. IV. C. 29. pecoribus cornua non nasci tradit in locis frigidis; quandoquidem idem affirmant Strabo Lib. VII. p. 387. Edit. Siebenk. et Hippocrates de aëre, aquis et locis, Tom. 1. p. 353. — De formicis illis, quas memorat noster Lib. III. C. 102, vulgo in dubium vocatis, vid. Plinius *Hist. Nat.* Lib. XI. C. 31. Conf. Larcherus ad eundem Herodoti locum, qui exemplo rem egregie probat. Ceterum egregie de rebus istis rarioribus observat Pausanias Lib. IX. C. 21. p. 752. „Neque ad assentiendum procliviorem aliquem esse debere, neque se omnino incredulum ad ea, quae sint rariora, praebere." Cuius rei exemplum sint volantes illi, quas memorat Herodotus Lib. II. C. 75. Serpentes. Haud enim defuere, qui eos in fabularum continuo referrent numerum. Pausanias contra ἐγὼ, inquit, πτερωτοὺς ὄφεις οὐ θεησάμενος πείθομαι δ᾽, ὅτι ἀνὴρ Φρὺξ ἤγαγεν ἐς Ἰωνίαν σκόρπιον ταῖς ἀκρίσιν ὁμοιότατα πτερὰ ἔχοντα.

(*b*) Vid. *Hist. Gen. des Voyages* Tom. 3. p. 297. et Tom. 5. p. 189. et 214.

agamus tandem de nefando prorſus Indorum more, quem refert Herodotus Lib. III. C. 99. Hos enim narrat necare cum aegrotos, tum ſenio confectos; quae res, quamvis indoctis Europaeis hominibus ſummo iure ad fabulas referatur, haud tamen ita abſurda neque fide indigna videtur; et partim explicari poteſt ex ciborum penuria, qua laborare fere ſolent incultae illae gentes; partim etiam eo probatur, quod Hottentotti hodieque etiamnunc ſenes, eosque, qui prae corporis infirmitate vitam ſuſtentare non posſunt, non tantum nulla proſequuntur cura, ſed horrenda prorſus ratione eosdem negligunt, et ita fami omnibusque exponunt calamitatibus (*a*); quod quidem ipſum quam

(*a*) Vid. Sparrman, *Voyage au Cap de Bonne Espèrance et dans l'Interieur de l' Afrique* C. 6. in libro cui titulus: *Hiſt. des Voyages* Tom. 5. p. 147. ubi narratur Hottentottos non tantum istiusmodi homines exponere ſolere, ſed eos quoque, uti Indos, interficere. Crudelior longe in inſula Sardinia habebatur mos, ubi ſenex ſeptuagenarius a ſuis ipſe liberis in Saturni honorem baculo occidi inque verticem proiici ſolebat. (vid. Tzetzes ad Lycophronis Alex. v. 796. p. 86.) Qui, ut apud multas antiquas gentes obtinebat mos, ita etiamnunc non ubivis est abolitus, vid. *Hiſt. Natur. et Civile du royame de Siam* Tom. 2. p. 371. Ceterum, ex eorundem Hottentottorum ſordidis moribus, multa quoque, quae apud Herodotum habentur, explicari posſunt. Sic v. c. narrat Lib. IV. C. 168. Adyrmachidarum mulieres pediculos, quos

quam parum ab Indorum, quem citavimus, abludat more, unusquisque facile videbit. Et omnino, postquam hunc apud Sparrmannum Hottentottorum legi morem, infantes illos, matre mortua, eius mammae adfixos vivos sepelire, quae apud Herodotum inveniuntur incultarum gentium crudeles consuetudines fide mihi visae sunt dignissimae omnes.

Ceterum, ut huic disputationi finem imponam, quae Lib. I. C. 93. de Lydorum occurrunt filiabus meretriciam vitam agentibus, quaeque passim de simili puellarum occurrunt corporis quaestu, haec omnia cum ex rudium gentium moribus facillime explicantur, tum vero iisdem confirmantur nonnullarum huius aevi gentium consuetudinibus. Cum enim constat hodieque etiamnunc apud incultas quasdam gentes moris haberi, ut hospitibus ultro offerantur feminae (a), quidni fieri potuit, ut Lydi aliique antiqui aevi populi filias ipsi suas prostituerent (b).

Et

quos capiant, anteaquam abiiciant, mordere solere. Quem quidem morem nostris moribus haud magnopere convenientem apud Hottentottos observari affirmarunt peregrinatores. Vid. *Hist. des Voyages*, Tom. 5. p. 152.

(a) Uti de Braminis affirmatur in libro *Ceremonies et coutumes religieuses de tous les peuples du Monde*, Tom. 2. Parte 1. pag. 40. Conf. omnino p. 24 sqq.

(b) Haec igitur, quae de Lydorum filiabus apud Herod.

Et sic quidem eo nunc pervenit disputatio nostra, ut ostendendum sit, quae apud Herodotum occurrunt mira, ab iis etiam fabulis adnumerari solere, qui rerum naturalium prorsus sunt imperiti; quod age exemplis illustremus. Istiusmodi passim apud nostrum occurrunt loca, quibus cineres de coelo lapsi esse, aliaque huius generis multa traduntur, quae maioribus nostris, rerum quippe naturalium imperitis suspectae fidei visa sunt omnia, in hodierna vero philosophiae naturalis luce, per vim fluidi electrici, aëris inflammabilis, montium ignivomorum facillime explicantur et intelliguntur (*a*). Similiter istiusmodi apud He-

rod. occurrunt facile explicare possint omnia. Sed Lib. II. C. 126. aliud quid habetur, quod continuo prorsus absurdum videatur; Cheopen Aegypti regem pecuniâ indigentem, filiam corporis quaestum facere iussisse. Hoc, ut opinor, haud immerito a multis in dubium vocari solet. Rem vero accuratius reputantibus, fidem Herodoti loco negare vix poterimus; nam ea semper hominum fuit ratio, ut pro pecunia comparanda quaevis facerent. Quodsi praeterea cogitaverimus, praecedenti seculo nobilem quendam in Anglia virum uxorem suam eo proposito prostituisse, ut libidini (*pour son plaisir*, ut Franci dicunt) satisfaceret, quidni rex pecuniâ indigens simile quid perpetrare potuit? Exemplum hocce invenitur apud Larcherum in notis ad Herod. Lib. II. C. 126.

(*a*) Vid. Musschenbroekius, in Introd. ad Phil. Nat. p. 1003,

Herodotum inveniuntur negotia, quae, quamvis mira, primarii tamen medici non tantum non in dubium vocarunt, sed fieri posse probarunt. Quod enim legimus Lib. I. C. 85. de Croesi filio muto prae magno terrore in vocem subito erumpente, prodigio quidem simile, sed tamen verum esse posse, summus affirmavit Gaubius (*a*). Ne autem quis multo maius illud Epizeli mihi obiiciat miraculum, qui in acerrimo proelio neque ulla corporis parte saucius, neque eminus aut cominus ictus, oculis privatus fuisse traditur (*b*), animadvertendum, hoc negotium prodigiis adnumerasse ipsum Herodotum, eumque narrasse, quae Epizelum commemorare audiverat. Sed in hoc argumento diutius versari non possumus. Quaecunque alii praeterea in Herodoto fide censeant indigna, nescio; me autem, quippe rerum naturalium non magnopere pe-

1003, 1004 et 1070, qui plurima illic affert, quae rerum naturalium imperiti ad fabulas referre solent.

(*a*) In Orat. Acad. altera de regimine mentis quod medicorum est, p. 66; qui ad multas res miras intelligendas in laud. Orat. omnino conferri debet. Conf. etiam Larcherus, in nota 92. ad Herodoti Lib. I. C. 34 et 101. ad eiusdem libri C, 38. Ibi enim eleganter agit de voce κωφὸς (quae habetur C. 38.) illiusque apud antiquos Graecorum scriptores usu.

(*b*) Lib. VI. C. 117.

peritum, omnia illa explicare non posse, ingenue profiteor; ex quo tamen non illud effici volo, ut ideo, quae explicare non possum, ad fabulas continuo referam. Fidem contra iis ideo adiicio, quia praestantissimi quique viri de iis nullo fere modo dubitarunt (*a*); e quibus praeclarae illud medicinae decus summum Boerhavium dixisse video; „*Hodiernae observationes fere omnia probant magni viri dicta, quae semidocti rerum naturalium ignari, pro falsis habuerant fictisqne*" (*b*).

Ceterum monendum superest, istiusmodi in Herodoteo opere occurrere multa, quae neque peregrinatorum testimoniis, nec vero accurata rerum naturalium cognitione explicari possunt; de quibus tale proferendum videtur iudicium, ut historico nostro nequaquam vitio verti queant; quandoquidem eorum, quibus vixit, temporum ratione necessario in eius opus irrepere debuerunt; cuius generis vitia procedebant v. c. ex difficultatibus, quae illius aevo impediebant, quominus ex limpidis omnia haurirentur fontibus (*c*); et vel praecipue ex superstitione, quae il-

(*a*) Conf. Larcherus in praef. p. 6.
(*b*) Elem. Chem. Tom. 1. p. 550.
(*c*) Conf. quae introitu Sect. III. ad has percipiendas difficultates in medium protulimus.

illa etiamnunc obtinebat aetate, a qua cum ne Xenophontem quidem aut Diodorum Siculum prorfus tueri posfumus, mirum non est, immunem eius non prorfus fuisfe historiae parentem. Quidquid fit, praecipuis explorandis, quae a multis ad fabulas ablegari folent, Herodoti locis, probare ftuduimus, huius fere generis omnia non tantum non fuspectae fidei haberi posfe, fed eo contra imprimis valere, ut incultarum gentium penitus perfpiciamus mores, inftituta, leges.

§ III.

Plutarchi in Herodotum intentae accufationes tantine funt momenti, ut fidem historiae patri negandam esfe validis probent argumentis?

Omnium profecto, qui in Herodotum invecti fuerunt, cum antiquorum, tum recentiorum fcriptorum dux atque princeps merito cenfetur Plutarchus, qui tot tantaque in Herodoto fibi invenisfe vifus est vitia, ut de industria hac de re libellum compofuerit, quem infcripfit *de malignitate Herodoti.* Quoniam autem ad harum accufationum rite perfpiciendam veritatem, ipfius primum Plutarchi in iis intendendis

cog-

cognoscendum est propositum, ita breviter illud exponere lubet. Herodotus in bello tradendo a Graecis cum Persis gesto, Boeotios narrat non tantum antea Xerxis partes fuisse secutos, sed et in pugnâ Plataeensi huic regi auxiliantes contra Graecos certasse (*a*). Iam vero Plutarchus Chaeronensis, e Boeotia oriundus, aegerrime hocce ferens, ipsum decere putabat, ut patrocinium susciperet cum maiorum suorum, tum ipsius, ut dicebat, veritatis (*b*). Herodotum scilicet carpit, quoniam maiorum in hoc bello turpia facinora omnibus notiora erant, quam ut apologiâ conscribendâ eos defendere posset (*c*). Haec igitur, quae de

(*a*) Lib. IX. C. 86. Conf. Larcherus in praef. p. 11.

(*b*) Sunt fere Plutarchi verba, C. 1. p. 432.

(*c*) Egregie hac de re ita disputat Abbas Geinoz; *ce fait (de ces compatriotes) étoit si connu, qu'il n'osa s'engager dans une apologie directe de leur conduite, mais voulant, à quelque prix que ce fût, satisfaire son ressentiment contre Herodote, et rendre suspect le récit de la défection des Thebains et des Boeotiens, il entrepit une critique generale de son histoire, où il s'efforce de montrer que cet historien n'est pas digne de foi; qu'il à altéré par pure malignité la verité de l'histoire; que sa méchanceté paroit non seulement dans les horreurs qu'il à mises sur le compte des Boeotiens, mais aussi dans la manière indigne, dont il à traité les autres peuples de la Grèce,* Tom. 6. p. 518.

de Plutarcho diximus, abunde declarant, nimio cum patriae amore (*a*) ad omnes istas, quas in Herodotum intendit, ductum fuisse accusationes; quarum age praecipuas exploremus.

Prima igitur huc redit: Herodotum in rebus narrandis nominibus usum fuisse odiosissimis, ubi molliora in promtu essent; uti v. c. cum Niciam dicere potuisset ἄγαν θειασμῷ προσκείμενον, eum θεόληπτον vocat, et Cleonis tradit θρασύτητα καὶ μανίαν, cum dicere licuisset κουφολογίαν (*b*). Huius accusationis levitas inde facile intelligitur, quod, quas Herodotus usurpavit, dictiones, summam illam declarant eius ingenii simplicitatem, non tam verborum, quibus uteretur, strictam significationem, quam rerum, quas traderet, attendentis veritatem (*c*). Haec demum

(*a*) Qua de re conferri possunt Clar. de Rhoer, l. l. Sect. II. C. I. § V. p. 126 sqq. et La Harpe, l. l. p. 128.

(*b*) C. 2. p. 423.

(*c*) Mollibus potius quam odiosis et asperis verbis plerumque usum fuisse nostrum opinamur; sic v. c. de Cheopis filiâ, quam pater corporis quaestum facere iusserat, non dicitur, eam πορνεύεσθαι sed πρήσσεσθαι ἀργύριον fuisse iussam; conf. eiusdem libri C. 121. ubi simile quid habetur de Rhampsiniti filia. — Lenis ita in verbis quoque nobis esse videtur Herodotea narrandi ratio. Sic ex. gr. Lib.

-mum posteriori aevo Sophistarum imprimis fuit ratio, ut verba accurate quasi ponderarentur, ne iis ita plus minusve, quam par esset, tribueretur (*a*). Ast vero haudquaquam praetermittendum, in iis tradendis negotiis, quae ad rem quodammodo facerent, Ionicae Herodotum humanitatis ubivis praebere exempla. Uti igitur nihil ad

Lib. I. C. 16. Alyattes traditur Clazomenas reliquisse *non uti volebat*, pro, *coactus fuisse urbem relinquere*; eodem modo C. 32. *multa saepe videre debemus, quae potius non videremus*, id est, *multa tristia*; et omnino proprium est Herodoto, ut dicat οὐχ ὡς ἤθελε, οὐχ ὡς βούλεται, ἄχαρι οὐδὲν, ἀνεθέλητος, ἀπροθύμιον τι, pro alia quadam a Ionica humanitate magis abhorrenti dicendi formula; Iones enim, ut egregie ad Lib. VII. C. 88. monet Cl. Valckenarius, imprimis tristia quaevis verbis exprimebant in speciem lenissimis. Quae profecto omnia non ideo veritatis specie carere videntur, quia Plutarchus durius verbum de Graecis usurpasse dicit nostrum, Lib. VIII. C. 4. δρησμὸν βουλεύειν; hoc enim neque durum est nec vero durius quam Agamemnonis illud apud Homerum Il. 2. vs. 140. φεύγωμεν. Vid. Cl. Wesselingius ad Lib. VIII. C. 18. praeterea de Graecis ferre non potuit malignus censor hoc vocabulum, sed omnino de Persis, de quorum quoque rege illud usurpavit noster, Lib. VIII. C. 97. et 100.

(*a*) Vid. Ioach. Camerarius prooem. in Herod. post Gronov. Herod. edit. pag. 714.

ad rem faciebat, num Niciam ἄγαν θειασμῷ προσκείμενον an vero θεόληπτον diceret, ita eorum hominum, qui scelera perpetrarant graviora, vix unquam memoriae prodidit nomina (*a*); qua de re si ipsum accusare potuisset Plutarchus

(*a*) Exemplo sint Lib. I. C. 51. Lib. II. C. 123. Lib. III. C. 125. Lib. IV. C. 43. Ex quibus exemplis alterius quoque Plutarchi accusationis duci quodammodo potest falsitas, „ narrationem ideo extendere nostrum et per ambages circumducere, ut alicuius calamitatem, flagitia vel actionem vituperio dignam inserere posset; hoc enim si delectatus fuisset vitio, non profecto eorum reticuisset nomina, qui mali aliquid peregerant. Quorum uti reticet nomina, ita diligens erat in eorum addiscendis nominibus, qui praeclara quaeque peregerant facinora. Spartanorum enim ad Thermopylas mortuorum non tantum ducum tanquam dignorum virorum, sed et trecentorum omnium, ut ait Lib. VII. C. 224, noverat nomina.

Quod autem ad Thucydidem et Philistum attinet, quos hoc vitio non laborasse eodem loco (C. 3.) statuit Plutarchus; animadvertendum, Thucydidem tamen de Hyperbolo ita pronunciasse (Lib. VIII. C. 73.), ut si simile quoddam de alio quodam homine Herodotus tulisset iudicium, quam vehementissime in eum invectus fuisset Plutarchus. Philistus autem ne citari quidem a Plutarcho meretur; hic enim, teste Dionysio Halic., mores habebat adulatorios, tyrannorum studiosos, humiles, ac sordidos in Epist. ad Cn. Pompeium C. 5. p. 780. Conf. Nepos in Dione C. 3. et Wyttenbachius in Orat. de *Phil.* rel., quae exstat in opusc. Wyttenb. Tom. I. p. 150.

chus, maiori fortasse iure suam in eum intendisset accusationem.

Altera Plutarchi accusatio est haecce: eo Herodotum proposito extendere solere narrationem, ut hominum flagitia vel turpia immisceri possint facinora, quamvis etiam argumentum id minime postulet. Ab hac quidem accusatione historiae patrem melius vix defendi posse putamus, quam uno afferendo loco, qui prorsus contrarium nobis probare videtur. Memorans enim Lib. VI. C. 121, Calliam, qui omnium Atheniensium solus Pisistrati Athenis eiecti emere ausus fuerat, quae publice sub praecone vendebantur, bona, de industria extendit narrationem, eiusque tradit in ludis Olympicis equorum cursu victoriam; quum in quadrigario secundus esset, in Pythiis item eum victorem fuisse narrat (*a*). Sunt haec autem, quae de ludis Olympicis et Pythiis memorat, proprie extra historiae, ut ita dicam, terminos posita (*b*). Sed mentionem fecerat hominis istius-

(*a*) Conf. v. c. Lib. V. C. 47. 71 et 102. Lib. VI. C. 36. 70 et 103; et Lib. VIII. C. 47, ne quis ideo cum Plutarcho credat nostrum laudasse Calliam, quia vir erat valde potens; conf. omnino Schweighaeuserus in notis ad Herod. Lib. VI. C. 122.

(*b*) Quamvis nil sibi memorare proposuerit noster, nisi quae ad Historiae pertinerent filum, uti patet ex

usmodi, qui tyrannos perosus patriam summo ardore liberare studuerat: victoriarum idcirco, licet ad argumentum minus pertinentium, in ludis olim reportatarum mentio simul erat facienda. Hae enim summam victori conciliabant gloriam, iis reportandis praeconis voce per totam Graeciam extollebatur, ipsamque adeo patriam celebrem reddebat victor (*a*).

Pergit porro accusando Plutarchus, boni facti apud Herodotum observari posse reticentiam, ubi tamen historiae filum illius mentionem flagitet. Quae quidem accusatio ita posita sensum saltem haberet, sed exigui prorsus sit momenti, quia eodem Plutarchi loco habetur, digressiones fieri debere ad laudandum, eum vero, qui iis

ex Lib. VII. C. 96 et 99, ulterius tamen progreditur extra historiae filum huius viri narrandis laudibus; conf. quae habentur Lib. VII. C. 99. de Artemisia; C. 164. de Cadmo Coo et C. 181. de Pythea Ischenoi filio et Lib. VIII. C. 47. de Phayllo. Add. imp. Lib. VII. C. 214.

(*a*) Uti ex prioris accusationis falsitate, alterius quoque falsitatem quodammodo duci posse ostendimus, ita idem hoc quoque loco obtinet. Quae enim de secunda hacce accusatione disputavimus, si vera sunt, verum profecto haud facile esse potest, reticentiam apud Herodotum haberi boni facti, quamvis etiam historiae filum illius mentionem postulet, quae est tertia Plutarchi accusatio.

is utitur ad hominum vitia notanda, malignitatis esse reum (*a*). Haec Chaeronensis Philosophi sententia si vera esset, parum profecto ex historiâ caperemus utilitatis. Etenim si tantummodo egregia quaeque a scriptore traderentur facinora, ad eorum quidem imitationem paulisper excitaremur, non autem tantam in nos exerceret vim et efficaciam, quantam, hominum memoratis simul vitiis, necessario habere debet. Ita enim cum in praeclara quaeque intuentes facinora, tum vero in maxima flagitia, ad illorum magis ducimur imitationem, simul quippe perspicientes in certissimam nos hisce peragendis proruere perniciem. Quodsi igitur Herodotus, uti eum fecisse putamus (*b*), hominum aeque vitia ac virtutes notavit, historici hac in causa officio egregie nobis functus fuisse videtur (*c*). Eundem vero a bonis factis reticendis prorsus fuisse alienum, cum

(*a*) C. IV. p. 435.

(*b*) Hoc sibi quoque proposuit, uti effici potest ex Lib. I. C. 5.

(*c*) Verine historiae scriptores, an vero fabulae auctores Philistus similesque dicendi sint historici, qui scelera et flagitia in historiâ conscribendâ, vel silentio praetereunt, vel aliquo honestatis colore excusant, merito rogat Wyttenb. in Orat. laud. p. 149. Conf. idem in Orat. *de Vi et effic. hist. ad stud. virtutis*, l. l. p. 198.

eum alia infinita probare possent exempla, tum etiam luculenter demonstrat, quem citavimus, de Callia locus.

In eo deinceps malignitatis sibi vitium in Herodoto deprehendisse videtur Plutarchus, quod, duas pluresve de re quadam citans opiniones, deteriorem semper amplectatur (*a*). Quam quidem accusationem merito in Herodotum intentam esse, haud facile quis probaverit. Quae enim ad rem probandam profert philosophus exempla, non multum illa valent ad sententiae, quam profert, declarandam veritatem (*b*). Quodsi praeterea infensum Plutarchi animum summo Herodoti, quem supra iam saepius observavimus, in scribendo opponimus candori, haud probabilis nobis videbitur Chaeronensis philosophi criminatio. Quis, quaeso, sibi obtrudi patietur, hominem, cuius scripta ubivis candorem referunt, qui, ne falsa pro veris lectoribus obtruderet, accurate ubivis, quae ipse viderat, ab iis distinguit, quae audierat, qui ipsas subinde res miras ad fabulas referre non dubitat, istiusmodi igitur hominem ex duabus, quae ferebantur, opinionibus deteriorem semper fuisse amplexum? Opinamur potius, ut quidque

(*a*) C. 5. p. 435.
(*b*) Conf. Cl. de Rhoer, l. l. § 3. p. 124.

que retulit, ita eum sensisse, audivisse, comperisse. Sed ne tali me argumentatione rem probare velle quis existimet, succurrit continuo, quod contrarium prorsus probat, exemplum. Dubium enim erat, num socii, Thermopylis a Persis superatis, ignaviter eas deseruissent, an vero Leonidae iussu. Iam vero Herodotus Lib. VII. C. 220 sqq. hac de re agens multus est, ut ostendat non sua sponte socios et, militari disciplina spreta, abiisse, sed Leonidam eos proficisci iussisse (*a*).

Ceterum, ne hoc praeteream, quos Plutarchus ad vitium illud in Herodoto probandum citat, scriptores (*b*) ad unum usque perie-
[illegible] runt

(*a*) Hoc adeo misso exemplo, mihi tamen nullo modo persuadere possum, hoc historiae patri adhaesisse vitium. Quomodo enim istiusmodi homo proclivis esse potest ad deteriorem amplectendam opinionem, qui multus semper est in omnium omnino hominum praedicandis virtutibus; quod cum alia egregie, tum imprimis demonstrat elegantissimus ille locus, qui habetur Lib. VI. C. 30. Ibi enim narrans, Histiaeum ab Artapherne et Harpago vivum captum occisumque fuisse, sibi vero videri adiungit eundem hominem ad ipsum Darium perlatum nunquam istiusmodi quid passurum fuisse, regem quippe in eius interfectores vehementissime invectum fuisse.

(*b*) Sunt illi Antenor Cretensis, Dionysius Chalciden-

 sis,

runt omnes. Quamobrem de iis rebus, in quibus perversas nostrum amplexum fuisse dicit opiniones, quid illi statuerint, nullo modo iudicare possumus.

Et sic quidem universas quasdam memoravimus Plutarchi in historiae patrem intentas accusationes, cuius generis quamvis et aliae sint permultae (*a*) plures tamen apponere neque lubet, nec utile videtur. Cum autem idem ille Plutarchus ideo imprimis malignitatis reum probare conetur Herodotum, quod in omnes Graeciae civitates, praesertim in Lacedaemonios, Corinthios Boeotiosque invectus fuerit: explorandum est nobis deinceps, quae in trium harum civitatum dedecus, iudice Plutarcho, protulerit Herodotus.

Quod igitur ad Lacedaemonios attinet, tradit Lib. III. C. 47. cum exercitu eos se contulisse Samum, de cuius expeditionis caussâ duplex ferebatur opinio. Samios enim dicere narrat, ideo hanc

sis; vid. C. 22. p. 454, Lysanias Mallotes, Charon Lampsacenus, C. 24. p. 459, Hellanicus, Ephorus, Naxiorum Annalium Scriptores, C. 36. p. 491. alii.

(*a*) Vid. v. c. C. 6. p. 436, C. 7. 8. 9; quae omnia, si quis totam rem accurate secum reputet, facillime, ut opinor, explicabit; vel saltem illorum locorum perspiciet malignitatem.

hanc expeditionem ſuscepisſe Lacedaemonios, ut, Polycrate tyranno eiiciendo, gratiam ſibi referrent, navibus aliquando iis adverſus Mesſenios auxiliatis; Lacedaemonios autem narrare, ſe non adeo, ut precantes Samios tuerentur, militavisſe, quam ut crateris et thoracis cuiusdam rapinam ulciscerentur, ut ita non ſociorum, ſed hostium inſtar in inſulam illam ſe contulerint. Huc usque Herodotus. Iam vero Plutarchus (*a*) vehementisſime quidem in hunc invehitur locum, nihil vero affert, quo Samiorum hac de re opinioni fidem habendam esſe demonſtret, niſi nullam illis temporibus fuisſe civitatem, quae magis, quam Spartana, tyrannis esſet infenſa. Quod profecto nullius fere momenti est argumentum. Lacedaemonios enim in ſuâ civitate tyrannidem ferre nolentes, libenter eâ alias oppresſas vidisſe civitates, cum ex aliis abunde patet locis, tum egregie quoque efficitur ex Libri V. C. 91. „ Videntes enim, ait, Lacedaemonii, a tyrannide liberatos pares ſibi fore Athenienſes, Hippiam arcesſebant Piſistrati filium, eiquè Athenarum imperium reddere ſtudebant, ut huius ita civitatis tyrannide oppresſae promoverent infirmitatem." Quod argumentum ne temere quis ideo in dubium vocet, quo-

(*a*) C. 21. p. 450.

quoniam ex ipso Herodoto petivimus, ipsorum illud confirmatur Spartanorum moribus. Hi enim quantopere proclives fuerint ad alias quacumque tandem ratione opprimendas civitates satis superque testantur, quae post Persicum bellum in Athenienses machinati sunt, omnia. Vix a Persis liberata erat Graecia, quin Lacedaemonii prohibere studerent, quominus Athenarum muri reficerentur, viam ita sibi parantes quam facillimam, qua sibi Athenas aliquando subiicerent (*a*). Quod idcirco de Samiis narrat Herodotus, non tantum non malignitatis speciem habere, sed fide potius dignissimum esse videtur; de cuius narrationis veritate uti nullo modo dubitari posse putamus, ita, quod postremum memoravimus de Lacedaemoniis, Hippiae Athenarum imperium reddere conantibus, nemini facile, Plutarchum si excipias (*b*), mirum videri poterit.

Quae

(*a*) Vid. Nepos in Them. C. 6. Fidem praeterea Lacedaemoniis haberi non posse saepius antiqui scriptores tradiderunt et tradidit quoque Euripides in Androm. vs. 445. Conf. Larcherus ad Herod. Lib. VI. C. 79. in notula B. qui ita de iis existimat, *tout moyen, qui pouvoit faire triompher les Lacédemoniens, leur paroissoit bon et legitime. La perfidie et le manque de foi ne leur coûtoient rien.* Conf. omnino ad Lib. VII. C. 149. Cel. Valck. nota.

(*b*) Vid. C. 23. p. 456 sq.

Quae porro ad Lacedaemonios a Plutarcho refertur Herodoti malignitas, in narratione illa versatur plenilunii. Tradit enim Historicus Lib. VI. C. 106. Lacedaemonios lege prohibitos, Athenienfibus auxilia mittere noluisse nisi post impletum orbem lunarem, atque ita factum, ut, peractâ demum pugnâ Marathoniâ, venirent. Quae aegre ferens Plutarchus, eam apud Spartanos legem nunquam obtinuisse dicit (*a*). Cur vero, quaeso, iis, quae de lege illa tradidit Herodotus, fidem negemus? Nam, ut taceam, Persici belli temporibus proxime vixisse Herodotum, Plutarchum autem aliquot seculis post, hanc, quam diximus, legem alii bene multi Spartae viguisse affirmant (*b*). Huius vero legis evertendâ veritate quoniam id spectavit philosophus, ut fidem Herodoto negandam esse declararet, pugnâ demum peractâ advenisse narranti Lacedaemonios; nobis quidem operae pretium videtur, alius quoque, eiusdemque fide dignissimi, memorare sententiam. In Miltiadis igitur vitâ tradendâ ip-

(*a*) C. 26. p. 460.

(*b*) Vid. Pausanias Lib. I. C. 28. Conf. Cl. de Rhoer, § 4. p. 137 sq. et auctores ibi citati; et omnino ad nostrum locum Larcherus in notis ad Plut. de mal. Herod. C. 33. Tom. 6. vers. Gall. post Herod. edit.

ipſe adeo Nepos, qui longe ante Plutarchum vixit, et nullo hac in cauſa duci potuit partium ſtudio, auxilium quidem a Lacedaemoniis petiisſe narrat Athenienſes, in proelio autem nullam Athenienſibus auxilio ſuisſe gentem praeter Plataeenſes (*a*). Illud denique vel maxime nobis credere prohibet, Lacedaemoniorum illam legem gentis gloriam obſcurandi cauſâ memorasſe Herodotum, quod infra (*b*) post plenilunium duo *millia* Lacedaemoniorum tantâ festinatione adipiscendi hostem et ſocios ita a periculo liberandi ſeſe Athenas contulisſe affirmat; ut triduo, quam ex Sparta decesſerant, in Atticam pervenerint.

Hae igitur a Plutarcho in Historiae patrem intentae accuſationes, quam exigui ſint momenti ex dictis nostris ſatis iam patere videtur; et vero, ſi in Lacedaemoniorum dedecus ſcribere voluisſet noster, illa profecto, quae apud eum occurrunt, operi ſuo nunquam inſeruisſet testimonia. Ecquis hunc eos virum reprehendere voluisſe putet, qui illos, cum ſingulis pugnan-
do

(*a*) C. 4 et 5. Conf. Iustinus Lib. II. C. 9. qui cum de Plataeenſibus idem narrat, tum quoque Lacedaemonios abſuisſe tradit propter quatriduam religionem.

(*b*) C. 120. Lib. autem VI. C. 108. narrat quoque noster iis auxiliatum fuisſe Plataeenſes.

do nullis fuisse deteriores, confertos vero omnium omnino hominum praestantissimos memoraverit (*a*); qui Sperthiam et Bulin Spartae cives ita apud Hydarnem Persam loquentes induxerit (*b*), ut egregie appareat, quam alienus fuerit ab aliarum civitatum laudibus detrectandis.

In Corinthiorum deinceps tradendis facinoribus malignitatis vel maxime reum esse nostrum, demonstrare conatur Plutarchus; quae quidem eius hac in caussâ prolata accusatio ne iis quidem, qui non ita abiecte de historiae patre ex-

(*a*) Lib. VII. C. 104.

(*b*) Lib. VII. C. 134 sqq. Sed exempla aliquot citanda, ut manifesto pateat quam egregie in Lacedaemoniorum versetur memorandis facinoribus. Conf. Lib. V. C. 72. ubi de Lacedaemonio quodam agens, ἔργα, inquit, χειρῶν τε καὶ λήματος ἔχοιμ᾽ ἂν μέγιστα καταλέξαι. Lib. VI. C. 70. quo loco de Demarato agens Lacedaemonio eum imprimis illustrem fuisse tradit, quia solus omnium Spartae regum quadriiugo certamine in ludis Olympicis palmam reportaverat. Imprimis autem de eodem conf. Lib. VII. C. 102. Denique huc afferri potest Lib. VII. C. 218. ubi memorat noster Barbaros, Thermopylis iam adscensis, videntes armatos milites imprimis veritos fuisse, ut milites isti (Phocenses) Lacedaemonii essent; quod profecto, si Lacedaemonios petere voluisset, Hydarnem Persam non dicentem induxisset.

existimare soleat, a vero prorsus abludere videtur. Dionis quippe Chrysostomi testimonio ideo Corinthiorum gloriam reticuisse censebatur Herodotus, quod laudum in eosdem antea congestarum nullam acceperat mercedem (a). Sed primum Herodoti proponamus et examinemus narrationem, et ita deinceps videamus, quomodo de Dionis existimandum sit testimonio. Narrat (b) in duas discessum esse opiniones de opera a Corinthiis in proelio ad Salamina Graecis praestita. Dicere enim Athenienses, Corinthiorum ducem Adimantum una cum Corinthiis pugnae initio, sublatis velis, aufugisse, deinceps vero divinitus admonitum ad reliquos rediisse Graecos, re iam ab aliis navata. Corinthios contra dicere, inter primos se fuisse in pugna; quorum addit noster reliquam Graeciam omnem probasse sententiam. Iam vero, si meam me hac in causa proferre oportet opinionem, nullum malignitatis indicium hic mihi continere videtur locus. Quod enim subiungit noster τὴν ἄλλην μαρτυρεῖν Ἑλλάδα istiusmodi quid apud me efficit, ut Atheniensium opinioni nullam fidem habendam esse opiner. Hi enim inepto patriae amore corrupti, om-

(a) In orat. Corint. 37. Tom. 2. p. 103. Edit. Reisk.
(b) Lib. VIII. C. 94.

omnia in suam ipsi laudem vertere studebant. Herodotus autem huius Atheniensium opinionis patrocinium non tantum non suscipit, sed eam contra aperte refutat, reliquae Graeciae hac de re apponendâ sententiâ. Nec vero Plutarchus hic ferendus est, „ historiae patrem Graeciae opinionem ideo apposuisse, ne nimis aperte maledicendo malus videretur, istamque calumniam non ab Atheniensibus in Corinthios, sed ab ipso Herodoto in utrosque fictam esse", statuens (*a*). Ita enim si quid explicari potest, praeclara alicuius facinora, vel dicta in turpissima quaeque facile mutari possunt; nec vero tam abiecte de homine homini existimare licet. Caeterum Plutarchi haecce tenuis argumentatio simillima esse videtur istiusmodi hominis agendi rationi, qui, ubi semel perversi quid protulit, omnia deinceps, ut sibi constet, aut affirmare aut negare constituit.

Sed videamus nunc de Dionis Chrysostomi testimonio quid sit existimandum; cuius quippe veritas si probari posset, tam pravam simul probatum esset Herodoto fuisse indolem, ut vix ei fides esset habenda. Sed eius caussa facile mihi defendi posse videtur.

Primum igitur animadvertendum, nisi hae duae

(*a*) C. 39. p. 496.

duae revera apud Graecos fuisfent de Corinthiis opiniones, maximam continuo Graeciae partem, Corinthiorum illis temporibus amicam, Herodoti declaraturam fuisse mendax ingenium; Graecis idcirco, quibus placere ftudebat, quique totum istud negotium probe fciebant, haud facile falfi quid obtrudere aufurum fuisfe nostrum (*a*). Quodfi praeterea utriusque fcriptoris cogitemus, quâ vixit, aetatem, magis etiam Dionis impugnatur testimonium. Is enim quinque adeo feculis post pugnam Salaminiam, Herodotus contra illi proxime floruit. Hic igitur ab iis rem audivit, qui ipfi interfuerant pugnae: ille contra non nifi ex historiâ et monumentis haurire potuit, quae tamen monumenta minus hac in cauſâ fide digna erant. Cum enim plurimi Herodoti aetate fe a pugna Plataeenfi abfuisfe erubescentes, posterorum caufa monumen-

(*a*) Quodfi nobiscum reputamus, Herodotum Graecis placere ftudentem haud femel operis fui partem in ludis publicis legisfe, omisfis etiam ceteris, quae et permultae et vero fummi momenti fuscipi posfunt, defenfionibus, mirum iam continuo videri debet, istiusmodi hominem maledicendo gloriam fibi parare nifurum fuisfe. Quoniam autem revera fummam fibi apud Graecos conciliavit gloriam, probatur inde, ni fallor, eum neque Corinthiis neque univerfis Graecis maledixisfe. Qua de re egregie egit Doct. Geinoz, l. l. p. 567.

menta sepulcralia erexerint (*a*), quidni idem facere potuerunt Corinthii post proelium Salaminium? Sed praeterea Dionis Chrysostomi si vera esset narratio, Plutarchus profecto, omnia avide arripiens, ut Herodotum peteret, eam nequaquam omisisset (*b*). Dionis idcirco narrationem haud magni esse momenti merito statui posse opinor. Ne autem quis Simonidis poëtae mihi obiiciat in Corinthiorum Adimantique honorem prolatum carmen, animadvertendum, hunc maxime poëtam eorum celebrare solitum fuisse laudes, qui magnam ei donarent pecuniae vim (*c*).

Sed quandoquidem supra monumentorum mentionem fecimus sepulcralium, ab iis post pugnam Plataeensem erectorum, qui se ab eâ abfu-

(*a*) Vid. Herod. Lib. IX. C. 85.

(*b*) Conf. Cel. Wesselingius in Annot. ad Lib. VIII. C. 94. et ibi Schweigh.

(*c*) Vid. Larcherus in vita Herod. p. 84. De Simonidis avaritia elegans est locus apud Aristoph. in Pace vs. 696. ubi Mercurius interrogat Trygaeum, quid faciat Sophocles, cui respondet Trygaeus

εὐδαιμονεῖ· πάσχει δὲ θαυμαστόν. Ἑρμ. τὸ τί;
Τρ. ἐκ τοῦ Σοφοκλέους γίνεται Σιμωνίδης.
Ἑρμ. Σιμωνίδης; πῶς; Τρ. ὅτι γέρων ὢν, καὶ σαπρὸς,
Κέρδους ἕκατι κᾂν ἐπὶ τῆς ῥιπός πλέοι.

Conf. ad h. l. Schol. in Edit. Kusteri.

fuisse erubescebant, hac de re item paucis videndum est. Pugna igitur Plataeensi peracta, tumulis ornatos fuisse memorat Herodotus (a), qui in ea occubuerant. Alios autem fuisse narrat, qui pugnae se non interfuisse erubescentes posterorum causa inanes tumulos erexerint. Corinthiorum autem quia ab eo mentio fit nulla, astute inde effici vult Plutarchus (b), ut eos quoque inanes istiusmodi tumulos erexisse significet. Quae quam inepta et futilis sit conclusio, unusquisque facile videt. Quidni enim Corinthii eadem passi ac Phliasii et Megarenses (c), qui tumulis sepulcralibus ornati erant, idem facere potuerant? Horum igitur cum nullam faceret mentionem Herodotus, ideone significat ab hoc illos destitutos honore cenotaphia erexisse? De ipsis adeo Aeginetarum agens monumentis eademque inania fuisse significans, e sua non illud dicit persona, sed laudabili more suo continuo addit, *ut ego audivi* (d). Sed, ne longius in istiusmodi verse-

(a) Lib. IX. C. 85.

(b) C. 42. p. 503.

(c) Uti patet ex Lib. IX. C. 69. Ex quo loco, abunde mihi confici posse videtur, Corinthiorum laudes minime detrectare voluisse Herodotum; quod vero idem primum pugnae non adfuerant, ne iis vitio verteretur, ita huius absentiae causam tradit noster, Lib. IX. C. [illegible]

(d) C. 85.

femur argumento, quomodo Corinthiorum laudes tenebris involvere voluerit, cum eos post Athenienses in pugna ad Mycalen optime memoret (*a*), equidem non intelligo.

De Thebanis deinde quae in medium profert Plutarchus, manifestis funt illa referta calumniis. Ita v. c., cum narrat Herodotus (*b*) Thebanos invitos a Leonida in Thermopylarum angustiis fuisse detentos; exinde illius mendax ingenium efficit Plutarchus (*c*), quia fieri non potuerit, ut trecenti Spartani quadringentos, qui illic aderant, detinerent Thebanos; quod facillime omnino Chaeronensi philosopho damus. Sed ex eodem loco Plutarchi potius, quam Hero-

(*a*) Lib. IX. C. 105. Conf. Lib. V. C. 75. ubi de Cleomene agens, variarum gentium copias adversus Athenienses ducente, Corinthios narrat expeditionis primum fuisse socios; deinceps vero secum reputantes iniuste a se agi, sese avertisse atque discessisse; Lib. VI. C. 108. Nam, quum Thebani adversus Plataeenses et Athenienses exercitum ducerent, Corinthios tradit noster rem minime neglexisse, sed continuo advenisse, ut hos in gratiam reconciliarent populos; et Lib. VIII. C. 72. ubi Corinthios in eorum refert numerum, qui Isthmum adversus Barbaros muro aedificarant; quum contra, si eos petere voluisset, inter illos censuisset, quorum Graeciam periclitari nihil interfuisse memorat.

(*b*) Lib. VII. C. 222.

(*c*) C. 31. p. 475.

rodoti, apparet malignitas. Hic enim Spartanorum, qui tunc aderant, numerum eitans, praeter eos Thebanosque illos, Thespienses quoque adfuisse tradit (a). Adde, hunc constantem fuisse Spartanorum morem, ut numquam solitarii, sed quodam quasi suorum stipati satellitio, in proelium proficiscerentur, ita ut singuli interdum septenos secum ducerent Helotas (b). Facillime idcirco quadringentos istos Thebanos detinere potuit Leonidas. Quoniam autem summo studio id agebat philosophus, ut a maioribus suis turpem illam eandemque omnibus notam amoveret a Graecis defectionem, mirum profecto non est, locum illum de Thermopylis omni ratione ab ipso petitum et contortum fuisse. Quum igitur tradit Herodotus (c), detentos istos a Leonida Thebanos, ad-

(a) Lib. VII. C. 222. Thespienses autem adeerant septingenti. vid. C. 202. Conf. Pausanias Lib. X. C. 26. p. 846, qui omnes ante pugnam abiisse narrat socios, exceptis Thespiensibus et Mycenaeis; et Diodorus Siculus Lib. XI. C. 9.

(b) Vid. Lib. IX. C. 10. et 28 sq. In hac vero ad Thermopylas pugna adfuisse Lacedaemoniis Helotas egregie omnino patet ex Lib. VII. C. 229. et Lib. VIII. C. 25; quae cum in medium protulit summus Wess. ad Lib. VII. C. 222. merito quaerit *quid ad haec malignitatis accusator?*

(c) Lib. VII. C. 233.

adveniente Xerxe, manus ad barbaros protendisse, ad eosque propius accessisse, referentes sese cum Medis sentire, terramque et aquam inter primos regi dedisse, at vi coactos ad Thermopylas venisse et a culpâ vulneris regi illati abesse, in tanto rogat Plutarchus (*a*), pugnantium tumultu quomodo exaudiri potuerit horum hominum imploratio? Verum Historiae pater narrat, tam prope in conspectum hostium venisse Thebanos, ut ab iis nonnulli occisi fuerint. Optime idcirco exaudiri poterant a Persis, et praeterea ex eorum quoque gestu haud obscure patere debuit, eos esse supplices (*b*).

Sed Plutarchi in Herodotum missa malignitate, ex iis historiae patrem defendere lubet, quae de Thebanis illo tempore in Graecia ferebantur. Ubivis memorabatur eorum levitas et perfidia, et, quantopere eorum facinora in bello Persico omnibus nota essent, exinde patet, quod ipse adeo Plutarchus aperte illos defendere non ausus est. Imo vero eo usque huius populi prorupit perfidiae fama, ut Demosthenes et Xenophon saepius eam memo-

(*a*) C. 33. p. 481.
(*b*) Conf. Wesselingius ad h. l.

morarint (*a*). Sed diutius in hoc argumento versari nolimus, cum malignitatis caussâ ipse sibi subinde repugnet Plutarchus. Nam alio loco Herodotum solis in opere suo adulatum fuisse Atheniensibus (*b*), alio contra ne his quidem ipsis eum pepercisse affirmat (*c*).

Caeterum Chaeronensis philosophi accusationes licet nullo modo in Herodotum quadrare videantur, haec tamen omnia non ita accipi debent, quasi in rebus cum barbarorum tum variarum Graeciae civitatum exponendis omnis expers sit vitii. Nam civitatum illarum inter se aemulatione fieri non poterat, ut omnia a scriptore rite cognoscerentur. Solebat enim ali-

(*a*) Vid. Dem. Philipp. 2. p. 70. Edit. Reisk. Tom. I. et Xenophon Hell. Lib. V. C. 4. § 12. Conf. Diodorus Sic. Lib. XI. C. 4.

(*b*) C. 26. p. 462. Observari hoc loco potest, anxium adeo versari nostrum in laudandis Atheniensibus. Cum enim Lib. VII. c. 139. Graeciae libertatem ab Atheniensibus profectam fuisse narrat, ἐνθαῦτα, inquit, ἀναγκαίῃ ἐξέργομαι γνώμην ἀποδέξασθαι, ἐπίφθονον μὲν πρὸς τῶν πλεόνων ἀνθρώπων, ὅμως δὲ, τῇ γ' ἐμοὶ φαίνεται εἶναι ἀληθές, οὐκ ἐπισχήσω. Quodsi adulari voluisset Atheniensibus, non profecto e Graecis in pugnâ ad Salamina primas partes egisse, et ita prae ceteris excelluisse tradidisset Aeginetas, postque hos Athenienses Lib. VIII. C. 93. Conf. Wess. ad Lib. VIII. C. 122.

(*c*) C. 29. p. 470.

alia civitas alias saepe proferre diversissimas narrationes, e quibus, quaenam vera habenda esset, nullus facile diiudicare poterat. Quod vero de Graecis civitatibus, idem quoque de barbaris valet. Cum enim et fontes, e quibus haurire debebat noster, non semper puri essent et limpidi, et superstitione fabulisque plurima tegerentur, quidni fieri debuit, ut aliquid subinde notaret, quod minus recte sese haberet (*a*)? Quae igitur hac in causa in Herodoto inveniuntur minus accurate tradita, non quidem ea nostri probant malignitatem, neque illi vitio verti possunt, sed merito ab omnibus veniam poscunt.

Et sic quidem huic disputationi finem tandem imposituris, unum hoc nobis superest, ut, quare tam fuse egerimus de Plutarchi accusationibus, paucis exponamus. Uti in nullis non scriptis, ita in historico praesertim opere fides spectanda est potissimum. Princeps enim est haec scriptorum virtus, quae si absit, ceterae, quaecumque adsunt, nullo sunt pretio habendae. Nos igitur de *dotibus* non tantum He-

(*a*) Conf. La Harpe l. l. p. 128. qui elegantius et verius omnino de Herodoto praedicavit, quam Milotus *Elémens d'histoire générale*, Tom. 1. p. 187 et 362. add. Larcherus ad Herod. L. IV. C. 26.

Herodotei operis, ſed etiam de *virtutibus* agentes, hunc nobis locum ſedulo accurateque tractandum duximus. Quum autem ceteros omnes Herodoti obtrectatores maledicentiae ſtudio et doctrinae copiâ ſuperaverit Plutarchus, hic nobis maxime in hac cauſâ cognoscendâ audiendus videbatur.

Ceterum in totâ hac disquiſitione veri me unice ſtudio ductum fuisſe, lubens profiteor: num vero gravisſimo argumento dignam ſcripſerim disputationem, vehementer dubito. Ego enim iuvenili hac aetate,

Edidi, quae potui, non ut volui.

CORNELII ADRIANI BERGSMA,

LEOVARDIA-FRISII,

MATH. ET PHIL. NAT. ET MED. CAND.

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM CHEMICO-OECONOMICAM

A FACULTATE DISCIPLINARUM

MATHEMATICARUM ET *PHYSICARUM*,

PROPOSITAM:

„ *Instituatur lactis vaccini examen chemi-*
„ *cum, ad hodiernam artis perfectionem*
„ *accommodatum, in quo ratio etiam ha-*
„ *beatur illius casei albuminosi* (Zieger, Sé-
„ rai), *qui post separatum caseum vulga-*
„ *rem per calorem et acida e sero lactis*
„ *separatur, et doceatur, num principium*
„ *a vulgari caseo diversum revera sit ha-*
„ *bendum. — Indicetur praeterea ratio, in*
„ *Belgio adhibita, ad diversa lactis vacci-*
„ *ni principia a se invicem separanda et*
„ *in usum oeconomicum convertenda.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Prijst Spagnien, prijst haer ooft en wat 'er plag te groeijen,
Ons Hollant prijst te recht de vruchten van d[illegible]eijen.

CATS.

PRAEMONENDA.

Lac primum omnium mammalium nutrimentum est, neque inter omnia quae nutritioni inſerviunt quidquam tam frequentis uſus est; ab homine per totum fere terrarum orbem quotidie in uſum vocatur.

Cum vero hominis maxi[illegible] interſit illa cognoscere, quae ei maximum commodum afferunt, lac inprimis attentionem nostram meretur, adeoque accurata analyſis chemica lactis maximi est momenti.

Licet disciplinae phyſicae quotidie novis detectis exornentur, tamen in artis chemicae parte, quam Chemiam animalem vocamus, permulta deſiderantur.

Quamquam vires meae minime ſufficiant, ad aliquid novi detegendum neque ad analyſin chemicam, ſecundum artis perfectionem, inſtituendam, liceat tamen mihi nonnulla proponere experimenta, a me de lacte inſtituta, quae quidem repetita et confirmata ad nova ducere posſunt detecta.

Quaestio ad quam reſpondere his paginis conabor, commode dividitur in duas partes, quam diviſionem ſecuti, nos etiam disſertationem nostram duobus capitibus exponemus.

I°. *Lactis vaccini examen chemicum.*

II°. *Ratio in Belgio adhibita, ad diverſa lactis vaccini principia a ſe invicem ſeparanda et in uſum oeconomicum convertenda.*

CAPUT PRIMUM.

LACTIS VACCINI EXAMEN CHEMICUM.

§ I.

Lac vaccinum est liquor opacus, coloris albidi, ſaporis dulcis, e diverſis principiis conſtans; haec autem principia non ſemper eadem proportione in lacte occurrunt, uti eleganter animadvertit Cl. Parmentier, qui dixit: „ *Il est difficile de déterminer par l'analyſe la plus exacte la quantité et proportion des parties conſtituantes du lait, puisqu'elles changent d'état a chaque inſtant de la journée, et qu'elles varient dans les divers animaux, dans le même animal, enfin dans la même traite*" (1). Quod quia quotidie experientia confirmari potest etiam cauſa videtur, quare tantum inter ſe differant diverſae analyſes huius liquoris.

Gravitatem ſpecificam lactis vaccini, quod exami-

(1) *Cours complet d'Agriculture*, Tom. XII. p. 189.

mini submisi, inveni 1,034; alii vero eam gravitatem specificam determinaverunt 1,0327, sed illa differentia potest etiam pendere a diversa proportione principiorum.

§ II.

Si lac aliquamdiu quiete servatur, separatio spontanea obtinet; ad eius superficiem observatur liquor albi-flavescentis coloris, hic autem liquor est cremor lactis, qui, quandoquidem specifice levior et tantum ceteris partibus mixtus est (1), ad superficiem elevari debebat; ita omnis cremor a ceteris lactis partibus separari potest.

§ III.

Si lac diutius relinquitur, coagulationem in eo observamus et sponte iterum in duas partes separatur; altera pars, massa coagulata est caseus, liquor autem serum lactis appellatur.

§ IV.

Ex hoc liquore caseum albuminosum separare pos-

(1) Conf. Fourcroy et Vauquelin, in dissert. de Lacte Vaccino in libro cui titulus: *Mémoires de l'Institut*, Tom. VI. p. 338.

posſumus, primo evaporatione, deinde parva acidi acetici quantitate liquori ad temperaturam 100° C elevato, addita; quando liquor fere ad ſiccitatem evaporatus est, post aliquod tempus masſam cryſtallinam praebebit, quae pro maxima parte est ſaccharum lactis. Sunt haec praecipua lactis principia, ſed videamus de ſingulis et determinemus quantum posſimus, quo ſtatu in lacte recenti occurrant.

§ V.

Cremor lactis continet butyrum, quod ſeparatur ſi cremor tunditur, quo motu particulae butyri ſibi invicem appropinquantur, quae concretae ad ſuperficiem elevantur: lac ebutyratum quod restat materiem caſeariam et ſerum lactis continet.

§ VI.

Butyrum omnino formatum in cremore adesſe, ſequentibus experimentis abunde probare posſumus.

Cremor recens et purus cum alcohole coquitur, liquor filtro ſeparatur et masſa, quae in filtro remanſit, aqua calida tractatur et in vaſo profundo quiete ſervatur; post refrigerationem butyrum ad ſuperficiem liquoris videmus.

Lac

Lac recens in retortam vitream inmittitur, apposito excipulo ex balneo aqueo destillatur, donec liquor collectus adaequet dimidiam partem lactis adhibiti; apparatu refrigerato, in retorta ad superficiem lactis invenies butyrum optimum, in excipulo autem nihil nisi aqua erit.

His experimentis facillime patet, butyrum non actione oxygenii, ut saepius statuitur, formari, sed ut videtur intime mixtum esse cum materie casearia et sero; alcohole haec mixtio turbari videtur, quia alcohol affinitate sua coniungitur cum aqua, e qua pro maxima parte serum constat; butyrum ita liberatum calore solvitur et ad superficiem elevatur; secundo experimento aqua tantum detrahitur et butyrum iam formatum remanet. Butyrum non invenitur nisi in lacte (1); color eius variare potest a flavo ad album, odorem quodammodo aromaticum habet, aqua non solvitur neque alcohole frigido, difficillime vero alcohole ebulliente, cum alcalibus in saponem mutari potest. Butyrum constat secundum Cl. Chevreul e stearina, elaina, parva quantitate principii colorantis, et parva copia vel acidi butyrici, quod principium odorem butyro conciliet, vel olei, quod actione alcalium in acidum

(1) Thenard, *Traité de Chimie* 3[me] edit. Tom. III. p. 631.

dum hocce mutatum, originem huic acido praebeat (1).

Si butyrum cum sufficiente alcoholis quantitate coquitur omnino solvitur et quando refrigeratur stearinam deponit, elaina vero soluta manet; stearina formam crystallisatam praebet, sed quando levi tantum calori exponitur iterum solvitur, et masfa concreta erit adiposa, elaina vero, quando alcohol, illam in statu soluto servans, lente evaporatur, olei inspissati formam habebit.

Acidum butyricum praeparare frustra tentavi.

§ VII.

Consideremus nunc materiem caseariam, sive caseum. Vidimus eam sponte coagulari, et facile ita separari posse, sed praeterea in universum acidis mineralibus lac coagulatur, inprimis autem coagulo, e quarto ventriculo ruminantium nuper natorum praeparato.

Caseus aqua est insolubilis (2), et in lacte tantum aliis partibus mixtus est, quod sequentibus experimentis facile probatur.

Alcohol propter affinitatem suam cum aqua, etiam coagulationi lactis favet, illud coagu-

(1) Thenard, *l. l.* Tom. III. pag. 633.
(2) Libro laud. Tom. III. p. 535.

gulatum est caseus, qui facile distinguitur; si autem aqua solubile esset iterum nova proportione aquae solveretur, quod vero non obtinet.

Quando lac recens evaporatur et ad temperaturam 100° C. siccatur, massam solidam habemus quae pro parte tantum aqua iterum solvi potest, et massa insolubilis est caseus, qui facile distinguitur.

Materies casearia solvitur solutionibus alcalinis, inprimis ammonia; acidis vegetabilibus non coagulatur, nisi prius lac ad statum ebullitionis redactum fuerit; fermentat caseus ut gluten, et, secundum Cl. Proust, praebet eadem producta et transformatur in caseas et acetas ammoniae in oxydum casei et gummi (1).

Oxydum casei praeparatur e materie casearia fermentata, quae materies aqua calida tractatur, et filtro separatur; liquor ad syrupi consistentiam evaporatur; residuum deinde alcohole tractatur, quo alcohole solvuntur caseas, et acetas ammoniae, tandem aqua frigida solvitur gummi, et oxydum casei, forma pulverulenta, remanebit; ex iis quae alcohole soluta sunt, acidum caseicum praeparari potest; hunc in finem, per aliquod tempus relinquitur liquor, et interdum additur alcohol purus et concentratus; hac opera-

(1) Thenard, *l. l.* Tom. III, p. 535.

ratione omne gummi deponitur, deinde evaporatur et residuum aqua solvitur, tandem per aliquot momenta cum carbonate plumbi coquitur, qua operatione formabuntur acetas et caseas plumbi, quae aqua sunt insolubilia, adeoque filtro possunt separari; plumbum iterum ope gazis hydro-sulphurici, quod gasforme per liquorem transit, praecipitatur; acidum vero aceticum evaporatione pellitur et acidum caseicum purum remanebit.

Cum massa, aqua insolubilis, quae post lactis evaporationem et exsiccationem remanserat, post aliquod tempus, quando cum aqua fermentationem subierat, odorem caseatis ammoniae contraxisset, conatus sum illa producta, quae proprie ad principia lactis non videntur pertinere ex hac materie praeparare, quod etiam facile mihi successit.

Materies casearia componitur e	carbonio	59,781.
	oxygenio	11,409.
	hydrogenio	7,429.
	azoto	21,381.
		100,000. (1)

§ VIII.

Nunc agendum est, de illo caseo albummoso

(1) Thenard, *l. l.* Tom. III. p. 535.

so (*Zieger*, *Sérai*), qui, post separatum caseum vulgarem calore et acidis e sero lactis seperatur, et si possimus docendum est, num principium a vulgari caseo diversum revera sit habendum.

Primo videamus, quid de hisce principiis cognitum sit et deinde proponemus experimenta nonnulla, quibus solvere hanc quaestionem conati sumus.

§ IX.

Cl. Schübler primus fuisse videtur, qui conatus fuerit determinare differentiam inter caseum genuinum, et caseum albummosum (1), ille nempe scripsit dissertationem de lacte eiusque principiis (2), in qua diversa experimenta proposuit, quae tamen ut mihi videtur, multis vitiis laborant: omnia eius experimenta inprimis eo tendunt, ut discrimen determinet inter caseum vulgarem, ope coaguli separatum, et caseum albuminosum, quem, acidum aceticum sero lactis ebulliente addendo col-

(1) J. A. Uilkens, *Handb. der Vaderl. Landh.* p. 309.

(2) Invenitur illa dissertatio in libro cui est titulus: *Landwirthschäftliche Blätter* von Hofwyl, edito a Viro Cl. E. von Fellenberg, Tom. V. p. 117. et seqq.

collegit, non autem inquirit, an etiam mutationem subeant haec principia, actione horum reagentium, quamvis facile observare possimus, caseum sponte separatum quam maxime differre ab eo, qui ope coaguli formatur; caseus nempe ope coaguli separatus, cohaeret et elasticitatem quamdam possidet; caseus vero spontanea separatione collectus, non ita cohaeret, gelatinosum adspectum habet neque ullam elasticitatem ostendit; certo etiam differt caseus albuminosus, qui acido acetico separatur, ab illo, qui evaparatione colligitur, nam hic caseus albuminosus minime cohaeret, ille vero est massa omnino concreta, unde quisque facile intelligit, si discrimen determinare cupiamus, non in corpora composita sed quantum fieri potest in simplicia experimenta instituenda esse; quod tamen non fecit Cl. Schübler (1). Hisce itaque perpensis facile concludere audeo, experimenta eius nihil de differentia proposita probare. Idem principium diverso modo coniunctum nonne diversam proprietatem externam, diversamque solubilitatem posset habere? videtur mihi haec sola quaestio sufficere ad exiguum horum experimentorum pretium indicandum, neque opus erit, experimenta eius refutare, licet facile possem, sed prae-

(1) Libro laud. p. 129 seqq.

praeferendum ſtatuo, aliquid hac de re meis ipſius experimentis inducere.

§ X.

Caſeus et caſeus albummoſus revera differunt ſtatu, quo in lacte recente occurrunt, nam caſeus coaguli additione facile ſeparatur; caſeus vero albummoſus non ita, nam ſolutus manet, ſed experimentis ſequentibus videtur illud pendere ab acido quodam, quo materies caſearia ſoluta est, ſive cum quo coniuncta in lacte occurrit; quod idem obſervavere Viri Cl.. Fourcroy et Vauquelin (1); illud acidum magnopere convenire videtur cum acido acetico, niſi ſit verum acidum aceticum. Materies caſearia ſponte vel alchole ſeparata facile ſolvitur ab acido acetico, et ita omnino proprietatibus ſuis cum caſeo albuminoſo convenit, eodem modo, quando ebullit, additione novae quantitatis acidi acetici praecipitatur, eandemque formam asſumit ac caſeus albuminoſus.

Quando ſerum lactis evaporatur, caſeus albuminoſus albeſcit, idem obſervavi de materie caſearia acido acetico ſoluta; caſeus albuminoſus eodem modo ac caſeus praecipitatur acidis

(1) *Memoires de l'Inſtitut*, Tom. VI. p. 351.

dis mineralibus, haec principitata etiam hisce acidis solvuntur, et semper eadem phaenomena observari possunt; acida mineralia cum fortiora sunt, in caseum albummosum certe facile actionem suam exercere deberent, si esset materies casearia acido quodam soluta.

Caseus eodem modo, quo solet caseus albummosus, e lacte separari potest, nam si lac recens ad gradum ebullitionis fuerit calefactum, parvae acidi acetici quantitatis additione praecipitatur caseus.

Caseus albummosus cum alcalibus tractatus solvitur, uti caseus vulgaris et eadem forma acidorum ope ex his solutionibus praecipitatur.

Caseum albummosum cum acido coniunctum esse probari videtur, siquidem e sero lactis, debili alcalium solutione, materies praecipitatur, omnino conveniens cum materie casearia sponte separata, quae etiam materies eodem modo fermentationem subit, ac caseus, sed tantum post plures dies.

Caseus albummosus semper in lacte occurrit, nec videtur post mulctionem nova casei quantitas mutari in caseum albuminosum, quia quantitas huius principii satis constans est.

Sentio quidem operae pretium esse, ut multa praeterea experimenta de caseo albuminoso instituantur, sed cum tempus et occasio desunt, haec,

haec, quae dixi, mihi videntur satis indicare, sub qua forma probabiliter caseus hic uterque in lacte occurrat.

Unde pendeat, quod lac acescat, postea conabor explicare, quando etiam patebit, cur casei albuminosi copia non augeatur post mulctionem.

§ XI.

Quando caseus et caseus albuminosus e lacte separati sunt, semper aliquid materiei animalis remanebit, quod cum saccharo lactis colligitur illudque impurum reddit; quando, saccharo lactis crystallisatione iterata purificato, illa materies aqua valde solubilis collecta est, animadvertimus, illam notabili quantitate in lacte occurrere. Illud quod de hac substantia dicunt Viri Cl. Fourcroy et Vauquelin non parvi est momenti, multas illi egregias observationes tradiderunt quarum plurimae meis experimentis respondent. Materies illa animalis alchole e solutione sua praecipitari potest, et praecipitatum facile iterum aqua solvitur; quando autem ad siccitatem fere solutio evaporata est, mucilaginosum aspectum habet et durante evaporatione colorem subfuscum assumit, ab hac igitur substantia videtur pendere, quod lac subfuscum evadat ad finem operationis,

quan-

quando evaporetur; praecipitatur aceto plumbi et sic etiam separari potest, si nempe praecipitatum colligitur et aqua lavatur, et deinde plumbum ope gazis acidi hydro-sulphurici a nostra materie separatur, quae materies tum iterum facile aqua solvitur, et proprietatibus suis cognoscitur.

Quodammodo cum fermento videtur convenire, et forte plurima phaenomena quae in lacte observantur, huius materiei natura possunt explicari. Nonne ab ea pendere potest fermentatio lactis? Hinc porro intelligitur, quare lac, quod ebulliit, diutius conservari possit, nam illa mucilago animalis quando calori exponitur, saltem per aliquod tempus, perdit fermentandi facultatem.

Haec substantia maiori quantitate invenitur in lacte recente quam in illo quod acuit (1); contra in lacte recente vix potui detegere illud acidum, quod detectum est a Clar. Scheele anno 1780 in sero lactis (2), quod acidum lacticum nominavit; sed maiori quantitate illud acidum e lacte colligi potuit, e quo, per aliquod tempus servato, caseus sponte separatus erat; ergo non improbabile mihi videtur, uti iam proposuerunt Viri Clar. Fourcroy et Vauque-

(1) Fourcroy et Vauquelin, *l. l.* p. 353.
(2) Thenard, *l. l.* Tom. III. p. 562.

quelin, illud acidum oriri e materie vegeto-animali.

Illa mucilago, quando in aqua soluta est, acidi proprietates assumit, et videtur cum altera mucilaginis parte se coniungere, et acidum lacticum praebere. Hoc ut probarem, mucilaginem cum parva acidi acetici copia coxi; productum omnes acidi lactici proprietates habuit; alcohole solubile erat, et ad siccitatem evaporatum humiditatem ex atmosphaera attraxit.

Ab hac mucilagine forte etiam pendere potest mixtio casei et butyri cum ceteris lactis partibus, et sic etiam separatio spontanea casei intelligitur; nam quando mucilago illa vegetoanimalis mutata est in acidum lacticum, causa mixtionis cessat.

§ XII.

Iam observavimus saccharum lactis in sero adesse. Videamus aliquid de hoc principio, quod colligitur, si post evaporationem liquor loco frigido servatur, quando crystalla observantur, quae intra bibulam siccantur; deinde vero, quo purius sit illud saccharum, cum alcohole tractari potest. Fabricius Bartholetus Italus saeculo decimo sexto detexisse vi-

videtur illud ſal; ſed Fickius anno 1710 in Germania primus methodum praeparationis publice dedit (1). Saccharum lactis ſubdulcis est ſaporis; fermentationem non ſubit; nequaquam fere ſolvitur alcohole; nullo acido neque alcali praecipitatur; cum acetate et nitrate plumbi nihil obſervatur.

Saccharum lactis videtur componi e gummi et ex acido, quod ope magneſiae purae ab eo ſeparari potest, nam quando ſacchari lactis ſolutionem cum oxydo magneſii coxi, post percolationem et evaporationem liquoris, gummi obſervavi, quod proprietatibus conveniebat cum gummi, quod colligitur, quando oxydum caſei praeparatur; huius gummi ſolutio praecipitabatur acetate et nitrate plumbi.

Componitur ſaccharum lactis e 38,825 partibus carbonii
53,834 oxygenii et
7,341 hydrogenii

100,000

ſive 38,825 carbonii et
61,171 hydrogenii et oxygenii in proportione, qua adſunt in aqua (2).

§ XIII.

(1) *Uitgezogte Verhandelingen te Amſt. bij* Houttuin, Deel II. p. 543 et 544.

(2) Thénard, *l. l.* Tom. III. p. 551.

§ XIII.

Sequentibus experimentis proportiones principiorum, lac constituentium, facile possunt determinari.

A. Lac evaporatur, et sic ad temperaturam 100° C exsiccari potest; massa subflava, quae facile pulverisari potest, remanebit; hac operatione omnis aqua pellitur, adeoque differentia ponderum determinari potest.

B. Massa a praecedente operatione residua, cum aqua calida tractatur, et refrigerata butyrum, omnino formatum, omnesque butyri proprietates habens, ad superficiem monstrat, quod butyrum facile separari potest. Massa superstes nova iterum portione aquae tractatur; haec autem operatio tandiu repetitur, quoad nihil amplius aqua solvi possit, vel quoad nullum amplius butyrum separetur. Butyri sic separati pondus facile determinatur.

C. Massa non soluta est caseus, et salia insolubilia continet; iam si massa comburitur, donec nihil carbonii supersit, e cineribus collectis concludi potest ad casei et salium quantitates: observandum autem est, partem phosphatis calcis decomponi posse, quando cum carbone candescat.

D. Solutio aquosa, ab experimento *B* remanens,

nens, calori exponitur, et, quando ebullit, additur parva acidi acetici quantitas; coagulationem nunc observabimus, et caseum albuminosum colligemus: caseus hic albuminosus coniunctus-esse videtur cum acido acetico.

E. Si liquori, qui remanet a praecedente experimento, addatur acetis plumbi, observabitur praecipitatum intensum album, quod filtri ope separari potest a liquore; materies vegeto-animalis cum plumbo praecipitatur, et si deinde gaz acidum hydro-sulphuricum pellitur per aquam, in quam praecipitatum immisimus, materies illa liberabitur et in liquore soluta erit.

F. Liquor, a quo praecipitatum separatum est, continet acidum aceticum, quod autem facile evaporatione pellitur, qua operatione protracta, saccharum colligitur, si liquor per aliquod tempus loco frigido servatus erit, quando crystalla in liquore observabuntur.

G. Si deinde cum alcohole tractatur saccharum lactis, colligitur acidum lacticum, si adsit, cum parva hydro-chloratis potassae quantitate. Acidum lacticum purius colligi potest, quando serum lactis evaporatur ad octavam fere partem seri adhibiti, separata materie casearea; deinde aqua calcis saturatur liquor, quo phosphas calcis, quod in sero haeret, praeci-

pi-

pitatur; additione acidi oxalici ſepartatur calx, et forte potasſa ex hydro-chlorate potasſae; quando acidum hydro-chloricum liberatur, (quod forſitan reagere potest in ſubſtantiam vegeto-animalem,) et ſic augere acidi lactici quantitatem, liquor ad ſyrupi conſistentiam evaporatur, et alcohole ſolvitur acidum lacticum.

H. Ad determinationem ſalium necesſe erit, determinatam lactis quantitatem ad ſiccitatem evaporari et lente dein comburi: ſalia alba in cruſibulo remanebunt, quae deinde calori ſatis valido posſunt exponi; aqua tandem tractantur, quando pars ſolvetur, quae erit hydro-chloras potasſae, cum parva calcis quantitate, orta a decompoſitione phosphatis calcis, quod est ſal inſolubile lactis.

His experimentis inveni lac conſtare

ex aqua	915,00
butyro	26,70
caſeo	36,24
caſeo albuminoſo . .	6,28
materie vegeto-animali	10,05
phosphate calcis . .	2,05
hydrochlorate potasſae	1,50
	997,82.

Haec ad lactis analyſin chemicam ſufficere mihi videntur, neque opus erit illa fuſius expone-

nere, aut refutare ea, quae a Chemicis de lacte communicata sunt; tantum novis experimentis, saepius repetitis, principia lactis melius possumus cognoscere. Si experimenta, a me instituta, hac in re aliquid iuvant, habebo, quod mihi gratuler.

CAPUT SECUNDUM.

RATIO IN BELGIO ADHIBITA, AD DIVERSA LACTIS VACCINI PRINCIPIA A SE INVICEM SEPARANDA.

---

§ I.

Ad alteram commentationis partem transeamus ad eam, nempe in qua describi debet: „ *Ratio in Belgio adhibita, ad diversa lactis vaccini principia a se invicem separanda et in usum oeconomicum convertenda.*"

Unus quisque facile sentit, hanc partem studioso difficillimam esse, cum in museo illa, quae nunc describi debent, discere non possit.

Generalis quidem ratio butyri et casei formationis facile cognoscitur et describitur; hoc vero non sufficit ad rationem, in Belgio adhibitam, describendam; nam generalis agendi methodus eadem est in Gallia, in Germania, immo per totam Europam.

His perpensis facile intelligitur, nos a rusticis Belgicis discere debere, quid et quomodo agant; igi-

igitur, ut descriptio mea evadat (quod spero,) omnibus partibus satis absoluta, referam omnia, quae de his rebus, quando inter rusticos versarem, vidi, nec non illa, quae experientia edocti viri mihi tradiderunt, licet forte minoris momenti videantur.

§ II.

Lac vaccinum a rustico colligitur, eiusque principia a se invicem ab eo separantur, ut ad diversos usus oeconomicos praeparentur, atque adhiberi possint.

In lactis autem tractatione tam multa observanda sunt, ut ne accuratissima quidem descriptio sufficiat, ad omne illud complectendum, quod, bonus rusticus et rustica, ut sciant, necesse est, experientia tantum eo pervenire possumus, ut bonum butyrum et caseum praeparemus; sine experientia vero nil nisi vilia producta, etiam si optimam theoriam bene cognitam haberemus, praebere possumus. Sed videamus nunc de iis quae ad ipsam descriptionem pertineant.

§ III.

Primo mundities imprimis semper in tractatione lactis observari debet ab iis, qui bona pro-

producta praebere cupiant; inde etiam fit, ut multi rustici, antequam incipiant mulgere, parva aquae quantitate, quam in hunc finem in situla adtulerunt, ubera vaccae lavent, quod etiam a Viro Clar. Thaer laudatur (1).

§ IV.

Deinde cognitio temperaturae et aëris, et instrumentorum, quibus utitur rustico, non parvi est momenti; nam experientia rusticum docuit, diverso anni tempore et diversa aëris temperatura diverso modo agendum esse; nec minoris illi est momenti cognoscere instrumentorum temperaturam; hanc ob causam instrumenta cuprea anteponit ligneis, quia temperatura solita in iis minus elevata est; experientia nempe docuit, lac in instrumentis cupreis citius refrigescere quam in ligneis.

§ V.

Transgrediamur nunc ad ea, quae de ipso lacte monenda sunt: priusquam aliquid de lacte fiat, ad maiorem puritatem, et ob pilos, qui in

(1) A. Thaer, *Grundsätze der rationellen Landwirthschaft*, Tom. IV. p. 348.

in illud incidere posſent, per cribrum colatur; hoc peracto, lac deponitur, ut refrigescat; illud plurimum obtinet ſub dio, in loco umbroſo, ubi tunc rustici ſitulas, lacte impletas, in fosſam demittunt; quia vero tunc ſaepius corpora heterogenea in lac incidere, et forſitan diverſi quoque, e fosſis evoluti vapores a lacte attrahi posſent, illa agendi methodus non ab omnibus probatur; et certe melius agunt illi rustici, qui in ſtabulo lacum refrigeratorium habent (1), quo ad hunc finem utuntur; ſunt alii, qui lac in ipſo puteo refrigerent (2); ſed forte optima agendi methodus est eorum, qui caveam ita appropriant ut lacus refrigeratorius in ea adſit (3); nam, praeter alia commoda, in his caveis temperatura non valde elevata invenitur.

§ VI.

(1) Talis lacus refrigeratorius delineatus est tabula LV. fig. 1. libri Viri Clar. Le Francq van Berkhey, cui titulus: *Natuurlijke Historie van het Rundvee in Holland*, Deel VI.

(2) Delineati ſunt hi putei l. l. in eadem tabula fig. 2. et 3.

(3) In media tali cavea puteus invenitur, in quo antliam poſuerunt, cuius antliae ope excavationem, e lapidibus conſtructam, aqua frigidisſima implere posſunt: operatione peracta, per aperturam in fundo excavationis, aqua effluere potest.

§ VI.

Si lac ſatis refrigeratum est, in vaſa, in hunc finem accommodata (1) inſunditur, et ſic in cavea ſibi relinquitur, rustica interdum curante, ut temperatura inſima ſervetur, ne lac putredine corripiatur.

§ VII.

Postquam lac per duodecim horas (2) in ca-

(1) Vaſa forma valde diverſa huic fini inſerviunt; rustici plurimum vaſis oblongis fundo rotundo e ligno formatis utuntur. (delineatum est tale vas libro laudato; tab. LV. fig. 4. *b.*) Multi etiam rustici, imprimis in agro Friſiaco, talia vaſa e cupro fabricata adhibent; alii vero, loco vaſorum memoratorum, cupis ligneis utuntur, quae cupae ob diverſas cauſas non probandae videntur; non quidem, quod aëris actione cremoris ſeparatio acceleretur, ſed quia cremor in cupis maiorem, quam in aliis vaſis, reſistentiam vincere debet, et inſuper, quia munditiès faciſius obſervari potest, quando in hunc finem vaſis memoratis, imprimis cupreis, utuntur rustici; deinde addere debemus, nonnullos rusticos testis uti, (has delineatas invenimus *l. l.* eadem tab. fig. 4. *m.*) quae tamen non ab omnibus rusticis in uſum vocari posſunt, quia parvam tantum lactis quantitatem continent, (conf. Thaer, *Grundſätze der rationellen Landwirthſchäft*, Tom. IV. p. 351).

(2) Tempus, per quod lac relinquitur in diverſis provin-

cavea fuit, cremor, qui lactis superficiem tegit, tollitur et in cupam capacitate maiori huic fini inservientem infunditur (1); lac adhuc per duodecim horas tranquille manet, quando cremor, qui tum etiam separatus est, tollitur. Nonnullae rusticae etiam differentiam statuunt inter cremorem primum collectum et illum, qui deinde a lacte separatur; dicunt nempe, e cremore altera vice collecto butyrum non tam bonae qualitatis confici, quam igitur ob rem separatim illas cremoris pertiones servant.

§ VIII.

Sic igitur vidimus, quomodo lac a rustico in duas partes distinguatur, cremorem nempe, ex quo butyrum conficiatur, ad quam praeparationem describendam nunc transibimus, et illam lactis partem, quae post cremoris separationem remanet, et cuius usum deinde indicabimus.

§ IX.

Nil difficilius est boni butyri praeparatione, nul-

vinciis saepe differt, a nonnullis, post viginti quatuor horas, cremor a lacte tollitur; ab aliis, uti in Brabantia, per tres dies relinquitur.

(1) Talis cupa delineata est a Viro Clar. Le Francq van Berkhey, *l. l.* tab. LV. fig. 4. *f.*

nulla re bona rustica melius cognoscitur, quam quod bonum butyrum praeparare possit; in nulla re experientia magis requiritur, neque in hac operatione quidquam magis observari debet, quam mundities et apta temperatura, quae ad butyri separationem requiritur; quando omnia ad butyri confectionem praeparata sunt, cremor e cupa in vas, butyro conficiendo inserviens (1) transfunditur, et rustica omnem curam impendit, ut temperaturam aptam cremori praebeat; illam elevat, si opus est, aquam calidam addendo; frigida vero aqua addita, aestate illam nonnunquam deprimit, ut hoc quoque anni tempore soliditatis requisitae bu-

(1) Maxima differentia etiam observatur inter haec vasa, et in modo, quo motus in iis excitatur; sed haec omnia optime descripta sunt a Viro Clar. Le Francq van Berkhey, *l. l.* Cap. XII. p. 348 et seqq. et diversae species vasorum ad butyri confectionem inservientium delineatae sunt l. l. tab. LVI. ad LIX. In Provinciis meridionalibus butyrum saepe in vasis argillaceis conficitur, et, qui maiorem quantitatem cremoris colligunt, utuntur vasis descriptis a Viro Clar. I. N. Schertz, in libro cui titulus est: *Anleitung zur Kenntnisf der Belgischen Landwirthschäft*, Tom. II. p. 284 et seqq. et p. 281 et seqq. Primam species vocant *Serenne*, alteram vero *Tournoire*, in prima motus verticalis, in secunda autem horisontalis excitatur: delineata sunt l. l. tab. VIII. fig. 6. et 5.

butyrum conficiat. Nonnulli ponunt cremorem in statu ad putredinem vergente esse debere (1); sed hac profecto potius nocivus est ad boni butyri praeparationem (2); et experientia docuit butyrum difficillime posse separari, si putredine corripi incipit, quod saepius obtinet.

§ X.

Partes minutissimae butyri, in cremore fluctuantes (3), sibi invicem appropinquantur motu, qui incitatur ope instrumenti in hunc finem in vase adaptati.. Nonnulli putaverunt, aërem atmosphericum etiam butyri separationem adiuvare (4); sed contrarium satis probatum esse videtur (5); igitur motu lactariorum separationem fieri, satis fideliter statuere audeo.

Mo-

(1) I. A. Uilkens, *Handboek der Landhuishoudkunde*, p. 310.

(2) A. Thaer, *rationellen Landwirthschäft* Tom. IV. p. 351.

(3) Vulgo statuitur, butyrum operatione formari (conf. A. Thaer, *l. l.* p. 352. et I. A. Uilkens, *l. l.* p. 310.) sed potius videtur butyrum omnino formatum in lacte adesse. (Vid. huius dissertationis p. 7.)

(4) Thaer, *l. l.* p. 352. et Uilkens, *l. l.* p. 310.

(5) Thenard, *Traité de Chimie* Tom. III. p. 632. Conf. huius dissertationis p. 8.

Motu aequali instrumentum elevatur et deprimitur, donec rusticae videatur, omne butyrum iam separatum esse; ut vero sibi hac de re persuadeat, tegmen vasis paululum sublevat, virgamque instrumenti movet; quodsi iam butyrum impressionem virgae servat, neque iterum butyrum confluit, hoc tanquam signum considerat, omnem butyri separationem peractam esse, atque operationem sistit (1).

§ XI.

Operatione butyri conficiendi peracta, butyrum, ad superficiem elevatum et concretum, rustica manibus vel cribro e vase tollit; illud, quod in inferiore vasis parte adhuc haeret, elevari curat, virgam movendo.

§ XII.

Omne butyrum, sic collectum, lavatur aqua frigida, qua operatione hoc existit commodum, ut butyrum fiat solidius, lac autem ebutyratum,

quod

(1) Nonnulli rustici, qui tantum parvam lactariorum quantitatem colligunt, omne lac simul in machinam ad butyri confectionem colligunt, (conf. I. A. Uilkens *Handboek* p. 310.)

quod ei adhaeſerit, ab eo ſeparetur, atque fruſtula materiei caſei quae butyri confectione concreta esſent, liberentur; haec nempe fundum vaſis petunt dum butyrum ſpecifice levius aquae innatat.

§ XIII.

Postquam butyrum bene lautum est, addito ſale culinari perdepſitur, tandemque doliis colligitur, niſi ex eo masſae variae formae formentur, quae ſic in uſum convertuntur.

Vidimus quomodo butyrum ſeparetur, et ad uſum oeconomicum praeparetur.

§ XIV.

Restat ut inquiramus in caſei praeparationem; caſeus e lacte vaccino formatus, cuiuscumque ſpeciei univerſe in duo genera dividi potest; in caſeum, qui e lacte dulci mox post mulctionem praeparatur, et in caſeum, qui e lacte, cremore ſuo privato, conficitur.

§ XV.

Caſei prioris generis maxima quantitas in Hollandia praeparatur, licet etiam talis caſeus in aliis provinciis formetur; ſi caſeum huius

generis conficere cupiunt rustici, lac recens in cupam per cribrum effundunt, deinde coagulum (1) addunt; lac, aliquo tempore praeterlapso, coagulatum versatur, et deinde quiete relinquitur, donec omnis materies casearia fundum petierit; tum pannus cupae imponitur, quo panno depresso, catini ope serum lactis, hac operatione liberatum, supra pannum exhauritur; quo peracto, praecipue in Hollandia caseo tantum aquae calidae addunt donec caleat massa coagulata; quantitas vero aquae calidae differt secundum usum horum caseorum; pinguedo enim solvitur aqua calida, contra vero diutius servari possunt si solidiores et pinguedine privati sunt (2).

Quum serum, quantum fieri potest, exhaustum

(1) Coagulum quantum scio in nostra patria semper praeparatur e quarto ventriculo vitulorum nuper natorum; quando illum ventriculum extraxerunt, aperitur et lavatur, deinde sale conditur, tandemque siccatur. Ad coaguli praeparationem partem huius ventriculi in frustula secant et salsugini imponunt; hanc solutionem ad usum servant. Parva quantitas, nempe quingentesima pars lactis sufficit ad coagulationem perfectam producendam; unde autem pendeat vis coagulans, nondum cognitum esse videtur.

(2) I. Kops, *Magazijn van Vaderl. Landbouw*, Tom. IV. p. 545. Le Francq van Berkhey, *l. l.* Tom. VI. p. 449.

ſtum fuerit, pannus vaſi caſeario vel alio inſtrumento huic fini inſerviente (1) imponitur, et catino omne, quod restat transfunditur in pannum; per aperturam vaſis vel inſtrumenti liquor fluit, quamdiu maſſa lactis coagulati in panno remanet, quae maſſa deinde manibus perdepſitur et tandem cum panno in forma caſearia ponitur, deinceps manibus, quantum fieri potest, omne ſerum exprimitur; durante hac operatione ſaepius maſſa caſearia e vaſe tollitur, inverſaque iterum imponitur.

§ XVI.

Si iam ſufficientem ſoliditatem videtur accepiſſe caſeus, alio panno indutus, iterum in forma caſearia ponitur, quam formam operculo clauſam ſic ſub prelo (2) conſtituunt, vel et ſaepius pondera tantum ei imponunt; et ſic relinquitur.

§ XVII.

(1) Illud vas oblongum habet formam eorum vaſorum, in quibus lac ſervari ſolet, ſed paulo maius est, et in fundo eius apertura invenitur. Inſtrumentum, praecipue in Hollandia huic fini inſerviens, delineatum est a Viro Clar. Le Francq van Berkhey, *l. l.* tab. LIX. fig. 3. *c.*

(2) Prelum illud deſcribitur a Viro Clar. Le Francq van Berkhey, *l. l.* T. VI. p. 437. et delineatur tab. LIX.

§ XVII.

Post viginti quatuor horas iterum e vase tollitur, et in labrum, salsuginem continens, imponitur, in quo etiam per aliquod tempus relinquitur, donec rustica coniiciat, eum sufficientem salis quantitatem adsumsisse; tum detersus in locum obscurum frigidumque transportatur, ibique servatur.

§ XVIII.

Quotidie horum caseorum curam habere necesse est, namque et inverti et in superficie interdum sale culinari fricari debent; etiam superficies illa a nonnullis colore rubro tegitur, ab aliis oleo lini inungitur.

Sic iam vidimus quomodo in nostra patria caseus e lacte recente praeparetur.

§ XIX.

Serum, quod a praeparatione casei huius generis remanet, in labrum colligunt rustici, et per viginti quatuor horas tranquille reponunt, quo tempore praeterlapso, cremorem a superficie colligunt, et ex eo butyrum conficiunt, quod tamen non valde laudari solet, ideoque mi-

minori pretio venditur, vel a rusticis ad usum suum oeconomicum servatur.

§ XX.

Aliam quoque casei speciem saepius praeparant rustici, cuius operatio in omnibus convenit cum illa, quam modo descripsimus; differentia in eo tantum posita est, quod loco lactis modo emulcti adhibeant lac, a quo iam abstulerunt cremorem, igitur ad alterum genus pertinet; sed haec casei species non diu servari potest, et eum recentem comedi necesse est; sed videamus quomodo e lacte, cremore privato, caseus ille praeparetur, qui multum mercatorum teritur manibus, et per sat longum tempus servari potest.

§ XXI.

Caseus secundi generis, caseus cuminatus vulgo dictus, magna copia et per fere totam nostram patriam formatur. Ad huius casei praeparationem utuntur lacte, cremore privato, sed in quo acidi proprietates nondum apparent (1); lac ad temperaturam determinatam ca-

(1) Nonnulli rustici huic lacti certam quantitatem lac-
tis

calefaciunt; a nonnullis tota lactis quantitas in aheno, sub quo tunc plerumque fasces virgultorum comburuntur, ad illam temperaturam elevatur; alii partem tantum lactis calefaciunt, quae deinde cum cetera parte lactis miscetur (1).

§ XXII.

Si lac temperaturam aptam acceperit, coagulum ei additur, et quantum potest, versatur, quo facto, relinquitur donec lac coagulatum sit; tum iterum versatur et relinquitur, ut deinde masfae casei fundum petant.

§ XXIII.

Serum lactis modo, quem antea descripsimus, exhauritur, et in pannum colligitur masfa superstes, e qua masfa serum, quantum fieri potest, exprimitur. A nonnullis, qui maxima cura hanc casei speciem praeparant, masfa deinde cum panno tollitur, et imponitur instrumento formae feritri (2), ibi quoque quantum po-

tis ebutyrati addunt, sed illud etiam lac ebutyratum nulla aciditatis signa habere debet.

(1) Le Francq van Berkhey, *l. l.* p. 428.

(2) Illud instrumentum delineatum est a Viro Clar.

Le

potest comprimitur; plurimi illud faciunt ope assis (*eene plank*), quam in massam applicant ut vectem (1); ab aliis serum exprimitur manibus, quod fit in vase supra iam descripto (2); et tandem massa cum panno sub prelum ponitur, ubi per aliquod tempus relinquitur.

§ XXIV.

Caseus, a partibus heterogeneis separatus, e panno desumitur, et pedibus perdepsitur (3); in aliis vero provinciis tantum manibus fieri solet; aromata (4), deinde etiam adduntur, et in Frisia sal culinare simul cum massa casearea miscetur (5); in Hollandia autem pars huius massa separatim servatur, e qua parte crustae formantur.

§ XXV.

Le Francq van Berkhey, *l. l.* tab. LXI. fig. 4.

(1) Talis apparatus describitur in lib. laud. p. 433. et delinata est tab. LXI. fig. 5.

(2) In nota ad § 15. p. 35.

(3) Le Francq van Berkhey, *l. l.* p. 434.

(4) In hunc finem utuntur seminibus Cari carvi et nonnullis Caryophyllis.

(5) Nonnulli etiam colorem viridem vel flavum praebent caseis, addendo succum ex Apio petroselino vel substantiam, qua colorem rubro-aurantium butyro vulgo prae-

§ XXV.

Caſeo ſeparato, tantum ſuperest, ut videamus quomodo formae determinatae caſeis praebeantur, iique ita praeparentur, ut ſine putredine ſervari et transportari posſint. His ſequentia inſerviunt; primo formis induuntur et in his comprimuntur.

Nonnulli ita agunt: panno, in formam immisſo, masſam imponunt caſeariam ſine aromatibus; deinde illam masſam, cui ſemina carvi mixta ſunt; et tandem iterum masſam ſine aromatibus (1); ſic formam, operculo clauſam, ſub prelum mittunt; alii tantum formam masſa caſearia implent, atque operculo clauſam prelo comprimunt; hi post aliquod tempus masſam iterum e forma auferunt, et panno imponunt, eanque ſic ſuperfundunt aqua fervente; quo facto cum panno iterum in formam reponitur, in qua interdum invertitur et ſub prelo relinquitur donec locus ab aliis occupari debeat.

Alii vero, quando caſeum prelo auferunt, eum,

praebent, praeparatam e ſeminibus Bixae Orleanae, (vid. Hahnemans *Apothekerlexikon*, Tom. II. P. II. p. 82.)

(1) Le Francq van Berkhey, *l. l.* p. 436.

eum, non addita formâ casearia, sub aliud prelum (1) mittunt, quo prelo formam planam accipit; et tandem, quando haec operatio peracta est, in alveum (2) ponitur, et sal sic caseo adhuc recente solvitur; quando autem sufficientem salis quantitatem acsumserit, aqua pura lavatur; porro cultro superficies eius plana redditur, deinde colore rubro (3) inficitur, et denique colostro fricatur.

§ XXVI.

Casei sic praeparati servantur loco abscuro frigidoque, et interdum invertuntur. Sic vidimus casei diversae speciei in Belgio praeparationem, transeamus ad alia.

§ XXVII.

Aliquid addamus de usu oeconomico lactis eius-

(1) Tale prelum describitur a Viro Clar. Le Francq van Berkhey, Tom. VI. p. 442. et delineatum est in tab. LXII. fig. 1.

(2) Delineatus est talis alveus a Viro Clar. Le Francq van Berkhey, *l. l.* tab. LXII. fig. 4. *a*.

(3) Color ille, e substantia, e seminibus Bixae Orleanae praeparata, cum potassa et aqua cocta constat.

eiusque principiorum. Lac maximum lucrum affert, si in locis vicinis continuo recens vendi potest. Lac, quod sic venditur, quotidie in usum domesticum adhibetur, et multorum ciborum potuumque praeparationi inservit.

Butyrum, in nostra patria saltem, quotidie adhibetur et magna copia venditur. Lactarium, quod, post confectionem butyri, a cremore restat, nempe lac ebutyratum, rustici vitulis et porcis dant, ad eos saginandos; partim etiam in usum domesticum, ut ad potum quotidianum et ad praeparationem nonnullorum ciborum, adhibent, et si occasio adest facile nec sine lucro in urbibus vendunt.

Caseus multum lucrum rusticis afferre potest et quotidie iis affert; per longum temporis spatium servari potest et vetustate sua semper maioris est pretii; in usum domesticum quotidie adhibetur; etiam caseus recens, qui coagulo concretus et a sero separatus est, sic saepius comeditur. Serum lactis, quod a casei praeparatione restat, etiam optimum est ad vitulos et porcos saginandos; saepius etiam ut potus adhibetur; et nonnulli rustici omne serum lactis colligunt et vendunt, hoc sero sinapis praeparatur; sed, quod mirum est, si modo parva aquae quantitas cum lacte vel cum sero con-

Denique dolendum est caseum albuminosum in nostra patria prorsus negligi; quum in Helvetia nutrimentum quotidianum sit eorum, qui caseum praeparant (1).

Sed cura eorum qui oeconomiam ruralem, ut scientiam tractant, et mutua disciplinarum, et artium applicatione tandem eo pervenire possumus, ut fruamur omnibus illis commodis, quae offert oeconomia ruralis.

T A N T U M.

(1) *Cours complet d'Agriculture*, Tom. V. p. 86.

AEGIDII DE WIT,

ZIERICZEENSIS,

MATHES. ET PHIL. NAT. CAND. ET THEOL. STUD.

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM

A CLARISSIMO ORDINE

MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS,

PROPOSITAM:

„ *Describantur, et quantum id experientia* „ *duce fieri potest, explicentur acus magne* „ *ticae phaenomena. Ostendatur illius* „ *usus in nautica arte, atque viae maxi-* „ *me expeditae, quibus eius declinatio,* „ *inclinatio, atque vis magneticae, qua* „ *praedita est, intensitas, definiri possint.*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

La propriété directrice de l'aimant est une des plus belles découvertes, que les hommes aient jamais faites; elle a donné aux navigateurs le moyen de reconnaître la direction de leur route à travers l'immensité des mers, au milieu des nuits le plus obscures, et lorsque les brumes ou les tempêtes leur dérobent entièrement la vue des cieux.

BIOT.

Quam primum hanc propositam viderem quaestionem, argumenti varietate et vero etiam iucunditate captus, propositum mihi fuit satis certum, ut ad eam responderem. Mox temporis brevitate aliisque negotiis impeditus, propositum fere demiseram; quo tempore mihi innotuerunt experimenta a Viris Cl. Oerstedt, Ampère et Arago instituta, quibus nisi identitatem, at maximam certe analogiam inter electricitatem et magnetismum probarent. Horum experimentorum gravitate et magna vi in ceteras physices partes inductus, omnem hanc rem accuratius explorare coepi, experimenta partim repetii, et omnia, quae mihi innotuerunt phaenomena magnetica cum electricis comparavi, quo certi quid statuere auderem de celebrata illa identitate.

Cumque sic quidem sensim sensimque magis familiaria mihi evaderent phaenomena magnetica, identidem redibat, tandemque constitit propositum, ut quae de illis novissem, sedulo colligerem, et Clarissimi Ordinis iudicio submitterem.

 Num

Num haec mea commentatio quaestioni ſatisfecerit, vos iudicetis, Viri Clarisſimi! Equidem ſic reſpondendum esſe ſum arbitratus, ut quaestionis ordinem ſecutus, in *priore parte* phaenomena, et omni ſubſtantiae magneticae, et ſpeciatim acui magneticae propria, *primum* deſcriberem, *deinde* experientia duce explicarem. Quocirca etiam omnia, quae experientia non niterentur, ſtudioſe omiſi; ut alteram quaestionis partem in *parte posteriori* tractarem. Cum de viis explorandi quantitatem phaenomenorum magneticorum post expoſitum uſum acus in re nautica quaereretur, in priore parte de illis non egi, in posteriore ita tractavi eas, ut imprimis ad rem nauticam illas referrem.

Caeterum univerſe brevitati ſtudui, ita ut evitaverim ſedulo aliquid memorare, quod ad propoſitam quaestionem non pertinere arbitrabar. Calculum quidem non fugio; verum illo quantum potui, abſtinui, cum indoles quaestionis mihi ſummam ſuadere videretur ſimplicitatem.

Si forte ita meum opus placeat, ut praemium reportare mihi contingat, laetus ille mihi erit nuntius; ſin vero minus, nunquam tamen laboris in hanc quaestionem ſolvendam impenſi, me poenitebit.

PARS

PARS PRIOR.

DESCRIPTIO ET, QUANTUM ID EXPERIENTIA DUCE FIERI POTEST, EXPLICATIO PHAENOMENORUM ACUS MAGNETICAE.

CAPUT PRIMUM.

DESCRIPTIO.

Attractio et repulsio magnetica universe.

Exsistit in rerum natura substantia quaedam, lapidis forma, quae *magnes* dicta, insignem hanc habet proprietatem, ut attrahat ferrum, niccolum et cobaltum, imprimis vero ferrum, in caetera corpora hanc vim non exserat. Proprietatem hanc communicare potest cum ferro, ita ut ferrum aliquandiu magnetis actioni expo-

si-

ſitum, ſive alio quocunque modo eamdem illam acquirat proprietatem. Quo durius ſit ferrum, eo difficilius hanc vim accipit, eo vero diutius eam retinet: ferrum igitur molle ſimulac magnetem tangit, ſtatim hanc vim oſtendit, ſimulac illum relinquit, eam amittit. Ferrum autem durum, lentius acceptam hanc vim ne poſt annorum quidem decurſum amittit. Lamina ferri, quae hoc modo magnetiſmum acquiſivit, eadem oſtendit phaenomena, atque ipſe magnes; eodem modo vim ſuam cum alia lamina ferri communicat. Manifeſtatur haec proprietas quando magnes, vel ferrum vi magnetica praeditum, in vicinia ponitur limaturae ferri; tum enim ab omni fere parte attrahi atque adhaerere videbis particulas ferri. Videbis autem ſimul ad utramque laminae extremitatem maiorem adhaerere copiam, quae verſus mediam laminam ſenſim ſenſimque imminuatur, donec in ipſa media lamina nihil attractionis obſervetur. Dividas laminam in duas partes, idem phaenomenon in utriusque partis extremitatibus obſervabis. Vis igitur magnetica, per univerſam laminam diſperſa, accumulatur verſus eius extremitates.

In utraque extremitate eodem modo agit in ferrum, non autem in magnetem. Cum enim laminam ita ponis, ut libere moveri poſſit, ſi-

five illam suspendas, sive, ope sustentaculi, aquae aliive fluido illam innatare facias, et primum alteri tum alteri eius extremitati offers magnetem, videbis alteram extremitatem attrahi, alteram vero repelli ab eadem magnetis parte.

Puncta ubi vis, singulis laminae partibus propria, imprimis agit, atque ad quae omnis huius partis vis unice fere redacta videtur, *poli* laminae magneticae dicuntur. Propter variam actionem horum polorum vario nomine insigniuntur, alter *borealis* vocatur, alter *australis*. Quae sit huius denominationis causa, postea indicabitur. Eorum actionem hanc observamus, ut alterius laminae polus borealis attrahat polum australem alterius, borealem vero repellat. In genere igitur *poli eiusdem nominis se invicem repellunt, diversi attrahunt.*

Attractiones hae et repulsiones magneticae non irregulares sunt, sed certis regulis addictae. Quemadmodum enim ex analogia attractionis magneticae cum universa attractione corporum, suspicari et calculo vindicare licet, easdem utramque sequi leges; sic etiam observationibus exactissimis apparuit, hanc esse vis magneticae legem, ut sint attractiones et repulsiones in ratione inversa quadratorum disstantiarum, pro laminis magneticis iisdem, certe

eius-

eiusdem intensitatis; pro variis autem laminis in ratione composita, directa intensitatis, inversa quadratorum disstantiarum (1).

Quaenam horum phaenomenorum sit causa, adhuc homines latet. Varias variis temporibus hypotheses sibi finxerunt Physici, quibus attractiones et repulsiones magneticas explicarent; quae autem magis eo inserviunt, ut hominum ingenium ostendant, quam ut ipsam naturam atque agendi rationem vis magneticae explicent, atque experimentis constent (2).

Ple-

(1) Elegans apparatus, inventus a Cl. Coulomb, quo principia detegeret ex quibus hanc theoriam duceret, quo simul legem hanc manifestaret, et quem vocavit *bilancem torsionis*, descriptus est ab ipso auctore in opere: *Mémoir. de Mathem. et Physiq. de l'Acad. Royal des Sciences* 1785. p. 569 sqq. et a Cl. Biot, *Traité de Phys.* T. III. p. 29 sqq. — Illustris physicus Mayerus eandem legem ex sola experientia duxit. Vid. Biot, *précis elem. de Phys.* T. II. p. 93. (ed. 1821.)

(2) Varias has hypotheses recensere nimis longum esset et a proposito nostro alienum, cum nihil *experientia duce* explicent. Qui eas scire cupit, adeat inter alia J. S. T. Gehler, *Physik. Wörterb.* in voce *Magnet*, ubi recensentur opiniones virorum cell. Gilbert, Des Cartes, Dalence, Euler, Du Tour, D. et J. Bernouilli, Aepini, Wilke, Brugmans, Kratzenstein, Gabler, van Swinden, aliorum. Vid. etiam Brugmans, *Tentam. Philosoph. de Mater. Magnet.* p. 80 sqq.

Plerique hodie Physici sumunt, phaenomena illa oriri ex duplici fluido magnetico, quorum alterum in polo australi alterum in polo boreali laminae magneticae dominetur. Eo inducti sunt analogia inter attractiones et repulsiones magneticas atque electricas. In utrisque laminis, magneticis et electricis, poli eiusdem nominis se repellunt, diversi se attrahunt. Quemadmodum igitur ad explicanda phaenomena haec electrica sumserunt duo diversa esse fluida electrica, alterum positivum, alterum negativum; sic etiam duo fluida magnetica adesse, indole sua opposita, hypothesis est hodieque vulgaris. Tenendum vero est, meram hanc esse hypothesin, quae non de ipsa natura aut agendi ratione vis magneticae aliquid affirmet, verum eo tantum inserviat, ut melius nobis effingere possimus et una notione complecti phaenomena magnetismi (1).

Quicquid hac de re sit, experientia constat, flui-

(1) Forte experimenta, a Viris Cll. Oersted, Ampère et Arago nuperrime instituta, repetita a doctissimis physicis et maxime hodie celebrata, de analogia (identitate ?) et mutua actione electricitatis et magnetismi, aliquando inservient, ut de utriusque agendi ratione certius aliquid statuatur; quo vero minus ipsa magnetismi natura inde cognoscatur, impedit ignorantia de ipsa electricitate.

fluidum magneticum (nam ita cum plerisque Physicis vocare lubet caussam ignotam magnetismi) non superficiei corporum adhaerere, ibique retineri pressione atmosphaerae, sicut fluidum electricum, sed ipsi ferri substantiae insidere. In aëre enim rarefacto si collocetur magnes, non minus fert pondus, quam in aëre atmosphaerico (1). — Magnes eodem modo agit in acum magneticum atque eadem vi, utrum haec sit in vacuo an vero in aëre atmosphaerico posita (2).

Constat *secundo* loco, fluida magnetica revera esse diversa, nisi natura sua, certe modo externo agendi (3), quorum alterum in hoc, alterum in illo laminae magneticae polo domine-

(1) Vid. Musschenbroek, *dissert. de Magnete* p. 61.

(2) Vid. Brugmans, *l. l.* p. 95. Caeterum quam intensitatis differentiam inter acum magneticum libero aëre suspensam et in vacuo positam deprehendere sibi visus est Blondeau; (*Mém. de l'Acad. de Marine* T. I. p. 431.) etiamsi nihil efficiat contra nostram sententiam, ob ipsius differentiae exiguitatem; praeterea etiam, a tot aliis caussis pendere ostendit Cl. van Swinden, ut rarefactionem aëris eius caussam non esse tuto statuas. Vid. *Récueil de Mémoir. sur l'Analogie de l'Électr. et du Magn.* T. I. p. 301 sqq.

(3) Vid. Biot, *précis Élem. de Phys.* 1821. T. II. p. 3.

netur. Hoc continuo apparet, ex varia actione attrahendi et repellendi, quam poli laminarum magneticarum in se invicem exercent, prout vel diversi vel eiusdem sint nominis.

Tertio loco; quando lamina magnetica in contactu ponitur, cum lamina ferrea non magnetica, in hac quoque excitatur vis magnetica, neque tamen illius vis imminuitur: unde iure concludimus, communicationem hanc virium non effici transmissis fluidis magneticis; verum fluida illa iam antea adfuisse in lamina ferrea, ita tamen coniuncta, ut vires oppositae utriusque fluidi se invicem destruerent; actione autem laminae magneticae illa separari et sua vi agere singula. — Facilitas qua separantur haec fluida a compositione ferri pendet. In ferro molli actione magnetismi facillime haec fluida separantur, cessante autem illa actione, statim denuo iunguntur. In ferro duro et chalybe lente tantum separantur, separata non denuo iunguntur. Vis quae hanc separationem prohibet, vocatur *vis coërcitiva*. Quo maior ergo haec sit vis, eo maiorem copiam magnetismi liberam acquirere et retinere potest ferrum: eo autem maior erit, quo durius sit ferrum.

Quarto; non solum altera lamina alteri non tradit fluida magnetica, sed ne in eadem quidem

dem lamina variae moleculae secum invicem fluida illa communicant. Quamvis enim prima fronte omne fluidum boreale in altero laminae polo, in altero autem omne fluidum australe esse quasi accumulatum videatur, polaritas tamen illa potius efficitur coniunctis viribus fluidorum, quae in quavis molecula exsistunt separata: vires autem hae coniunctae in polis fiunt conspicuae. Si enim ipsa fluida versus polos tenderent, divisâ laminâ in duas partes, altera pars unice magnetismum australem ostenderet, altera vero borealem. Quod non ita fit. In quotcunque enim partes laminam dividas, singulae duos monstrabunt polos, in extremitatibus suis oppositis diversos. Coniungas quotquot velis laminas, ita ut poli diversi nominis se tangant, coniunctae laminae duos tantum habebunt polos, in extremitatibus totius seriei conspicuos. Quemadmodum igitur in columna Voltae ita decomponuntur electricitates galvanicae, ut quae in singulis laminis metallicis separatae exsistunt electricitates, vires suas coniungant, et in utraque columnae extremitate polum efficiant diversum, in quo coniunctae illae vires conspiciantur; sic etiam in lamina magnetica, quae in singulis moleculis separata exsistunt fluida magnetica, coniunctas suas vires ostendunt in polis.

Quin-

Quinto; fluida magnetica adeo sunt subtilia, ut nullo modo sint ponderabilia. Ne accuratissima quidem libra aliquid ponderis augmentum indicat post excitatum in ferro magnetismum, nullam ostendit ponderis iacturam post amissam vim magneticam.

Sexto; fluidum magneticum vim suam exserit trans omnia corpora interposita, nisi ipsum interponatur ferrum, niccolum vel cobaltum, in quae ipsa agere possit.

Phaenomena acus magneticae.

Acus magnetica, a forma sua ita dicta, est lamina magnetica mobilis, cuius longitudo multo superat latitudinem.

Linea recta, quae in acu magnetica utrumque iungit polum, quae igitur directionem determinat, qua fluida magnetica in illa agunt, vocatur *axis magnetica* acus.

Quando eiusmodi acum ita ponis, ut libere se movere possit in plano horizontali, sive suspendatur ex centro gravitatis, sive centrum illud sustineatur fulcro, quod nullum motui horizontali impedimentum affert, sive fluido cuidam innatet; praeter phaenomena attractionis et repulsionis, quae cum ceteris magnetibus habet communia, miram hanc deteges pro-

prie-

prietatem, ut constanter eandem directionem petat axis magneticus. Planum verticale, in quo quiescit axis, vocatur *meridianus magneticus.* Suspendas plures acus, omnium axes magnetici in situ sibi invicem parallelo stabunt. In quascunque terrae partes transferas acus magneticas, ubivis certam directionem eas assimere videbis, in distantia haud ita magna sibi parallelam. — Pendet igitur hoc phaenomenon ab actione telluris in acum magneticam.

Actionem hanc telluris non deberi ferro in tellure obvio, sed revera ipsam magneticam esse experientia docet. Quemadmodum enim lamina ferrea prope magnetem in eadem cum illo directione posita, ipsa magnetismum acquirit; sic etiam quaevis lamina ferrea in meridiano magnetico posita, sensim sensimque fit magnetica; quod phaenomenon explicari non potest, nisi admissa actione telluris vere magnetica. Certiores simus de hoc phaenomeno, quotiescunque examinamus partes horizontales apparatus ferrei, qui vulgo turrium apicibus imponitur. Illae enim cum fere sint in meridiano magnetico positae, omnes magneticam vim ostendunt satis validam. Simplici experimento hoc apparet. Ferrum molle, quod continuo arripit magnetismum, continuo vero demittit, in meridiano magnetico positum cum

sit,

ſit, ſtatim oſtendit phaenomena magnetica, extra meridianum ſi moveatur, ſtatim eam vim amittit.

Directio illa acus magneticae cum fere talis ſit, ut alter polus verſus ſeptentrionem tendat, alter verſus meridiem; magnetismus, qui in parte telluris ſeptentrionali vim ſuam attractivam imprimis oſtendit, vocatur *borealis*; quae in parte meridionali dominatur, *auſtralis* dicitur. Unde, propter attractionem polorum diverſi nominis, polus acus qui verſus ſeptentrionem dirigitur, *auſtralis* dicitur, qui verſus meridiem, *borealis*.

Si polus auſtralis acus magneticae exacte verſus polum telluris borealem ſe dirigeret, meridianus magneticus etiam conveniret cum meridiano geographico loci, ubi obſervaretur acus ſitus. Verum ubivis fere vel ex rudi obſervatione patet, aliam directionem habere meridianum magneticum, aliam geographicum. Angulus, quem hae directiones ſecum invicem faciunt, vocatur *Declinatio acus magneticae*.

Meridianus ille magneticus, erit igitur planum, in quo vis magnetica telluris agit, atque in illo ſita acus magnetica nullam amplius experitur vim, qua extra illud planum abducatur. Poſuimus autem acum, ita ut tantum horizontaliter moveri posſet, atque ita nos non

do-

docet, utrum vis telluris magnetica in directione horizontali agat, necne. Ut autem cognoscamus, quaenam sit linearis directio, in qua vis magnetica telluris agit; sumamus acum ferream, et libratione quaeramus eius centrum gravitatis. Cognito hoc centro, acui tribuamus vim magneticam; quo facto illam suspendamus e contro gravitatis, ita ut verticaliter se movere possit in meridiano magnetico. Continuo nobis apparebit, *directionem vis magneticae terrestris non esse horizontalem*: quae enim, ante acceptum magnetismum, horizontalem habebat directionem acus, hanc non servat, polus australis deprimitur, elevatur vero borealis. Angulus quem directio, quam assumit acus, facit cum horizonte, sive cum linea horizontali in meridiano magnetico ducta, vocatur *Inclinatio acus magneticae*.

Vis, qua acus magnetica in determinata hac directione tenetur, aut si ex illa sit abducta, in illam reducitur, vocatur *Intensitas magnetica*. Cum autem mutuam habeamus actionem magnetismorum terrae et acus in se invicem; intensitas haec pendet et a vi magnetica terrae, et a vi magnetica acus. Intensitas igitur, qua in sua directione tenetur acus, composita est ex intensitate magnetismi terrestris et intensitate acus magneticae.

De-

Declinatio haec, inclinatio et intenſitas acus magneticae, variae ſunt in variis telluris locis. Ut exacte illarum quantitatem pro ſingulis locis determinarent, multis in locis experimenta inſtituerunt phyſici, ut illas cognoscerent. Ut haec experimenta bene ſuccedant, acus, quibus utamur, perfectae ſint, neceſſe est, i. e. ita compoſitae, ut directio acus exacte conveniat cum directione vis magneticae terrestris. Variae hunc in finem proprietates acuum ſunt obſervandae, ad varias res accurate attendendum est in examine de perfectione acus magneticae (1). Cum autem haec proprie ad nostrum

(1) Hunc in finem inter alia requiritur: *primum*, ut directio axeos magnetici conveniat cum directione acus. Caeteroquin totidem minutis differret declinatio acus a declinatione axeos magnetici, quot minutas comprehendit angulus, quem directiones acus et axeos ſecum invicem faciunt. Vera igitur declinatio ab obſervata differret. *Secundo*, ut centrum motus, quem facit acus, exacte conveniat cum centro acus. Sit enim *AB* acus, Fig. I. cuius centrum motus cum centro acus cadit in *C*, (quod erit centrum limbi diviſi *AA'B'B*, in quo poſitio acus obſervatur) punctum *A* determinabit directionem axeos magnetici acus. Subſtituas in locum eius acum cuius centrum ſit in *C'*, centrum autem motus in *C*. Axis *A'B'* virtute ſua magnetica ſe dirigit in meridiano magnetico, parallele ſitui acus *AB*. Extremitas ergo *A'* indicabit in limbo circuli punctum *A'*. Obſervata igitur direc-

rum propositum non conducant, et in disquisitione de phaenomenis acus magneticae iam assu-

rectio CA' a vera directione acus CA differet quantitate AA', cuius tangens est $\frac{CC'}{AC'}$. Magnam hanc esse posse differentiam, vel pro minima distantia CC', hac formula patet, cum iam integro gradu differrent, si tantum esset $CC' : AC' = 1 : 57$. *Tertio*, ut poli acus sint aeque fortes. Attractionis enim vis cum pendeat non solum ab intensitate magnetismi terrestris, sed etiam ab intensitate polorum acus magneticae; momentum virium, in singulos acus polos agentium, differt in acu perfecta et imperfecta. Nihil quidem hoc efficeret ad mutandam acus magneticae directionem, si vires magneticae terrestres borealis et australis agerent in directione perfecte opposita. Cum autem hoc locum obtinere non videatur, eo magis polus fortior in directione actionis magneticae, quae in illum agit, ducetur, quo magis alterum polum intensitate superet. *Quarto*, ut poli sint eadem distantia a centro positi. Momentum enim virium pendet a ratione composita ex intensitate polorum et eorum distantia a centro motus. Quapropter, si aeque fortes sint poli, pro variis distantiis a centro motus varia erit directio acus. *Quinto*, in acubus, ad observandam inclinationem destinatis, requiritur praeterea, ut centrum motus cum centro gravitatis exacte conveniat. Caeteroquin enim ab altera parte pondus acus, cum vi magnetica se coniungens, augeret inclinationem, in contrarium cum illa directionem agens, inclinationem imminueret.

Feliciter multae inventae sunt methodi, quibus eiusmodi acuum vitia determinarentur. V. c. invertenda acu vel invertendis acuum polis, quod mox ab hac parte amissum erat, ab illa recuperatur.

Ve-

ſumatur uſus acus perfectae, haec nos non detinebunt: neque etiam agendum videtur de optima methodo, qua acus ferreae perfecte magneticae reddantur. Sufficiat monuiſſe, methodum *duplicis contactus*, inventam a Cl. Duhamel, modificatam ab Aepino, optimam hucusque eſſe, qua minima opera magnetismus, a magnete traditus, per omnem acum aequabiliter distribuatur. Fortaſſe melius etiam huic conditioni inſervire aliquando patebit methodum recens detectam, qua magnetismus ope electricitatis acubus ferreis inditur (1).

Acu-

Verum de his aliisque acuum vitiis, et methodis, quibus iis ſuccurramus, vid. exactiſſimum opus Viri Cl. van Swinden, *Récherches ſur les Aiguilles amantées*, *Mém. de Math. et de Phyſ. préſentées à l'Acad. des Sciences.* Tom. VIII. In quo opere diſſeritur praeterea de optima forma acuum, de modo ſuspenſionis, ut et de optima methodo comparandarum ſibi acuum magneticarum perfectarum. Haec autem praecipue pertinent ad acum declinatoriam, vid. *Récueil des pièces ſur les bouſſoles d'Inclinaiſon par* D. Bernouilli, Eüler et De la Tour, *Mem. de l'Acad. des Sciences*, Paris 1748. etc. Euler, *Théor. de l'Incl. de l'Aiguille Magn. Mém. de Berlin* 1755.

(1) De variis methodis, quibus uſi ſunt phyſici, ut ope laminarum magneticarum acubus ferreis magnetismum tribuerent, pulcre egit Biot, *Tr. de Phyſ.* T. III. p. 39 ſqq. De communicatione magnetismi ope electricitatis ſive vulgaris, ſive galvanicae, vid. Biot, *Pr. Élem.*

 T.

Acubus ergo quam perfectisſimis inſtructi, obſervarunt Phyſici, declinationem, inclinationem et intenſitatem acus magneticae in variis terrae locis differre.

Ut primum agamus de *inclinatione;* haec obſervata est univerſe augeri, quo propius accedas ad terrae polos, diminui, quo magis ab iis recedas. In hoc hemiſphaerio univerſe polus auſtralis acus, qui verſus borealem terrae polum ſe dirigit, deprimitur; *in* altero hemiſphaerio polus borealis. Sunt autem loca, ubi inclinatio acus nulla est, ſitumque is horizontalem ſervat. Linea quae haec loca iungit, vocatur *Aequator telluris magneticus.*

Hanc lineam habere circiter formam circuli maximi, tellurem cingentis, plerique ad haud ita remotum tempus putaverant Phyſici, illamque inclinatam esſe ad aequatorem terrae quantitate fere 12°. Et revera haec opinio congruit cum obſervationibus in mari Atlantico, Indico et Pacifico prope Americam, in ipſa America et in Africa, factis. Scilicet ex variis illis obſervationibus computarunt (1), et vero etiam directe obſervarunt, aequatores

T. II. p. 117 ſqq. et omnes fere ephemerides phyſicae ſuperioris anni.

(1) Computari enim potest huius inclinationis quantitas, et

res magneticum et terrestrem se secare ad longit. occ. 115°. 34'. (1), et inclinatos ad se invicem esse circiter 12°. Verum haec forma tota mutatur ab alia parte huius nodi occidentalis, in oceano magno Pacifico. Qui enim ex hemisphaerio australi ad hunc nodum accedit aequator magneticus, non perducitur in hemisphaerium boreale, sed postquam terrae aequatorem tetigit, denuo descendit in hemisphaerio australi, ex quo demum egreditur ad long. occ. 186°. Integram huius curvae formam computavit ex observationibus M. Morlet, eamque fere hanc esse invenit (2).

In

et positio nodi ubi se secant hi aequatores ex nonnullis observationibus locorum ubi nulla sit inclinatio: Sit enim (Fig. II.) *AC.* pars aequatoris terrestris, sint *D.* et *E.* puncta ubi nulla observatur inclinatio, erit *DEC.* aequatoris magnetici pars, ∟ *ACD.* erit inclinatio aequatorum ad se invicem, *AC.* differentia longitudinis inter *A.* et *C.* Ex cognitis longitudine et latitudine punctorum *D.* et *E.*, ductus per illa meridianis, nota erunt *AD*, *EB*, *AB* et ∟ *DAC.* = ∟ *EBC* = 90°. Ex quibus facillime derivantur, ope calculi trigonometrici, *AC* et ∟ *DCA.*

(1) Quotiescunque longitudinem gradibus exprimimus, a meridiano Parisii initium facimus.

(2) Scilicet cum pauca sint loca, ubi inclinatio nulla est observata, multa vero, ubi exigua est; quaesivit Morlet proportionem inter inclinationem acus magneticae et distantiam ab aequatore magnetico: quam distantiam vocat latitudinem magneticam. Ex theoria quam

de

In long. Or. 16°. secat aequatorem terrae, descendit versus orientem, in partem terrae
au-

de causa magnetismi proponit, illam proportionem pro latitudinibus magneticis haud ita magnis invenit: tg. inclin. = 2 tg. lat. magn. Invenerant iam Biot et Humbolt, proportionem illam esse, tg. $(i+l) = \frac{\text{sin. } 2\, l}{\text{cos. } 2\, l - \frac{1}{3}}$ ubi i est inclinatio acus, l latitudo magnetica loci. Haec formula prima fronte haud ita simplex, uti formula Morleti, eodem cum illa redit, quemadmodum rite observavit Bowditch, Geometra Americanus. Scilicet

$$tg.\,(i+l) = \frac{\text{sin. } 2\, l}{\text{cos. } 2\, l - \frac{1}{3}}$$

$$\frac{tg.\,l + tg.\,i}{1 - tg.\,l\; tg.\,i} = \frac{\text{sin. } 2\, l}{\text{cos. } 2\, l - \frac{1}{3}}$$

$$tg.\,i\left(1 + \frac{\text{sin. } 2\, l\; tg.\,l}{\text{cos. } 2\, l - \frac{1}{3}}\right) = \frac{\text{sin. } 2\, l}{\text{cos. } 2\, l - \frac{1}{3}} - tg.\,l.$$

$$tg.\,i\,(\text{cos. } 2\, l - \tfrac{1}{3} + \text{sin. } 2\, l\; tg.\,l) = \text{sin. } 2\, l - tg.\,l \text{ cos. } 2\, l + \frac{tg.\,l}{3}$$

$$tg.\,i = \frac{2 \text{ sin. } l \text{ cos. } l - tg.\,l \text{ cos. }^2 l + tg.\,l \text{ sin. }^2 l + \frac{1}{3}\, tg.\,l}{\text{cos. }^2 l - \text{sin. }^2 l + 2 \text{ sin. }^2 l - \frac{1}{3}}$$

$$= tg.\,l\left(\frac{2 \text{ cos. }^2 l - \text{cos. }^2 l + \text{sin. }^2 l + \frac{1}{3}}{\text{cos. }^2 l - \text{sin. }^2 l + 2 \text{ sin. }^2 l - \frac{1}{3}}\right)$$

$$= tg.\,l\left(\frac{\text{cos. }^2 l + \text{sin. }^2 l + \frac{1}{3}}{\text{cos. }^2 l + \text{sin. }^2 l - \frac{1}{3}}\right) = tg.\,l\left(\frac{1 + \frac{1}{3}}{1 - \frac{1}{3}}\right)$$

$$tg.\,i = 2\; tg.\,l.$$

Quam reductionem cur non adiecerit Cl. Biot, *Trait. de Phys.* T. III. p. 132, cum Aragone nescio, *Anal. de Chym. et de Phys. Juillet* 1821. p. 273.

Ope huius formulae Morlet ex cognitis exiguis inclina-

australem, donec maximam disstantiam 14° 10' attigerit ad long. occ. 28°. Redit tum sensim sensimque ad aequatorem terrae usque ad 89° long. occ. Ibi inflectitur curva, fere paralleliter accedit ad aequatorem, et, postquam illum osculata est ad 120° long. occ., denuo descendit, maximam alteram disstantiam australem 3° 15' habet ad 163° long. occ. Sensim inde accedit ad aequatorem, quem tandem secat ad 186° long. occ. sive 174° long. or. Aequatorem relinquit in parte terrae boreali, primum maximam disstantiam 9°. ab aequatore habet ad 128°. long. or. Inflectitur ibi denuo ad aequatorem, nec tamen in hac directione pergit. Postquam enim ad 106°. long. or. minimam disstantiam borealem habuerit 7°. 44', ab aequatore recedit, adscendit usque ad 62°. long. or. ubi alteram maximam disstantiam borealem habet 11°. 47', unde ad aequatorem redit; quem secat ad 16°. long. or., a quo eius cursum explorare incepimus.

Ab utraque parte recedens ab hoc aequatore magnetico, sensim sensimque augetur inclinatio, a parte boreali, ut iam dictum est, polus

nationibus, continua interpolatione computavit directionem aequatoris magnetici. Vid. Biot, *Pr. Élem.* T. II. p. 84.

lus acus australis deprimitur, a parte australi borealis. Primum quidem aequabiliter augentur inclinationes, certe in hac terrae parte, ubi fere circuli formam habet aequator magneticus; ita ut lineae, in quibus inclinatio sit aequalis, fere parallelae sint huic aequatori. Non vero semper ita procedere differentiam inclinationis, observationibus patet. Scilicet si *prius* obtineret, polus huius aequatoris, ex quo vis magnetica attrahens *borealis* exiret, *situs esse* deberet ad long. occ. 25°. et lat. bor. 76°. circiter, atque in hoc loco acus magnetica verticalem assumeret positionem. Iam vero ibi polus telluris magneticus borealis non invenitur. Scilicet Physici Angli, qui a. 1818 fecerunt expeditionem in regiones polares arcticas, in lat. bor. 76°., in long. occ. 63°. observarunt acus magneticae directionem, et revera inclinationem observarunt 84°, declinationem vero, quam ex nostra assumtione orientalem observare debuissent, invenerunt occidentalem, et 87° adeo. Unde apparet polum magneticum borealem telluris revera magis occidentem versus haberi, quam ex positione aequatoris magnetici suspicari liceret, itaque inclinationem aequabiliter augeri non posse, quod etiam non fieri observationibus constat (1).

Quod

(1) Vid. de his omnibus B i o t, *Pr. Élém.* II. p. 85 sqq.

Quod attinet ad *declinationem* acus magneticae, multae etiam factae sunt de illa observationes. Nonnullis in locis acus magnetica trahitur ex meridiano terrestri versus orientem, in aliis versus occidentem. Sunt loca, ubi declinatio nulla est: sunt ubi maximum attingit. Si loca, ubi nulla observatur declinatio, lineis coniungas, hae lineae primum quidem perpendiculares sunt aequatori magnetico, mox autem irregularem prorsus formam habent. Observatur eiusmodi linea hodieque in mari Atlantico, inter antiquum et novum continentum, secat meridianum Parisii ad lat. aust. 65°., inde adscendit ad septentr. et occid. ad 35°. long. occ., inde septentrionem versus tendit ad 5°. lat. bor., unde recta fere procedit per Americam, directionem servans mediam inter septentrionalem et occidentalem. — Altera eiusmodi linea, huic fere opposita, detecta est, quae in mari Pacifico oriunda, trans partem occid. Novae Hollandiae, mare Indicum, promontorium Comorin, Persiam, Siberiam occidentalem et Laponiam procedit. — Haec autem linea prope Archipelagum Asiaticum ramum emittit, qui trans Sinam et Siberiam orientalem se diffundit. — Quartae denique lineae sine declinatione vestigia observavit ill. Cook in mari Pacifico prope maximam inclinationem aequatoris magnetici.

Quae,

Quae quidem, quamvis eius cursum nondum prosecuti sint navigatores, verosimiliter etiam ulterius progreditur; cum enim a varia parte harum linearum varia observetur declinatio, numerus illarum linearum par sit necesse est, quemadmodum rite observavit Humboldtus.

Ab his lineis qui recedit declinationem sensim sensimque augeri observat, donec maximum quoddam attigerit, a quo denuo sensim imminuitur, tandemque, *cum ad alteram lineam perveneris*, nulla fit. Lineae maximae declinationis, intermediae fere inter lineas nullius declinationis, formam habent non minus irregularem: in his autem ipsis lineis declinationes universe crescunt, quo propius accedant ad alterutrum polum terrae. Maximam declinationem in parte terrae australi observavit Cookius 43°. 45′ ad long. occ. 93°. 45′ et lat. austr. 60°. 49′. In parte mundi boreali idem maximam declinationem observaverat 36° 19′. ad long. or. 161°. et lat. bor. 70°. 19′. Recentiores observatores Angli, prope polum cum venisfent, observarunt declinationes 90°. a. 1818 et 1819 (1); nuperrime vero, ad multo maiorem etiam long. et lat. ultra 200°.

Neque solum variis locis varia est declinatio,

(1) Vid. Biot, *Trait. de Phys.* III. p. 134 sqq. et *Pr. Élem.* II. p. 88 sqq.

tio, verum etiam eodem loco variis temporibus varia obfervatur. Quae ante duo faecula in hac Europae parte orientalis erat declinatio, fenfim imminuta, tandem nulla evafit, postea vero in occidentalem mutata, fingulis annis crescit, quemadmodum ex obfervationibus accuratisfimis patet. Sic v. c. Parifii erat declinatio orientalis a. 1580, 11°. 30′; 1610, 8°; 1664, 0°. 0′; mutata deinceps in occidentalem erat iam 1670, 1°. 30′; 1700, 8°. 12′; 1740, 15°. 45′; 1772, 19°. 55′, hodie 22°. 15′. Eadem obfervata funt phaenomena Londini, aliisque locis, unde patet lineam nullius declinationis, quae a. 1657 per Londinum transiret, a. 1664 per Parifium, fenfim fenfimque orientem verfus procedere, unde declinationes etiam identidem magis occidentales fiunt. Motus huius lineae non est uniformis; quae enim Parifii a. 1664 - 1764 quotannis fere 15′ crescebat declinatio, postea tantum 9′ quotannis augebatur. Hae obfervationes funt mediae inter alias permultas de fingulorum annorum augmento, et quae haud ita regulariter procedunt: unde patet, nihil certi determinari posfe de lege, qua haec declinationis mutatio fiat, neque quicquam ftatuendum esfe de eo, utrum aliquando reditura fit linea fine declinatione, necne. Neque etiam variationes declinationis femper funt progres-

greffivae. Sic v. c. Sparrendammi erat declinatio occid. a. 1765, 19°. 56′; 1766, 20°. 26′; 1770, 19°. 58′; 1771, 20°. 5′; 1772, 19° 35′; 1775, 21°. 14′. (1). Idem motus non obſervatur in ceteris lineis ſine declinatione: certe ſi moveantur, parum tantum eas moveri, exinde patet, quod in inſulis maris Pacifici, Nova Hollandia, aliis, nullam fere ſubierit mutationem declinatio hisce 140 annis (2).

Haec autem mutatio declinationis, quae ex comparata cuiusvis anni media declinatione univerſe hodie progreditur, ne ſingulis quidem annis uniformiter procedit. Eodem enim anno mox progreditur, mox vero retrogreditur acus magnetica: neque in hoc curſu anni tempestatem obſervat, ſed iisdem menſibus in altero anno

(1) Vid. van Swinden, *Récherches* etc. p. 510 ſqq. ubi multae citantur obſervationes, ex quibus patet maxime irregularem esſe variationem declinationis. De his igitur variationibus quoque dicit Biot: *Changemens ſi bizarres et irrégulièrs, qu'il a été jusqu'à préſent impoſſible, d'y trouver aucune loi.* *Trait. d. Phyſ.* III. p. 141.

(2) Vid. Biot, *Pr. Élem.* p. 88 ſqq. et Gehler, *Phyſ. Wörterb.* voce *abweichung der Magnetnadel.* Caeterum maxima irregularitas in variatione declinationis optime conſpicua fit ex tabula variationum, 40 fere locis obſervatarum variis annis, quam exhibuit van Swinden, *l. l.* p. 552 ſqq.

no progreditur, in altero retrogreditur: ita tamen ut maximae variationes aestate observentur. Differentia saepe magna observatur inter medias declinationes mensium sibi proximarum, aliquando 33', quemadmodum inter me[illegible]em Septembr. et Octobr. 1774. Nonnunquam inter duos dies observatur differentia 30', ut v. c. Londini inter 16 et 17 August. 1771 vel 34', et ibidem inter 4 et 5 April. 1759 (1).

Quin imo singulis diebus motum quemdam progressivum et retrogressivum observamus in acu magnetico. In genere enim ante meridiem versus occidentem se movet acus, post meridiem redit ad orientem, neque per saltus, sed pedetentim procedit. Maximam declinationem quovis die habet acus inter meridiem et horam 4am pomeridianam. Sunt loca, ubi variatio haec *diurna* insignis est, 25' adeo; sunt loca, ubi nunquam haec observatur; sunt denique ubi alio tempore nihil variationis observatur, alio aliqua, alio nonnunquam contraria (2).

Va-

(1) Vid. van Swinden, *l. l.* p. 407 et 507.

(2) Pulcerrime de his variationibus diurnis et annuis disseruit van Swinden, *l. l.* P. II, ubi ex collectis millenis observationibus, nisi leges determinare voluerit, quibus hae starent variationes, certe magis colligere et ad quandam unitatem redigere studuit diversa huius variationis phaenomena. Nos tantum eius conclusiones maxime

uni-

Variatio haec diurna aestate quoque maior est, quam hieme. Sic v. c. Parisii maximae variationes diurnae aestate obſervantur 13′ ad 16′, minimae hieme 8′ ad 10′ (1).

Praeter hanc progresſionem declinationis, eiusque variationes annuas et diurnas, nonnunquam etiam ſubitas variationes experitur declinatio. Sed ſi in prioribus aliqua adhuc regula esſet conſpicua, in posterioribus nullam obſervamus (2).

Inclinationem acus non minus mutationi ſubesſe, quam declinationem, ex variis obſervationibus apparet. Sic v. c. Sparendammi erat inclinatio priore parte a. 1772, 69°. 16′, posteriore 69°. 26; priore parte a. 1773, 69°. 54′, posteriore 70°. 24′ et in fine anni iam 71°. (3). Londini erat a. 1775, 72°. 30′ et a. 1805, 70°. 21′. Ad

universales h. l. tradidimus, cum phaenomena nobis non ſint ex remotisſimis fontibus haurienda, ſed tantum deſcribenda. Qui igitur prolixius hac de re aliquid legere cupiat, hoc ipſum adeat opus. Vid. etiam idem auctor in opere *Mém. ſur l'Anal. de l'Electr. et du Magn.* T. III. p. 4 ſqq.

(1) Vid. Biot, *Trait. de Phyſ.* III. p. 141.

(2) Harum variationum irregularium innumeras tradidit obſervationes van Swinden, *Mémoires* etc. T. III. § 70-80.

(3) Van Swinden, *Rech.* etc. p. 509.

Ad promontorium Bonae Spei annis 1751-1792, 5°. aucta erat inclinatio (1). Experimenta vero nondum satis magno numero sunt instituta, ex quibus pateat, utrum augmentum vel iactura inclinationis aequabili passu procedat, neone. Veri autem simile est, illam variationem inclinationis non magis quam variationem declinationis esse regularem.

Inclinationem quoque habere variationes suas annuas et diurnas, statuit Cl. Hansteen, Professor Christianiae, illasque se observasse perhibet (2). Secundum has observationes inclinatio aestiva 15′ inclinationem hyemalem, antemeridiana 4′ aut 5′ postmeridianam superat. Doctus autem Physicus, sive Arago (3), sive quisquis sit, has inclinationis varietates adoptare nondum velle videtur, priusquam novum subierint examen. Eo inductus est, quod Cl. Gilpin, exactissimus observator Londinensis, maximam variationem inclinationis invenit a. 1787 esse 5′. Quando autem tenemus, quae de decli-

(1) Vid. Biot, *Pr. Él.* II. p. 89.

(2) Doleo vehementer, mihi non adesse opus illud, quo observationes suas communicavit Cl. Hansteen. Eius conclusiones tantum cognoscere licuit ex Annal. Chym. et Phys. Paris. Iulii 1821. ubi illud opus recensetur, ac memoratae dubitationes proferuntur.

(3) Hic certe est redactor earum annalium.

clinatione vidimus, aliis in locis huius variationem magnam obſervari, aliis nullam, utraeque obſervationes inclinationis cur ſimul verae esſe non posſint, haud perſpicio.

Venimus tandem ad *intenſitatem* magnetismi terrestris. Haec ſenſim ſenſimque imminui videtur, quo magis recedas a polis. Quemadmodum vis gravitatis terrestris menſuratur numero *oscillationum*, quas determinato tempore facit pendulum, ſic *vim magneticam*, quae in acum agit, menſurare ſolent Phyſici numero oscillationum, quas determinato tempore perficit acus magnetica, quae e meridiano magnetico mota, in illum redire conatur; de hac autem methodo determinandi intenſitatem postea videbimus. Humboldt ergo invenit acum, quae tempore 10′ Pariſii fecerat 245 oscillationes, eodem tempore Peruvii non niſi 211 facere oscillationes, quemadmodum tradit Biot (1). Confiteri tamen debeo, me nondum audere cum Cl. Biot inde ducere diminutionem intenſitatis magnetismi terrestris, quo magis a polis recedas: pendet enim numerus oscillationum non tantum ab intenſitate magnetismi terrestris, ſed et ab intenſitate acus; et quidni ipſa acus vim aliquam magneticam amittere potuit calore, illis re-

(1) Vid. *Pr. Él.* II. p. 91.

regionibus maiore, cum sciamus esse tantam caloris vim in acum magneticam? (1). Dicit quidem Biot, nullam vim amisisse acum calore, idque probare vult ex eo, quod post 3 annorum moram ad regiones polo propiores translata acus, plures denuo oscillationes fecerit. Verum cum ex experimentis Cl. Canton (2) pateat, quam calore amiserit vim acus magnetica, illam frigore restitui, nihil inde iure concludi posse nobis videtur. Si quid certi hac de re pronuntiare velimus, primum determinandus erit effectus caloris in acum, et cum densitas atmosphaerae etiam prohibeat acus motum, ex observationibus thermometricis et barometricis, correctiones erunt applicandae, ut ex numero oscillationum et absoluta intensitate acus determinare possimus absolutam vim magneticam telluris. Quibus factis videbimus, utrum experimenta correcta ad easdem nos ducant conclusiones.

Quemadmodum declinationem et inclinationem, sic etiam intensitatem acus magneticae variationibus annuis et diurnis expositam observasse se dicit Cl. Hansteen; qui ex variis, quas tradidit, observationibus hanc ducit conclu-

(1) et (2) Vid. Gehler, *Phys. Wörterb.* P. I. p. 31. voce *Abweichung der Magnetnadel.*

clusionem: minimam singulis diebus intensitatem observari horis 10-11. antemer., maximam horis 4-5. pomerid.: intensitatem mediam aestivam superare intensitatem mediam hyemalem: variationes intensitatis mediae inter proximas menses, minimas esse tempore solstitiorum, maximas tempore aequinoctiorum. Verum de utrisque et observationibus et conclusionibus adhuc dubitatur. (1).

(1) Vid. *Annal. de Chym. et de Phys. Juill.* 1821. p. 326 sqq.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

EXPLICATIO.

Phaenomena igitur acus magneticae haec sunt: *attractio*, *repulsio*, *directio determinata*, *declinatio*, *inclinatio*, *intensitas*.

Quando in memoriam revocamus, quae de attractione et repulsione universe diximus, nihil scilicet determinari adhuc potuisse de ipsa natura aut agendi ratione causae ignotae phaenomenorum magneticorum, (hypothesin enim duorum fluidorum non illam esse, quae phaenomena explicet, sed tantum quae una notione eorum causam comprehendat,) continuo intelligemus, nihil hic quoque determinari posse de natura aut agendi ratione magnetismi terrestris, omnemque explicationem phaenomenorum acus magneticae consistere in comparanda actione terrae cum actione magnetis in acum, et in explorandis iis signis, quae nobis praebeant phaenomena acus magneticae, ex quibus aliquid verosimile ducamus de origine, directione,

et variis modificationibus vis magneticae terrestris.

Quum autem recentissimis temporibus celeberrimi Physici ex experimentis, cuivis physices studioso cognitis, iure sibi visi sint concludere ad identitatem magnetismi et electricitatis, illum scilicet tantum peculiarem huius esse modificationem, illi quoque phaenomena acus magneticae ex causa quadam electrica explicent, necesse est. *Quod etiam facere conati* sunt et hucusque fecerunt. Quamprimum igitur, experientia duce, apodictice probaverint identitatem hanc revera locum obtinere, explicationes ex vi peculiari magnetica desumtas, falsas, experientiaeque contrarias esse patebit.

Cum autem inter praestantissimos Physicos de ipsorum, quae adducunt huius sententiae apologetae, argumentorum vi probante adhuc *lis* sit; non is ego sum, qui iudicium inter tantos viros feram. Ex utrorumque igitur theoria quae ad explicationem phaenomenorum acus magneticae afferri possint, ex experientia colligere conabor. Et primum quidem videbimus, quid statuendum sit, si peculiarem agnoscamus vim magneticam; tum vero quaenam ex identitate electricitatis et magnetismi sequantur, e quibus phaenomena acus magneticae possint ac debeant explicari.

Ex-

Explicatio ex fluido magnetico terrestri.

Cum in hac tradenda explicatione, experientiam ducem sequi debeamus, non opus erit accurate describere hypothesin Halleii de causa phaenomenorum acus magneticae. In transitu tamen dictum sit Halleium phaenomena illa duxisse ex fluido telluris magnetico, quod suos haberet polos. Cum autem duos polos eosque immobiles non sufficere putaret ad explicanda omnia phaenomena declinationis et inclinationis magneticae, atque imprimis variationum quas hae subeunt, quatuor assumsit polos, in quibus actio magnetica telluris imprimis cerneretur, duos australes, duos vero boreales, variae positionis variaeque intensitatis. Ex composita directione duorum polorum borealium, declinationis et inclinationis varietatem pro variis locis borealibus derivavit. Quo vero melius explicaret variationem continuam declinationis et inclinationis in singulis locis, duos tantum polos, alterum australem, alterum borealem, immobiles esse statuit; duos vero reliquos moveri. Scilicet sphaeram terrae sibi effinxit concavam, aliamque sphaeram minorem includere, cavitatem inter utramque fluido quodam repletam putavit. Exterior annulus sphaericus terrae continere ipsi visus est polos illos duos im-

immobiles, ceteros vero duos ſphaerae interiori inſitos ſimul cum illa moveri ſtatuit. Motum hunc eſſe motum revolutionis circa axem, quae vero non eandem cum ſphaerici annuli exterioris axi haberet directionem, cum alioquin in eodem parallelo uniformiter crescere aut decrescere deberent declinationes: interiorem autem ſphaeram paulo lentius circa axin moveri quam exteriorem, et reſpectu annuli exterioris, ſemel *revolvi annis 700* (1).

Non diffitendum quidem est, miram hac hypotheſi apparere ingenii ſagacitatem viri, qui tot diverſas obſervationes ad conſequentias *legitimas* ex 4 polorum attractione, horumque motu reduxit. Verum neque experientia hanc hypotheſin confirmari, neque eam veroſimilem reddi ullo indicio, quisque facile videt. Neque etiam 4 polos requiri ad explicanda cuncta acus phaenomena, ostendit Euler J[r]. (2).

Cl. Mayer, cum videret legem illam, ſecundum quam tg. incl. = 2 tang. lat. magn., congruere cum experimentis prope aequatorem magneticum inſtitutis, illamque derivari poſſe ex hypotheſi, qua ſtatuitur, prope centrum tel-

(1) Vid. Gehler, *Ph. Wörterb.* voce *Abweichung.*
(2) *Rech. ſur la Décl. de l'Aig. Aim. Mem. de l'Acad. des Scienc. de Berlin.* 1757, p. 175.

telluris esse magnetem, cuius poli respectu telluris sint infinite propinqui sibi invicem; revera statuit adesse magnetem eiusmodi in terra, 120 milliaribus Germanicis remotam a centro telluris versus illam telluris partem, ubi mare Pacificum habetur. Positionem huius magnetis ita definit. Linea recta per centrum magnetis huius et centrum telluris ducta, secat terrae superficiem ad long. 201°. (computatam a meridiano insulae Ferro) et ad 17°. lat. bor. Axis huius magnetis perpendicularis est huic lineae ad centrum terrae ductae. Planum, in quo iacet hic axis, ab oriente meridiani huius lineae rectae ad centrum telluris iacet et cum illo angulum facit 11°. 30′. Duos habet polos hic magnes, borealem versus septentrionem, australem versus meridiem. Neque stabilis est haec positio, verum ita movetur hic magnes, ut quotannis 0,001. partibus radii terrestris, a centro telluris amoveatur. Punctum ergo, in quo linea recta centra telluris et magnetis coniungens, superficiem telluris secat, quotannis mutatur, eius longitudo 8′. et latitudo 14′. quotannis decrescit. Augetur vero angulus, modo laudatus 11°. 30′, quotannis 8′15″. Vim, quam exserit hic magnes, agere statuit in ratione inversa quadratorum distantiae.

Ex hac hypothesi quas computat inclinationes

-nes et declinationes pro variis locis, mirifice illae cum obſervationibus congruunt, ex quo veroſimile fit, hanc hypotheſin ſimplicisſimam plus esſe quam meram hypotheſin, et revera aliquid de magnetismi terrestris origine et directione definire. Per ſe patet, nihil differre, utrum centrum hoc magneticum ſpectes tanquam verum magnetem, qui vim ſuam exſerat in acus, an vero tanquam punctum, e quo vires magneticae coniunctae *totius telluris agant*, *quemadadmodum* e polis laminarum magneticarum emanet vis totius laminae.

Hac hypotheſi igitur explicatur, cur *inclinationes* in aequatore magnetico nullae obſerventur, cum polus borealis et auſtralis centri huius magnetici aequalem vim attrahentem exſerunt in polum auſtralem et borealem acus. Hinc conſpicuum fit, cur a parte aequatoris boreali podus centri borealis maiorem vim exſerat quam auſtralis, polumque adeo auſtralem acus deprimat; cur eo maior fiat inclinatio, quo magis ab aequatore recedas, tandemque verticalem asſumat poſitionem acus, ubi ſis in axi magnetis huius terrestris. Hinc intelligitur, cur obliqua huius magnetis poſitio declinationem variam acui tribuat variis in locis. Hinc motus huius centri ſingulorum locorum declinationem magneticam mutat. Hinc certum

fie-

fieret, intensitates magnetismi decrescere, versus aequatorem, ubi remotior erit acus a centro telluris, quam apud polos.

Unicum autem hoc centrum magneticum non sufficit ad explicanda phaenomena omnia inclinationis et declinationis. Tum enim aequator magneticus deberet revera circuli formam habere, tum ab utraque huius aequatoris parte homogenae esse deberent variationes. Quod non ita fit. Si enim cursum aequatoris magnetici persequamur; quantum eius forma in mari Pacifico differt a circulari! Verum hac ipsa differentia inducimur, ut credamus in vicinia maximae eius inflexionis aliud quoddam centrum magneticum adesse, minori quidem vi, quam centrum primarium, satis tamen validum, ut per omne fere hemisphaerium illud vim suam ostendat perturbatricem. Centri huius positio et vis accuratis experimentis definiendae erunt, ut ex eo computari etiam illis locis possint phaenomena acus magneticae. Semel admisso eiusmodi centro, in aliis etiam locis centra aliqua secundaria disponere poterimus, ubi illorum praesentiam requirere videtur declinationis et inclinationis irregularitas; quae centra varia vi magnetica sint praedita. Haec centra pro maiori intensitate et minori distantia, maiorem habebunt vim in acum magneticam. Vires

res horum centrorum coniunctim in acum agentes eius directionem determinabunt (1).

Et revera caussas locales magnam vim habere ad modificandam acus directionem, patet inter alia ex varietatibus quas subeunt declinatio et inclinatio atque intensitas acus, quando ea in vicinia iugi montium ponitur. Caussae illae locales eo maiorem habebunt vim in acus declinationem, quo propius accedas ad polos. Ibi enim cum *inclinatio acus tanta sit, vis directrix* horizontalis telluris minor est, quam in locis ubi inclinatio minor est, proprioribus aequatori. Scilicet si universa vis, quam in acum exserit magnetismus, et quae in directione acus inclinatoriae agit, sit H, Fig. III. illam decomponere possumus in vim verticalem H', quae, per suspensionem acus declinatoriae destructa, nullum amplius effectum habet, et in vim horizontalem H'', quae sola in directionem acus agit. Erit igitur pro inclinatione i, $H'' = H$ cos. i. Quo maior fiat ang. i, eo minor erit H''. Quo minor autem sit H'', sive vis princeps telluris, quae acus magneticas dirigit, eo maiorem perturbationem producere poterunt caussae locales in directionem acus. Quod etiam ex-

(1) Haec est sententia Cl. Mayer, quemadmodum modificata est a Cl. Biot, *Pr. Él.* II.

experientia confirmatur. Maximae enim declinationum varietates inter loca, imo propinqua, obſervatae ſunt prope polos, ubi inclinatio tanta est. Si veneris in loca ubi inclinatio est 90°. erit coſ. $i = 0$, unde etiam vis directrix H' erit nulla et unice directio acus a cauſis localibus pendebit.

Non opus est, ut ſtatuamus, cauſas illas locales ſemper aequali vi agere, neque etiam hoc veroſimile eſse docet experientia de magnete. Quemadmodum enim magnes, aucto calorico minorem vim exſerit, demto ſuperfluo colorico priorem vim recuperat: quemadmodum magnes alius protractu temporis nonnunquam vim ſuam amittit, alius vicinia ferri aliave de cauſa post aliquod tempus fortior evadit; quemadmodum denique infinitae fere ſunt res, quae in magnetis vi mutationem quamdam maiorem minoremve efficere posſunt; quidni ſtatuamus etiam intenſitatis mutationibus ſubesſe cauſas illas magneticas locales, ſive calore ſolis, ſive quacunque re in illas agente? Cur mutationis expertem dicemus ipſam illam principem magnetismi terrestris cauſam? Ex his ergo mutationibus, prout magis minusve aequabiliter eveniant, ceu tot variis phaenomenorum magneticorum cauſis, derivari poſse nobis viden-

dentur incrementum vel decrementum declinationis et inclinationis magneticae.

Quaenam ſit in tellure ſubſtantia, ex qua vis haec magnetica quaſi emanet, certo determinari non potest, nec ſtatui, utrum ex ferro magnetico ſit oriunda, an vero ex alia quacunque materia. Materiam hanc metallicam esſe iure ſtatui videtur. Si enim loca conſideres ubi cauſae locales maximam vim ostendant, plerumque *invenies regionem montibus refertam*, quos ex mineris metallicis conſistere vulgaris fert ſententia. Prae ceteris vim perturbatricem ostendunt montes ignivomi, quorum producta, quae intimam compoſitionem docent, ſunt corpora metallica, quae haud raro vim magneticam ostendunt. Maxima etiam illa deviatio aequatoris magnetici, quae in mari Pacifico obſervatur, ſit in vicinia Archipelagorum, qui ex inſulis Amicitiae et Societatis conſtant, quas nihil aliud esſe ſcimus, niſi ſummos apices montium, quorum fundamenta iaceant in altisſimo mari. Subſtantiam quoque telluris univerſe metallicam esſe, patet ex magna eius denſitate (1). Quidni igitur hanc ſubſtantiam me-

(1) Denſitatem illam cognoscere posſumus ex vi attractionis, quae cum agat in ratione denſitatis et ratione in-

metallicam dicamus magneticam ; ut analogia sit inter actionem telluris et magnetis?

Quomodo autem physici illustres Mayerus et Biot eo pervenerint, ut vires coniunctas magneticas in centro fere telluris conspicuas esse, omnesque vires et boreales et australes in idem fere punctum convenire statuant, equidem me non videre lubenter confiteor. Non autem experientia eo inductos illos dicerem, cum quae in substantiis magneticis exstant vires, se coniungere soleant in earum extremitatibus, non vero in centro. Iam vero eodem modo observationibus sufficit hypothesis, omnem vim magneticam telluris quasi accumulari in duo puncta opposita, prope polos terrae, aliqua ab eius superficie disstantia. Eodem enim modo augmentum inclinationis, minor vis directrix versus polos, et vice versa decrementum inclinationis, maior vis directrix versus aequatorem magneticum, caetera phaenomena magnetica explicabuntur, et experientia magis doceri hoc videmur. Praeferrem ergo hanc hypothesin ad ex-

inversa quadratorum disstantiae, ex comparatis actionibus solis, terrae, aliarumque planetarum in se invicem, cognitis disstantiis, cognoscimus densitatem telluris valde magnam, quae maior etiam fit existimatione, si immensam quantitatem aquae consideres, quae terram undique cingit.

explicanda universa phaenomena magnetica, dum quae iam diximus de causis localibus perturbantibus, etiam hac hypothesi vim suam retineant.

Quod attinet ad explicandas variationes annuas et diurnas declinationis, et, ut nonnulli dicunt, inclinationis atque intensitatis magneticae; ob ipsam regularitatem harum variationum regularem causam habere videntur. Quae variationes cum *eosdem habeant periodos atque* motus terrae circa axin et circa solem, certam quoque cum hoc proportionem habere videntur. Scilicet diversus habitus solis ad tellurem, interdiu et noctu, aestate et hieme, diversos hos effectus producere videtur. Verum quomodo? Biot opinatur (1) solem, lunam aliaque corpora coelestia, eadem vi magnetica esse praedita, quamquam, ob magnam distantiam, respectu telluris exigua, eamque exserere in acus magneticas. Hinc ducit variationes illas sequi motum apparentem solis, maiores illas esse aestate, cum radios fere perpendiculariter ad nos mittat, quam hieme, cum oblique agit. Hinc ducit variationes illas maiores minoresve esse, prouti sol et luna in eadem vel va-

(1) Vid. *Pr. Él.* II. p. 98. et *Trait. de Phys.* III. p. 142.

varia directione agunt. Hinc quoque de ceteris concludit. Et revera in aërolithis habet aliquid, quo haec hypothesis nitatur, et fere experientia doceri videatur. Hae enim, originis cosmici, cum probabiliter ex luna vel sole ad nos proiiciuntur, ostendunt nobis in illis corporibus quoque adesse substantias, quae vim magneticam assumere possint: constant enim imprimis ferro et niccolo. Parum autem hoc probare, ipse vidit Cl. Biot; nam hoc, quod anno 1816 sententiae suae attulerat praesidium, a. 1821 dimisit. Hoc autem dimisso, non video quid amplius supersit, quo haec sententia experientiâ reddatur probabilis. Praeterea si haec actio solis revera locum haberet, vim proderet in his regionibus maiorem aut borealem aut australem. Si australem, repellere deberet polum acus australem, quem attrahere videtur, cum inclinatio post meridiem, quando sol fere in meridiano magnetico est positus, fit minor quam ante meridiem. Si borealem, attrahere deberet polum acus australem, quem repellere videtur, cum declinatio his locis occidentalis crescat, quando sol in regione coeli orientali apparet, decrescat, quando sol meridianum magneticum transivit et in occidente habetur. Quocirca cum haec hypothesis experientiae adeo contraria videatur, malim cum

Can-

Cantone (1) variationes quidem has *soli* tribuere, verum calori solis in magnetismum terrestrem et acus agenti. Scilicet postquam is experimentis probavit aucto calore magnetis, eius vim diminui, quae restituatur denuo demto hoc calore, inde ducit causas magneticas ab orientali ab hac regione parte ante meridiem solis actioni expositas, intensitate diminui, post meridiem causas occidentales, unde maior vis occidentalis *conspiciatur* ante meridiem, orientalis post meridiem. Et revera acus, quae ante meridiem sensim sensimque occidentem versus procedunt, pariter post horam 2. aut 3. pomeridianam redeunt versus orientem. Variationes hae erunt ergo quoque eo maiores, quo maior sit calor solis; quod ita fieri apparet, cum variationes aestivae multo superent hiemales. Intelligi hinc, quoque potest variatio diurna inclinationis acus; eo enim maior sit necesse est, quo maior sit intensitas magnetismi terrestris: minima quoque observatur inclinatio hora fere 3. pomer., qua ipsa maximum caloris quovis die observatur. Quomodo autem cum hac theoria, quae ceteroquin experientia probata phaenomenis explicandis sufficit, conciliandae sint, si confirmentur observationes de incli-

(1) Vid. Gehler, *Phys. Wörterb.* voce *Abweichung.*

clinatione aestiva maiori, quam hiemali, de maximo intensitatis mediae aestate observato, nondum me hoc videre, lubenter confiteor.

Variationes subitae, quas experiuntur declinatio et inclinatio acus magneticae, si ab uno loco ad alterum ducatur, etiam maxime vicinum, causis localibus validissimis sunt tribuendae, quales sunt praesentia rupium, montium, imprimis ignivomorum, minerarum, imprimis ferrearum. Quod in eodem loco subito saepius mutetur directio, tribuendum hoc est variis causis. Multae eiusmodi variationes locum habent, ubi simul observatur Aurora Borealis, quae magnam vim exercet in acus, ita ut aliquando earum axin magneticam positione mutet. Subitam quoque variationem producere possunt terrae motus, tempestates, tonitrua, meteora ignea, alia. Quomodo autem haec in acus agant nondum definiri potest (1).

Ceterum semper aliquam modificationem in variationibus ceteroquin regularibus producunt calor, pondus et humiditas aëris. Horum autem cum leges agendi nondum sint determinatae, effectus etiam definiri non possunt. Optandum foret, ut observationibus magneticis sem-

(1) Vid. van Swinden, *Rech.* etc. p. 526 sqq.

ſemper deinceps adiicerentur obſervationes barometricae, thermometricae et hygrometricae.

Explicatio ex identitate magnetismi et electricitatis.

Haec autem, quam hucusque dedimus, explicatio, non valere potest, ſi conſtat experientia, magnetismum nihil aliud esſe niſi modificationem quandam electricitatis. Iàm vero hoc probare conatus est Cl. Ampère, eiusque experimenta ubivis repetita ſunt et aucta a celeberrimis Phyſicis. Non quidem hic agemus de ratione qua haec experimenta inſtituantur, neque minutisſima quaeque ex illis trademus: ſatis enim ſuperque noscit illa, quicunque vel mediocriter tantum in Phyſica verſatus est; verum ſummam eorum in memoriam revocabimus, et videbimus, quid ex illis ſequatur, ex quo posſimus derivare acus magneticae phaenomena.

Et primum quidem, ſi ope apparatus galvanici conſtituitur flumen electricum (1), per duos

(1) Vocamus hanc vim, quae ab altera ad alteram conductoris partem transit, flumen electricum, non quidem, ut aliquid de ignota huius vis natura pronuntiemus, verum tantummodo, ut facilius ſemperque ſub eadem forma no-

duos conductores transiens, quorum alter sit mobilis, nec procul ab altero paralleliter fere distet, videbis conductores hos se invicem attrahere, si eadem, repellere, si diversa directione se moveant flumina electrica.

Secundo loco, si conductor mobilis ita disponitur, ut tantum moveri possit circa axin, quae perpendicularis sit ad directionem alterius conductoris, videbis conductorem mobilem exacte, post aliquot oscillationes, quiescere paralleliter alteri conductori.

Tertio loco, si conductor mobilis sibi demittitur, ita ut libere moveri possit circa centrum gravitatis in plano horizontali, nec alterius conductoris actioni exponitur, certam directionem assumet, illamque quae exacte sit perpendicularis meridiano magnetico loci, ubi experimenta instituantur, eodem modo, ac si in terra adesset flumen electricum ex oriente in occidentem tendens, perpendiculariter meridiano magnetico.

Quarto loco, si libere moveri potest conductor formae rectangularis, circa axin horizontalem, meridiano magnetico perpendicularem, planum conductoris rectangulare exacte se sistet

nobis hanc vim effingamus. Volumus hoc verbo exprimere id quod Ampère vocat *courant électrique*.

tet perpendiculare acui magneticae inclinatoriae.

Cum in duobus posterioribus experimentis eundem effectum praebeat tellus, dirigendi et attrahendi nonnullas conductoris partes, quem in duobus prioribus praebet alter conductor electricus; ex analogia concludere possumus, dari revera in terra flumen electricum, ab oriente versus occidentem agens, quod dirigit directionem et *positionem conductoris* electrici, libere moti.

Haec phaenomena tam arcte cum phaenomenis magneticis cohaerent, cum tantum directione differant constanti ∟ 90°, ut iam suspiciamus, unicam utrorumque causam. Certiores hac de re fimus hoc experimento.

Si acus magnetica ita ponitur supra conductorem magneticum, ut horizontaliter moveri possit, et actioni magneticae terrestri subtrahitur (1), videbis acum assumere directionem, quae exacte sit perpendicularis directioni conductoris: eodem modo ac si acus *nihil* aliud esset, nisi conductor, cuius flumen electricum transversam haberet directionem. Inde ducit Cl.

(1) Quod fit vicinia magnetis, qui agit directione opposita telluris, et illa est distantia, ut eadem intensitate agat, ac ipsa tellus, in acum.

Cl. Ampère, acum magneticam sua phaenomena debere fluminibus electricis, quae continuo circum acum volvantur, eodem sensu, quo sol circa terram movetur, inque planis axi magnetico perpendicularibus. Quorum fluminum directio cum parallelam se sistere velit directioni fluminum electricorum telluris, acus posita erit in meridiano magnetico.

Pulcro experimento hanc suam theoriam confirmat. Revolvit filum cupreum, forma spirali, circum tubum vitreum, in quo redeunt utraeque fili extremitates. Per hoc filum cupreum si transmittit electricitatem galvanicam, eundem fere illa sumit cursum revolventem circum tubum vitreum, atque illum, quem in magnete adesse ponit. Et revera conductor ille, forma spirali, eadem ostendet phaenomena, quae in acu magnetico observamus.

Cum ergo ex unica vi explicari possint phaenomena et conductoris et acus magneticae, nulla amplius ratio est, cur varias esse statuamus vires, ex quibus singula haec phaenomena oriantur, cur magnetismo identitatem cum electricitate negemus. Iam vero si hoc sumimus, magnetismum oriri ex fluminibus electricis in terrae superficie se moventibus ab oriente ad occidentem, prima nobis statim occurrit quaes-

tio:

rio: unde haec flumina? deinde: quomodo ex *his* fingula phaenomena magnetica explices?

Universa cum fint phaenomena magnetica et in omni telluris parte confpicua, universa etiam nobis agnoscenda erit caufa. Atque hanc nobis offert experientia. Cum haec enim nos doceat in quacunque actione Chymica evolvi electricitatem, ac nullius fere fubftantiae actionem esfe vehementiorem actione calorici, iam continuo *nobis ob mentem venit primarius* ille caloris fons, Sol. Hic igitur, quotidie terram circumiens, calorico fuo electricitatem in terra evolvit, et progrediens ab oriente ad occidentem, eadem directione flumen illud electricum fistit, quod acus directionem determinat. Fortasfe luminis effectus hic etiam non praetereundus est. Singulis quidem punctis exiguus erit hic effectus, verum immenfa quantitas plani in quo haec flumina excitantur, huic inopiae fuccurrit. Planum enim hoc, idem quod adfpicit fingulis diebus Sol, univerfam terram cingit, et latitudine iisdem terminis inclufum est, ac vicisfitudo diei et noctis. Quotidie ipfum hoc planum a fe ipfo diverfum est, quod ex curfu folis annuo pendet. Si unica haec esfet caufa fluminum electricorum et haec omni tempore et omnibus locis pari modo procederent, non

ni-

nisi regulares esse possent ubivis directiones acuum magneticarum. Verum ipsa illa directio diversa, quam acquirit planum illud electricum, ex composito motu diurno et annuo terrae, iam continuo modificationes directionis annuas et diurnas profert. Varia actio chymica Solis, prout in mare vel in terram agat, prout coelum sit clarum vel nebulosum, variam electricitati praebebit intensitatem. Varius quoque habitus corporum terrestrium, ad transmittenda flumina electrica, variam iis tribuet directionem. Omnia haec totidem erunt causae, quae directionem fluminum electricorum possint mutare, mutent ergo quoque directionem acus. Pars harum mutationum erit regularis, atque anni dieive tempora sequetur, pars vero irregularis, omnem occasionem perdit determinandi certas horum fluminum leges.

Accedit, quod tot aliae sint causae, in terra, quae electricitatem evolvere possint: omnis actio corporum heterogenorum in se invicem; maris in terram; aëris in utrumque; actio mineralium, quae terrae sinus condit, in se invicem; prope polum fortasse quoque continua crystallizatio et fusio aquae; frictio glacierum aeternarum, ubi maris motu separantur, et alia plura. Hae causae flumen electricum terrae modificant, et eo quidem modo, ut nunquam

cer-

certa maneat acus positio, sed continuo variis locis, quin eodem loco varia observetur declinatio.

Idem dici potest de *inclinatione.* Quae in medio fere plano ab utraque parte aequaliter attrahebantur flumina acus electrica, simulac ad margines accedas, ab altera parte magis attrahuntur, quam ab altera, donec tandem prope polum attractio alterius nulla sit. Eaedem autem caussae locales, quae modificandis fluminibus electricis directionem horizontalem turbant, impediunt simul, quominus stabilis sit inclinatio. Quae autem caussa regularis inclinationis varietatem producere potest, mutata quotannis et quotidie solis positio, haec regularem quoque formam praebet variationibus inclinationis annuis et diurnis.

Quod ad *intensitatem* attinet, cum vis directrix nec ex centro telluris emanet, neque ex eius polis, non amplius a priori inducimur, ut credamus prope polos maximam futuram esse acuum intensitatem, sed prope aequatorem, ubi electricitatis excitatores, caloricum et lumen vim suam imprimis ostendant. Quid de hac re experientia nos doctura sit, videbimus, simul ac ex nostra hac hypothesi, accuratiores de intensitate institutae erunt observationes. Intensitatem in locis, quae quotidie solis effectum experiuntur,

tur, maiorem esse quam apud polos, patet ex eo, quod variationes subitae, quae ex causis localibus oriuntur, non fere cadant intra 56°. lat. bor. et austr.; extra has saepius observentur. Quo scilicet maior sit vis primaria, eo minorem vim destructivam exseret vis secundaria.

Caeterum tota haec theoria confirmatur eo, quod omnes causae variationum irregularium, eruptiones vulcanorum, terrae motus, tonitrua, aurora borealis, alia, phaenomena ostendunt revera electrica, quorum igitur agendi ratio optime ex hac hypothesi explicatur.

PARS

PARS POSTERIOR.

USUS ACUS MAGNETICAE IN RE NAUTICA ET VIAE MAXIME EXPEDITAE, QUIBUS EIUS DECLINATIO, INCLINATIO ET VIS MAGNETICAE, QUA PRAEDITA EST, INTENSITAS DEFINIRI POSSINT.

Nulla fortasſe unquam facta est inventio, cuius uſus latius pateret generi humano, quam inventio proprietatis directricis acus magneticae. Hac enim proprietate uſi navigatores, qui antea e conſpectu littoris marini vela facere non audebant, quiete altisſima maria transierunt, novasque quaeſivere terras. Hinc communicatio orta est inter populos, antea a ſe invicem alienos. Hinc artes ſibi invicem tradiderunt diverſisſimae indolis populi. Hinc producta aliarum terrarum cognovimus, in ſuo quaeque genere hominibus utilia. Hinc vastus apertus est campus, in quo libere divagaret ingenium humanum, ad invenienda quaecunque artem navigandi ceteraque huic annexa ſtudia promovere posſent. Hinc Aſtronomia,

Phy-

Physica, Historia Naturalis, incrementa ceperunt immensa. Hinc innotuere nobis populi, quarum indoles diversissima, historiae humanitatis lucem attulit, haud exiguam. Sed ubi desistendum esset, si omnia recensere vellemus commoda, quae ex inventa directione determinata acus magneticae in genus humanum redundarunt?

Scilicet, cum hoc unicum sit, quo indigeant navigatores, ut exacte sciant, quonam loco se habeant; amisso ex oculis littore, nihil amplius iis suppetit, quo locum navis determinent, nisi sidera coelestia, quorum observatio, nunc quidem ad perfectionem quandam redacta, et difficillima est, et apud antiquos adeo erat imperfecta, ut nihil certi exin possent determinare. Et quot praetereunt dies noctesque, quae siderum adspectum hominibus negant omnino omnem.

Facile quisque videt, ad computandum locum, quo navis sit determinato temporis momento, nihil amplius requiri, quam ut sciamus, *quantum spatium* et *quali* illud *directione* percurrerit navis, postquam cognitum locum reliquerit. Invenit homo, quibus utrumque cognosceret, instrumenta; spatium percursum derivat ex observatione funis, in fine asserculo instructi (*loglijn*); directio ex acu magnetica ip-

ſi innotescit. De priori instrumento cum nunc agendum non ſit, videamus, quomodo ope posterioris directio navis cognoscatur. Scilicet cum acus magnetica horizontaliter mota, determinatam ſemper asſumat directionem, in disſtantia haud ita magna ſibi parallelam, comparare posſumus directionem navis cum directione acus, ex qua comparatione, cognita posteriore, innotescit prior.

Inſtrumentum *hoc, quod proprietate directrice* acus magneticae nititur, vocatur *Pyxis nautica.* Conſtat ex acu magnetica, fulcro innitente, ita ut libere moveri posſit in plano horizontali. De modo ſuspenſionis, quo hoc propoſitum asſequamur, non est, quod hoc loco agamus. Sufficiat monuisſe ſuspenſionem hanc talem esſe oportere, ut poſitio acus ſit horizontalis (1), et frictio in puncto, quo innitatur, quam minima; atque hunc in finem vulgo apici acutisſimo chalybeo imponi acum et punctum torſionis acus esſe ex gagate confectum (2).

Cum

(1) Quando poſitio haec horizontalis mutatur, cum, pyxide ex uno in alterum locum translata, augeatur vel diminuatur inclinatio, huic malo ita ſuccurrere ſolent, ut alterutro polo adponant quantitatem cerae aliusve ſubſtantiae mollis.

(2) De his omnibus, multisque aliis accurationibus vid. Biot, *Pr. Él.* III. p. 75 ſqq.

Cum omnis accuratio instrumenti pendeat a perpendicularitate axeos, quo innititur acus, excogitata est methodus suspensionis ingeniosa. Scilicet planum, cui imponitur axis ille, ut semper in horizontali positione maneat, coniungitur cum vasi satis ponderoso. Vas hoc suspensum est in circulo ex axi horizontali, circa quem libere moveri potest. Ipse autem ille circulus ex axi aeque horizontali pendet a duobus punctis fixis. Axium horum positio talis est, ut axis vasis, et axis circuli, in quo suspensum est, faciant secum invicem angulum 90°. Quaecunque ergo erit positio punctorum illorum fixorum, vas illud pondere suo ita semper pendet, ut superficies sit horizontalis. Vocatur haec *suspensio ex axibus transversis.* — Quo facilius ex cognita directione acus statim angulus cognoscatur, quem alia quaecunque directio cum illa faciat, acui imponitur circulus ex levissima materia, charta v. c., confectus, cuius limbus exterior divisus est in 360°. Linea ducitur in charta, cuius directio conveniat cum directione acus, et quae versus polum australem acus posita est lineae huius pars, in extremitate fert lilium, a quo etiam incipit divisio circuli. Aliae praeterea ductae sunt in hac charta lineae, quae limbum circuli exacte dividunt in 32 partes aequales, quae nomina gerunt a directione

ver-

versus partem mundi, quam habent si lilium exacte septentrionem monstrat. Vocatur hic apparatus Rosa pyxidis. Nomina haec ita progrediuntur, si N. significat septentrionem, O., orientem, Z., meridiem, W., occidentem, N., N. t. O, N. N. O., N. O. t. N., N. O., N. O. t. O., O. N. O., O. t. N, O., O. t. Z., O. Z. O., Z. O. t. O., Z. O., Z. O. t. Z., Z. Z. O., Z. t. O., Z., Z. t. W., Z. Z. W., Z. W. t. Z., Z. W., Z. W. t. W., W. Z. W., W. t. Z., W., W. t. N., W. N. W., N. W. t. W., N. W., N. W. t. N., N. N. W., N. t. W., N. Totus hic apparatus denique tegitur vitro, ne incommodum quoddam rosae aut acui obveniat ex communicatione directa cum Atmosphaera.

Quis primus fuerit pyxidis inventor ignoratur, ne cognita quidem gens est, apud quam primum fuerit usitata. Neque initio adeo perfecta erat eius constructio. Utebantur primum acubus, quae ope sustentaculi aquae aliive fluido innatarent (qualibus etiamnum piratas maris mediterranei uti, memini me audire); mox fulcro innitebantur, postea rosa applicabatur, tandem suspensio ex axibus transversis adhibita est. Quaevis fere gens habet, quo a se adiecto glorietur. Itali inventionem iactant, a Flavio Gioia suo factam, Angli suspensionem ex axibus transversis,

Bel-

Belgae rosam, Gallo-franci lilium a se primum applicatum dicunt.

In quavis navi ad minimum duae inveniuntur eiusmodi pyxides, quae situm habent in loco, qui vulgo *habitaculum* dicitur, atque ita sunt positae, ut qui gubernaculum administret nauta, semper alterutram in conspectu habeat. Duo ad latus rosae notata sunt puncta, per haec quae transit linea, transit etiam per centrum motus acus et parallela est directioni carinae; nonnunquam etiam ductum est filum tenue, sub quo movere se potest rosa. In quacunque nunc directione sit navis, observatur a gubernatore punctum rosae, quod cum illo puncto, carinae directionem determinante, congruit. Quot gradus comprehendit puncti illius in rosa observati distantia a lilio, totidem gradus comprehendet angulus inter directionem navis et directionem acus.

Omnia igitur referuntur ad directionem acus, eaque cognita, cognita est directio navis, cognoscique poterit verus locus in quo sit navis. Cognita autem erit acus directio simul ac eius declinationem potuerimus observare. Determinare poterimus declinationem, si directionem acus comparare possimus cum punctis fixis in spatio, certe quorum positio, eo momento quo

ob-

obſerventur, ſit cognita. Hunc in finem egregie inſervire posſunt corpora coeleſtia, quorum ſitus certo cognosci poteſt ex obſervationibus. His quoque utuntur navigatores ad definiendam acus declinationem. Videamus de viis maxime expeditis, quibus hoc fiat.

Triplici vulgò modo fit huius declinationis determinatio: duabus obſervationibus horizontalibus ſolis: unica eiusmodi obſervatione: unica obſervatione *azimuthali*. Videamus de ſingulis.

Inſtrumentum, quo hae obſervationes fiunt, vocatur *pyxis declinationis*, ſive *variationis*. Eodem modo conſtructa ac ſimplex pyxis nautica, inſuper gerit in circulo roſam cingente, duo puncta, ſatis elevata, ut oculum fugere nequeant. Puncta haec filo ſunt coniuncta recto, quod ſuprà roſam tenſum, exacte eam dividit in duas partes aequales. Nonnunquam loco horum punctorum inſtruuntur duobus ſtilis recta perforatis.

Hac pyxide declinationis ita utuntur. Quando Sol egreditur ex horizonte, ita verſus eum dirigitur illa pyxis, ut obſervator ſupra illa puncta elevata, aut trans foramina conſpiciat ſolem eo momento, quo eius margo ſuperior aut inferior horizontem tangit. Eodem momen-

to

to alter observat (1); quodnam punctum limbi divisi rosae conveniat cum filo illo, tenso super rosa (2). Eadem observatio instituitur vesperi, quando solis margo superior aut inferior descendendo denuo tangat horizontem. Cum Sol-medius inter ortum et occasum fere sit in meridie positus; punctum, inter duo puncta rosae observata intermedium; conveniet cum vera meridie, punctum huic ex diametro oppositum cum vero Septentrione. Differentia inter punctum veri Septentrionis observatum, et punctum lilio notatum, declinationem acus determinabit.

Sed non revera est meridies media inter ortum et occasum solis, propter variationem, quam quotidie subit solis declinatio; et varietas latitudinis, in qua sit navis temporibus ortus et occasus solis, modificat etiam has observationes. Fieri praeterea potest, ut matutino tempore serenum sit coelum; vespertino nebulosum, aut vice versa, quo altera observatio reddi-

(1) De modificatione, quam huic pyxidi tribuit Kater, qua unus observator utrique proposito satisfaciat, ut et de caeteris, quae hic aguntur, vid. Biot, *Pr. Él.* II. p. 107 sqq.

(2) Quemadmodum in hac, sic et in ceteris observationibus bene cavendum est, ne paralaxis existat ex obliqua linea visuali.

ditur inutilis. Neque etiam expedita satis est via, quae ex duabus obſervationibus tantopere disſtantibus pendet. Quanquam ab altera parte hoc habet commodum; ut corrigendae non ſint obſervationes a refractione et depresſione horizontis, cum qui in altera obſervatione committatur error, in altera plane evincatur, rerum adiunctis ab utraque parte aequalibus ſed oppoſitis.

Altera via est illa, qua unica tantum obſervatione horizontali ſolis, determinetur declinatio acus magneticae. Primum definiendum est, quaenam ſit amplitudo ortiva ſolis, in loco ubi ſit navis, quae amplitudo facili calculo ducitur ex cognita declinatione ſolis, obſervataque latitudine loci ubi ſit navis (1).

Cognita hac amplitudine, cognoscimus ſitum puncti in quo ſit Sol quando horizontem tangit. Obſervemus eadem pyxide ſolem, quando in horizonte ſit, obſervemus punctum limbi roſae, quod

(1) Calculos hos h. l. adiicere non opus duxi, cum proprie ad Aſtrononiam nauticam pertineant, nobisque ſufficiat ſcire: quantitates cognoscendas ex facilibus obſervationibus derivari posſe. Vidd. de his libri de Aſtronomia nautica, inter alios De Rosſel, *Aſtr. naut.* p. 181. ubi demonſtratur, esſe ſin. ampl. ort. $= \frac{\text{ſin. decl. ſolis.}}{\text{coſ. lat. navis.}}$

quod conveniat cum directione fili; differentia inter situm solis, quem hoc punctum indicat et verum situm, determinabit declinationem acus. Bene tamen tenendum est, observationem solis esse corrigendam a refractione et depressione horizontis.

His autem viis, cum unica tantum quotidie fieri possit observatio, eaque in horizonte, ubi saepe nebulae conspectum solis impediunt, ubi praeterea refractiones sunt irregulares et maximae; excogitata est tertia via, qua singulis diei temporibus observari possit declinatio acus magneticae. Scilicet cum ex cognitis latitudine loci, altitudine solis supra horizontem, eiusque declinatione, computari possit azimuth solis, i. e. disstantia eius horizontalis a meridiano loci ubi observetur (1), hae autem quantitates facile possint observari, quovis diei tempore cognosci poterit situs puncti, ubi sit Sol. Ut inveniatur punctum rosae, quod huic situi solis respondeat, inventa est *pyxis azimuthalis*, quae a supe-

(1) Vid. De Rossel, ibid. ubi si D est declinatio, H altitudo solis et L latitudo loci, invenitur

$$\text{cos. Azimuth.} = \frac{\text{sin. } D - \text{sin. } L.\ \text{sin. } H.}{\text{cos. } L.\ \text{cos. } H.}$$

In observationibus autem altitudinis solis bene considerandae sunt variationes, quae refractioni luminis et depressioni horizontis debentur.

periori. eo tantum differt, ut ſtilus alter ſit elevatior; quo etiam observari posſint directiones corporum, quae quandam altitudinem ſupra horizontem attigerint. Requiritur, ut hic ſtilus ſit exacte perpendicularis plano horizontali. Vulgo ſtilus praeditus est foramine longitudinali, in quo ita tenſum est filum, ut planum verticale, quod transit per hoc filum et ſtilum, qui ab altera parte ſitus est, exacte bisſecet roſam. Ita ponitur haec *pyxis*, *ut radii ſolis*, qui ad filum perpendiculare alterius ſtili mittuntur, eius umbram exacte proiiciant in alterum ſtilum. Obſervatur punctum roſae, quod cum directione ſolis convenit. Differentia inter ſitum ſolis pyxide notatum, et verum eius ſitum, erit declinatio acus magneticae in *illo* loco.

Alii aliter etiam conſtruunt pyxidem azimuthalem. Pyxidi ſuperſtruitur ſyſtema duarum laminarum *AB*, *AC* (Fig. IV.) ex cupro aliave materia non magnetica confectarum, quarum altera *AC* horizontaliter moveri posſit ſupra pyxidem, circa axin *A*, in circuli diviſi *ACD* peripheria poſitam, altera *AB* huic perpendicularis in ipſo axi, ſit quaſi prolongata axis, quae igitur, pro quavis directione laminae horizontalis, verticalem ſitum ſervet. Extremitates harum laminarum *B* et *C* ſunt filo coniuncta: in puncto *A*, ubi ſe ſecant, laminae ſunt perforatae.

In

In quacunque positione sit pyxis, moveatur AC, donec Sol umbram fili BC proiiciat in foramen A. Erit igitur AC directio plani verticalis, quod hoc momento per A et solem ducitur. Observetur quodnam punctum rosae conveniat cum A, observetur in limbo diviso ACD arcus AD, quem punctum rosae D, puncto A oppositum, et lamina AC includunt; erit $\angle DAC = \frac{1}{2}$ (DC, atque si observetur punctum rosae F, quod bissecat arcum DC, erit $\angle DEF = \angle DAC$, atque $EF = AC$; atque adeo EF determinabit in rosa situm solis, cuius situs differentia cum vero eius situ definiet declinationem acus.

Observationes, his pyxidibus institutae hoc habent commodum, ut quovis diei tempore et quot velis numero institui possint. Posterius autem genus pyxidum azimuthalium, priori ideo praeferendum est, quod in priori tota pyxis fit movenda, donec radii solis utrumque stilum iungant, in posteriore, non nisi apparatus laminarum sit movendus, pyxis vero ipsa quiescere possit.

Caeterum facile quisque intelligit, huic observationi etiam inservire posse stellas, quarum ascensio recta et declinatio exacte sint cognitae, quarum igitur azimuth, pro quovis momento, facili calculo possit computari.

Quartam denique viam vulgo ineunt nautae, qui

qui parum astronomica cognitione imbuti, non procul etiam a continente se removent. Scilicet ope pyxidis qualiscunque azimuthalis observant stellam, quae prope polum posita, extrema est in cauda parvi ursi, et ex differentia inter directionem huius stellae et lilii in rosa, concludunt ad declinationem acus magneticae. Sciunt quidem nonnulli non exacte in polo boreali haberi hanc stellam, verum ex positione magni ursi concludunt, *utrum a parte orientali*, an vero occidentali poli habeatur, et tum pro lubitu aliquid addunt aut subtrahunt declinationi observatae.

Statim quidem apparet, omnes has vias determinandi declinationem acus non esse ita accuratas, ut certissime iis inniti possimus, et experientia docuit, vel omni cura ab errore caveri non posse, adeo 30′. Verum etiamsi vel accuratissimas observationes instituere possemus in navibus, tamen errores in illis manere possent, ob praesentem magnam copiam ferri, cuius fuit usus in construenda navi. Hae enim masse ferreae vim suam in acum exercentes, deviationem illi tribuunt satis aliquando insignem. Pars quidem horum errorum vinci potest, quae scilicet ex magnetica vi huius ferri, aut ex vi attrahente ferri non magnetici in acum proficiscuntur. Scilicet, si post observatam pyxide declinationem,

nem, pyxis in eodem loco navis maneat, navis autem directio invertatur, omnes causae magneticae et ferreae eadem vi agentes, sed directione contraria, eadem quantitate ab altera parte deflectet acus, qua mox ab altera parte meridiani magnetici. Media inter utramque hanc directionem sumta, verum meridiani magnetici situm determinabit. Verum sunt etiam aliae caussae, quae deviationem acus promovent. Ferrum enim molle, in navibus obvium, magnetismum acquirit, ubi in meridiano magnetico fere sit eius directio, postea denuo amittit. Et caussa haec acum perturbans nullo calculo vinci potest. Veluti autem omnes caussae locales, sic hae quoque eo maiorem vim exserunt, quo magis accedas ad polos, ubi vis directrix horizontalis magnetismi terrestris tantopere imminuitur, quemadmodum in praecedentibus vidimus (1).

His igitur viis declinatio acus magneticae definitur. Quo facilius appareat vera meridiani geographici directio, et ne opus sit continuo in observandis pyxidibus nauticis simplicibus corrigere declinationem, multi hodieque solent ita conficere pyxides, ut rosa earum non cohaereat cum acu, sed illi tantum innitatur, eius-

(1) Vid. de his Biot, *Pr. Él.* II. pag. 113 sqq.

eiusque positio mutari posfit. Tum enim pro quavis mutatione declinationis, mutatur positio rosae, ita ut lilium semper vero septentrioni respondeat, et tum pyxis vocatur belgice: *een regtwijzend Kompas.*

Cognita igitur declinatione acus, cognosci potest simul vera directio, quam habet carina navis. Verum experientia docet variis ex caussis, vento, fluminibus peculiaribus in mari, aliis, ita agitari posse navem et oblique moveri (*afvallen*), ut directio cursus, quem sequitur navis, multum diversa sit a directione carinae. Feliciter huic incommodo succurri potest. Navis enim semper post se relinquit lineam (*het zog*) satis notatam spuma, alia aquae directione et habitu, aliisque rebus. Angulus, quem haec linea facit cum directione carinae observatur pyxide variationis, aliove instrumento, huic fini apto, et sic restituitur error.

Cum autem tot sint errores, quamvis minutissimi, quibus observatio declinationis sit obnoxia, omnes hi errores, variis observationibus commissi, partim quidem se ipsi destruent, partim vero etiam se coniungent et error inde exsistere potest satis magnus, de loco, ubi sit navis. Nullius quidem momenti hic error erit in latitudine; haec enim facili observatione stellae polaris, vel altitudinibus stellae alius corres-

respondentibus accurate cognoscitur. Verum et longitudo, cuius observatio haud aeque facilis est, ex observatione directionis et velocitatis navis deducta, et quae inde *coniectata longitudo* vocatur, identidem restituenda et in *veram* mutanda erit, ex observata distantia Lunae a Sole stellave cognita. Continua eiusmodi observatione longitudinis et latitudinis facta, acu magnetica quidem carere possemus; verum cum tam difficiles sint observationes de longitudine, et pro parvo tempore, et quo navis non agitata est tempestatibus, satis coniectatae longitudini confidere possimus; usus acus magneticae late patet, etiam post inventam hanc mensurandae longitudinis methodum. Praeterea etiam toties tectum est coelum, ut sine acu magnetica haud pauci navigatores cursus cognitionem amisissent, misereque periissent.

Multo facilius in terra, quam in mari institui possunt observationes, de declinatione acus magneticae. Apparatus enim ibi non agitatur, sed quiescit, quamque semel habet positionem, sponte non mutat. Nullum fortasse melius et commodius erit instrumentum, quam quod inventum est a Cl. C a s s i n i, modificatum a Cl. G a m b e y. Suspendit ille acum magneticam satis magnam, in qua ducta est linea respondens axi magnetico acus, inter duas colum

lumnas, perpendiculares horizonti, inter quas verticaliter moveri potest tubus diopticus, qui et inservire potest ad corpora remota, et ad propinqua conspicienda, prout de duabus lentibus obiectivis, quas gerit tubus, hanc illamve tegas: in foco habet micrometrum, ex filis transversis verticalibus et horizontali constans. Primum ita disponas instrumentum, ut, cum in meridiano magnetico se dirigit axis magnetica, ea trans tubum visa exacte conveniat cum filo medio verticali. Moveatur tum verticaliter tubus, et versus coelum per illum conspiciatur donec stella quaedam, cuius adscensio recta et declinatio sint notae, trans illum appareat. Exacte notetur tempus quo medium filum secat stellam. Computari enim potest, quanam in regione coeli hoc tempore fuerit haec stella; quam ergo directionem habuerit hoc tempore acus magnetica: azimuth enim stellae momento observationis definiet declinationem acus.

Quod ad definiendam *inclinationem* acus magneticae attinet, viam maxime expeditam hunc in finem sistit instrumentum, quod vocatur *pyxis inclinationis*. Consistit haec acu magnetica, quae libere verticaliter se movere potest, circa axin horizontalem, qui centrum gravitatis acus transit. Includitur fere acus limbo circuli diviso, ita ut extremitas acus divisiones notet

in

in limbo. Divisio circuli huius incipit a diametro horizontali, unde ab utraque parte descendit, donec utriusque divisionis gradus 90^{us} se tangant. Divisi limbi centrum exacte coincidit cum axi, circum quem movetur acus. Apparatus hic ponitur ita, ut exacte in meridiano magnetico posita sit acus. Libere tum sibi missa, certam positionem assumit acus, ut iam diu vidimus. Positionem hanc definiet observatio, cuinam divisi limbi puncto respondeat extremitas acus. Haec observatio fieri poterit, si velis, microscopio, quo sit accuratior. Si nimis oscillat acus, poterint notari puncta extrema unius pluriumve oscillationum, quorum arithmetice intermedium erit verum punctum, quod inclinationem definit.

Quando dubitamus, utrum axacte quidem a centro gravitatis suspensa fuerit acus, invertamus tantummodo polos, et videamus, utrum adhuc eidem puncto limbi respondeat acus. Si eidem respondet, certi sumus de veritate huius observationis, si alii, sumendum tantum est medium inter duo haec puncta; ab altera enim parte recuperatur eadem quantitas, quae ab altera parte erat amissa.

Intensitas quidem absoluta acus magneticae definiri non potest, cum nullam habeamus determinatam eius mensuram; sed ex comparatis

tan-

tantum diversis actubus inter se aliquid de illa potest enunciari.

Intensitas igitur illa relativa variis viis definiri potest; quae autem singulae suis vitiis laborant. Quae via eam determinare vult mensurando pondere, quod ferre potest acus, *illa* quam incerta sit, continuo apparet, ubi spectes certum finem non determinari posse huius ponderis, neque semper constare, utrum hoc, quod ferat, *onus ferreum, non ipsum sit magneticum*, aut magneticum evadat contactu; quae si locum haberent, augeretur indefinite apparens intensitas acus.

Alii aliam viam ingressi ita determinare studuerunt intensitatem acus, ut illam ponerent immobilem in vicinia acus mobilis, atque examinarent quantitatem, qua ex meridiano magnetico traheret acum mobilem si perpendiculariter ad meridianum magneticum in illam ageret. Ex directione scilicet, quam haec assumit acus, comparare voluerunt intensitatem, qua in hanc ageret tellus et acus immobilis; hanc enim esse ad illam = tg. d : 1 si d sit deviatio acus mobilis ex meridiano magnetico. Quam parum autem certo ita definiatur intensitas, apparebit, si consideramus, quantum hic pendeat a suspensione acus mobilis, a positione et distantia acus immobilis, cuius vim expe-

periri velimus. Caeterum si verum est, quod dicit Cl. Oerstedt (1), et observationibus Cl. Cassini affirmat, acum parva vi magnetica praeditam minus obedire magnetismo terrestri, magis vero caussis localibus, quam acum fortiorem, omnia hic pendere poterunt ab intensitate acus mobilis.

Optima certe methodus erit, quae intensitatem determinare studet numero oscillationum, quas determinato tempore facit acus horizontalis, spectata simul inclinatione. Vis magneticae pars, quae post decompositionem unice horizontaliter agit, est ad vim universam, uti cos. incl. : 1. Intensitates ad se invicem erunt in ratione inversa quadratorum temporum, quibus perficiuntur oscillationes, aut in ratione directa numeri oscillationum, ita ut in eodem loco intensitates duarum acuum futurae sint ad se invicem

$$I : I' = T'^2 : T^2 = N^2 : N'^2.$$

si numerus oscillationum est aequalis in utraque acu, sed vario sint loco, erit

$$I : I' = \cos. i : \cos. i'$$

et in genere

$$I : I' = N^2 \cos. i : N'^2 \cos. i' = \frac{\cos. i}{T^2} : \frac{\cos. i'}{t'^2}.$$

Ve-

(1) *Bibl. Univ. Sept.* 1821, *Sc. et Arts* pag. 29.

Verum multae ſunt cauſae, quae turbare poſſunt motum oscillatorium acus, v. c. frictio ſuspenſionis, poſitio extra horizontem, reſiſtentia aëris, alia. Praeterea cum phaenomena intenſitatis pendeant ex actione mutua terrae et acus, non facile ſeparari haec poterunt, ut ita de intenſitate acuum in ſe ſpectatarum iudicemus.

Caeterum quamvis Phyſicorum non minus interſit phaenomena *intenſitatis conſiderare*, *quam* declinationis et inclinationis; in practico tamen uſu acuum magneticarum parum differt, utrum definire poſſimus earum intenſitatem, necne. Hoc apparet ex iis quae diximus de uſu acus in arte nautica, ubi ſola fere ſpectatur declinatio, apparet ex uſu in aliis artibus, apparet denique ex obſervationibus de intenſitate inſtitutis paucisſimis.

I
B
C
A
B'
C'
A'
A B
C
II
D E
H''
1
III
H'
H
B
IV
A
E
D
F
C

IACOBI GERARDI HENRICI SANDBRINK,

GEMENSIS,

THEOLOGIAE CANDIDATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

COMMENTATIO,

AD

QUAESTIONEM,

AB ORDINE

THEOLOGICO

PROPOSITAM:

„ *Quandoquidem perperam agunt, qui in ora-*
„ *tionibus sacris omnem sacrorum librorum*
„ *interpretationem negligunt, nec tamen*
„ *una eorum adhibendorum ratio probari*
„ *potest, cum* vel *praecipuus interpretationi*
„ *detur locus,* vel *doctrinae Christianae*
„ *pars, ex praelecto obiterve illustrato loco*
„ *ducta, uberius exponatur,* vel *denique*
„ *tertium eligatur genus, ex utroque illo*
„ *mixtum, quaeritur, quid in singulis uni-*
„ *verse praestabile habendum, et in delectu*
„ *faciendo inprimis spectandum sit?"*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Arridebat mihi semper, ab eo inde tempore, quo inter Academiae cives me numerari gaudebam, palma illa, quae, in Patria nostra, Academiarum alumnis in certaminibus litterariis proponitur. Et tunc tandem me felicem existimabam, si quando in eiusmodi certamine reportare possem victoriam. Augebatur autem mihi hoc desiderium, quo plures inter amicos viderem hâc coronâ ornatos. Sed vero virium mearum tenuitatem cogitans, in arenam descendere non audebam.

Cum tamen superiori anno, in Academia Rheno-Traiectina, a Clarissimo Ordine Theologico proposita esset quaestio, de variis generibus orationum sacrarum habendarum; tandem vires meas periclitandas esse duxi, ne propediem omni destituerer huius rei opportunitate. Magna praeterea ex huius argumenti tractatione in me redundatura videbatur utilitas, ad rite aliquando fungendum munere, ad quod adspirabam. At vero denuo absterre-

rebat argumenti difficultas adolefcentem, omni experientia hac in caufa deftitutum. Abduxerunt gravisfima alia, quae mihi in curfu Academico erant praeftanda; omnis abiit quaestionis et praemii cogitatio. — At continenter tamen ingrato quodam fenfu me ftimulatum fentiebam, quod virium mearum nullum fecisfem periculum. Accedebat amicorum quorundam adhortatio et confilium. — Quid plura? — Opus tandem aggresfus fum, et quod mihi fupererat temporis, in illud contuli. „*Edidi, quae potui, non ut volui, fed ut me temporis angustiae coëgerunt.*" Victoriam reportet alius; mihimet tamen ipfe fatis fecisfe videbor, quod et facultates meas tentaverim, neque omnem hac in caufa perdiderim operam.

INTROITUS.

§. I.

De munere Oratoris ſacri.

Inter ea, quae in ſocietate civili nobis incumbunt officia praeſtanda, munus ſacri doctoris unum in paucis eſt difficillimum, (1) ſimul et honorificentisſimum. (2) Quid enim gravius eſ-ſe

(1) Huius muneris quanta ſit difficultas et gravitas, egregie docuit Joh. Chryſoſtomus, in tractatu: *περὶ ἱερωσύνης*, libr. 6. inprimis libr. II. p. 371 - 380. *Opp.* Tom. I. Pariſ. 1718. *opera et ſtudio* Bernardi de Montfaucon. Conf. etiam Eraſmus, in opere: *Eccleſiaſtes, ſive de ratione concionandi*, libr. 1. *Opp. omn. Deſiderii Eraſmi* Tom. V. p. 769 ſqq. Lugd. Bat. 1704; ubi p. 821 ſqq. docet, *regem agere facilius eſſe, quam Epiſcopum.*

(2) Quam *honorificum* ſit hoc munus, ex inſtituto demonſtrare ſtuduit Ambroſius, in libro: *de dignitate ſacerdotali. Opp. div. Ambroſii, Epiſcopi Mediolanenſis* Tom. IV. p. 1257 ſqq. Pariſ. edit. a. 1569. apud *Guielm. Merlin.* Conf. etiam Chryſoſtomus in tractatu laud. libr.

ſe poteſt officium, quam ut fideles Dei Ieſuque Chriſti nos praeſtemus miniſtros, atque digni habeamur, qui legati divini perſonam bene geramus? Alios vero erudire, emendare, ad perpetuum virtutis ſtudium excitare, ſingulorum proſpicere ſaluti, univerſum Chriſtianorum coetum ad apoſtolorum exemplar et ex Paulli praecepto (1 Cor. XIV: 3, 4, 5, 12. 17. 26. 1 Theſſ. V: 11. Eph. IV: 29. alibi) *οἰκοδομεῖν*, (1) opus eſt, quo nullum honorificentius cogitari poteſt. (2) Atque hoc officium, nobis a Ieſu Chriſto impoſitum, ut feliciter exſequamur, pro concione, eius nomine congregatae, orationes ſacrae nobis ſunt habendae. In templis enim Deo Chriſtoque dicatis, convenire ſolent qui Ieſu nomen profitentur, ut precibus

libr. III. p. 380-401. et Eraſmus, *l. l.* ubi, *inter omnes*, inquit, *humanae vitae functiones, nulla gravior, nulla ſplendidior, adde nulla periculoſior est, quam Eccleſiaſtae*, p. 801.

(1) Solemne enim erat apoſtolis eccleſiam comparare *οἴκῳ* in dies altius ampliusque exſtruendo et ornando. Vid. Schleusnerus, voce *οἰκοδομεῖν*, et inprimis, quae hac de re monuerunt Erneſti, *Neue Theol. Bibliothek*, Tom. II. p. 550. Leſz, in *Opuſc. Theol. et Homil. argum.* p. 107. et Koppius, in *Tractatu brevi*, Goettingae, 1778.

(2) Conſ. Chr. Fr. Engelmann, *Verſuch einer Theorie über die Erbauung*, Breslau und Leipzig, 1771. &

bus communibus, gratiarum actionibus, hymnis, carminibus, sacro lavationis ritu et sacra coena, beneficiis cum pauperioribus communicandis, suum Deo cultum praestent, suum erga eum amorem fiduciamque in eo collocatam significent. Nec tamen in his solis subsistunt. Nam et eo maxime consilio confluunt in templa, ut in memoriam sibi revocent innumera Dei et Iesu Christi Conservatoris nostri beneficia; ut audiant officiorum praecepta, quibus est obtemperandum; ut animos attendant ad suam imbecillitatem, plurimaque errata et vitia, in quae quotidie incurrunt. Conveniunt in templis, ut discant, quo optime modo pravitatis blanditiae, quibuscum homini quotidie est conflictandum, superentur et opprimantur; ut discant totam suam vitam ita instituere, ut Deo grati sint et accepti, aliisque utiles; ut audiant, quanta sint Dei promissa ipsis per Iesum Christum facta, quae sit ipsis spes data, cum immunitatis a poenis, tum vitae melioris post mortem futurae, quo fiat, ut calamitatibus, quibus affliguntur mortales, non succumbant, sed in omni omnino infortunio sibi sint constantes, aequo animo acquiescant in Dei voluntate, et pleni sint illius spei, quam de altera vita beata aliquando conceperunt.

Et sacri est Oratoris, in his omnibus primas

age-

agere partes. Eius est, Christianos ad ea omnia facienda excitare et cohortari, et sese coetui congregato, sacerdotis ad instar, praeeuntem praebere. Eius est, ceu legati a Deo missi, viam ac rationem felicitatis consequendae annuntiare. Eius est, in Christianorum animis studium iusti, boni, veri et omnium eorum excitare, quae Deo placere possint. Eius est, impiis metum poenarum commeritarum incutere, male factorum poenitentiam excitare, poenitentibus Dei condonantis gratuitum favorem et Christi Sospitatoris divinitus dati beneficium promittere, omnes denique ad sinceram fidem, vitiorum fugam, et pietatis constantiam, hortari. Haec vero omnia eo modo ab illo sunt praestanda, quo decet *doctorem* Christianum; sunt ea omnia docenda secundum *doctrinam* Domini nostri Iesu Christi. (1) Hanc doctrinam tradere eum oportet ratione simplici et perspicua, ab omni fuco et quaesito ornatu aliena. Eo igitur tota eius oratio tendat, atque omnis, quam tractat, materia eo spectet. (2)

§. II.

(1) Vid. Less, *über Christl. Lehramt*, Goetting. 1790. inprimis p. 57 sqq. Conf. Reddingius, *mijne gedachten over het Leeraarsambt*, Amst. 1809. §. 39.

(2) Conf. I. G. Marezoll, *over de bestemming van*

§. II.

De materia et loco praelecto ſive textu.

Hoc igitur primarium est Oratoris ſacri officium, ut in orationibus, pro coetu Christianorum habendis, Christi exponat et inculcet doctrinam. Earum autem materia ſumenda est ex doctrina, quam ſacri exhibent libri, cum veteris tum inprimis Novi Foederis. In eoque ita verſari potest Orator ſacer, ut, vel aliquam partem univerſae doctrinae pro argumento ſumat, vel ſecundum aliquem locum e ſacro Codice ſumtum ea tractet, quae hoc ipſo loco contineantur. Iam vero, quum orationis *materia* in ipſa illa re conſistat, quam adumbrat, exponit, definit, vindicat, tractat omnino oratio, ſequitur, nullam eſſe poſſe ſine materia vel ar-

ar-

van den Kerkel. Redenaar, qui liber e lingua Germ. in Belgicam verſus est, cum praef. E. Tingae Viri Cl. Fran. 1803. Spalding, *über die Nutzbarkeit des Predigt-Amts*, Berlin. 1772. Christiani, *über die Beſtimmung*, *Würde*, *und Bildung Christlicher Lehrer*, Schleswich. 1789. et praeſertim disſertationes, quas de praeſtantia etc. muneris ſacri conſcripſerunt Viri Venerab. A. Brink, Th. Hoog et Corn. Swaving, in *Operibus Societ. Hag. pro vindic. rel. Chr.* anno 1793.

gumento orationem, neque adeo etiam orationem sacram.

Eiusmodi autem argumento comprehendi potest, *aut* universa Christiana doctrina, quae in sacris literis traditur, et cuius consilium, indoles, et ratio demonstrantur, *aut* aliqua pars huius doctrinae: quae similiter, *vel* universe considerari potest, *vel* convenienter peculiari proposito, quod assequi cupimus; atque adeo sic tractari potest, ut ope rationis et divinae patefactionis explicetur, illustretur, vindicetur, atque in nostram convertatur rem. Et in doctrina tradenda occupati, possumus, *aut* nulla attingere loca e Codice sacro citanda, *aut*, si quando propter argumentum ad id faciendum ducamur, in eo sic versari possumus, ut nonnulla loca ad nostrum propositum accommodata obiter recitemus, neque tamen ea ex instituto sumamus pro orationis nostrae argumento, quod cum aliis communicare volumus. Sic sese saepe habebant Iesu et apostolorum orationes, quando ad populum de aliqua re verba faciebant. Hos imitati sunt nonnulli ex veteris ecclesiae doctoribus, in suis λόγοις vel orationibus, (1) quae ratio apud Pontificios etiamnunc

(1) Vid. Binghami *Orig. Eccles.* Vol. VI. Sect. XIV. c. 4.

nunc locum obtinet, praesertim cum de vita sanctorum et laudibus martyrum perorant. (1) Neque etiam mirum est, haud paucos inter recentiores repertos fuisse, qui hunc concionandi modum exoptarent, propter majorem libertatem, qua pro arbitrio aliquam doctrinae Christianae partem eligere et tractare posset orator. (2)

Potest tamen doctor Euangelicus, ad Christianos doctrinam Christi docendos, locum aliquem, e Sacro Codice praelectum, ita tractare, ut hic locus ei, *aut* sit pro argumento, de quo unice loquatur, *aut* opportunitatem praebeat de aliqua re dicendi, quae ibi, aut tota occurrit, aut partim memoratur, aut cuius aliqua mentio iniicitur. Quo fit, ut orator locum tractans, *vel* auditoribus omnem rem ibi pro-

(1) Vid. Knibbe, *Manud. ad Orator. Sacr.* Tom. I. p. 7. edit. 6. Lugd. Bat. 1697. Conf. W. A. van Hengel, Vir. Clar. *Voorberigt voor zijne Leerredenen*, Amst. 1821.

(2) Vid. Ostervald, *l'Exercice du Ministère Sacré*, Basle 1739. Belg. vers. *Verhandeling over de oeff. van den heilig. Predikdienst*, Amst. 1739. p. 52. et Mosheim, *Inleid. tot de Predikkunde, of geestel. Welsprekendh.*, Utrecht 1770. p. 6, 7, sed librum Ostervaldo tributum suppositum esse, docet IJpeij, Vir. Clar. *Kerkelijke Geschiedenis der achttiende Eeuw*, Vol. VIII. p. 177.

propositam exponat, *vel* peculiari modo, pro ratione loci praelecti, aliquam doctrinae partem contempletur, de eaque fuse agat, et eatenus eo loco utatur, quatenus ei inserviat, ad hanc, quam sumsit, doctrinae partem suo modo considerandam et exponendam: ut adeo hic locus praelectus ei sit veluti centrum, e quo exeat, et ad quod redeat.

Et, si in quodam placito religionis Christianae alias atque alias partes considerare velimus, *vel* mutato textu, eandem rem, mutato modo et consilio, tractare poterimus, *vel*, ad eandem rem multiplici modo contemplandam, pluribus locis uti licebit. Quin et habentur argumenta in religione Christiana, quae ex uno textu duci non possint. Et multorum etiam argumentorum ratio sic sese habet, ut, ex uno loco praelecto, accuratior et definitior eorum explicatio dari nequeat.

Contra fieri potest, ut unus locus praelectus occasionem praebeat de multis rebus disserendi, quando in eo de variis rebus sermo fit, aut coniunctione et dispositione variae res ex eo ducuntur.

Quae cum ita sint, bene nobis tenendum est discrimen, *materiam* inter et *textum*; atque adeo fieri potest, ut sine textu materiam in oratione nostra tractemus.

oc-

§. III.

De origine et causa textuum adhibendorum.

Textuum adhibendorum originem investigantibus nobis apparebit, eam a primis iam ecclesiae Christianae initiis esse repetendam. Etenim ante Christi iam tempora Iudaeorum doctores suo docendi munere sic fungi solebant, ut orationes etiam sacras in synagogis haberent. Harum orationum duplex genus erat: quorum alterum *lectioni div. legis* intermixtum erat; alterum eam sequebatur. (1) Simplicissima tamen earum orationum ratio haec erat, ut Levitae et *οἱ νομικοὶ legem divinam* praelegerent, partemque praelectam coram populo interpretarentur. Et hunc quidem morem fuisse praelegendi Codicis Sacri in Synagogis, apparet ex eius in pericopas distributione; et ex iis effici potest, quae Luc. IV; 16. Act. XIII: 14 et 15. 1 Tim. IV: 13. legimus. Ex his enim videmus, presbyteros, lectis legis aut Prophetarum locis, non tan-

(1) Unde apud nos etiam mos exstitit, praelegendae partis alicuius e Sacro Codice, in initio publici cultus, prouti docuit Vener. J. Hinlópen in *Vervolg van Overdenkingen*, p. 1, 2. Conf. J. L. Mosheim, *Predikkunde*, Tom. I. p. 41.

tantum ad illa interpretanda, sed et ad auditorum mores exhortationibus formandos et corrigendos, accesſisſe. (1) Quamquam iusta de cauſa credibile est, non *ſemper* eorum orationes hunc in modum fuisſe compoſitas. (2)

Cum igitur univerſa Christianae eccleſiae gubernandae ratio, et multa in cultu eius publico, ex Iudaeorum veteri Synagoga, originem duxerint; non mirum profecto nobis accidere potest, eandem praelegendi et exponendi Codicis Sacri conſuetudinem locum obtinuisſe in prima Christianorum eccleſia. Quod quidem et rei ipſius ratio docet, et diſerta confirmant Veterum testimonia, quorum nonnulla adduxit Ferrarius, e *Conſtitut. Apoſt.* L. II. c. 54. L. VIII. c. 5. ex Justini Martyris *Apolog. ad Antoninum Pium*, et e Tertulliani *Apologetico*, cap. 39. provocans etiam ad Baſilii, Chryſostomi, Ambroſii, Augustini, Chryſologi, Leonis, Gre-

(1) Vid. Camp. Vitringa, *de Syn. Vetere*, Lib. III. P. I. c. 5, 6. et P. II. c. 7 - 12.

(2) Conff. quae hac de re congesſit Vitringa, *l. l.* et praeter alios I. Lightfootus, *Opp. poſth.* p. 84, 85. et quae hac de re disſerit A. de Stoppelaer, in *Praef. Theologiae Analyt.* I. Stapferi in ling. Belgic. ab eo converſae praemisſa.

Gregorii Magni, aliorumque Patrum sermones. (1)

Primis igitur Christianorum temporibus, post Christi et Apostolorum aevum, haberi quidem solebant orationes sacrae, sive λόγοι, (2) in quibus nullus e Codice S. textus pro argumento sumebatur; attamen magis illi delectabantur homiliis, in quibus ex aliquo *textu* ansam capiebant, de certa materia agendi, et auditores *docendi*, *monendi*, *adhortandi*, *reprehendendi* ac *consolandi*. Quo inprimis nomine *οἱ λόγοι* ab homiliis differunt. (3) Quae igitur consuetudo textuum adhibendorum cum sit antiquissima, eaque fuerit eo usitatior, quo melius esset ordinata ecclesia, (uti videre licebit e conspectu historiae, quem

(1) Conff. Bern. Ferrarius, *de ritu sacrarum Ecclesiae veteris concionum*, *cum praef.* I. G. Graevii, Ultrai. 1692. L. I. c. XV. Ioach. Hildebrand, in *Dissert. de Veterum Concionib.* Helmstad. 1661. Mich. Gottl. Hansch, *Abbild. der Predigten im ersten Christenthum*, Frankf. am Mayn, 1745. Fleury, *Moeurs des Chrétiens*, c. III. §. 7. Arnold's *Afbeelding der eerste Christenen*, II. Boek, Hoofdst. 12. I. H. v. d. Palm, Vir Cl. in oratione: *de Oratore S. litt. divinarum interprete*, Lugd. Bat. 1806. p. 25 - 27.

(2) Conf. Binghami *Orig. eccles.* Vol. VI. L. 14. c. 4. p. 159.

(3) De discrimine inter *τοὺς λόγους* et *homilias*, conf. Osterwald, l. l. p. 48. 50.

quem §. 4. sumus exhibituri), (1) mirum nobis videri non potest, eam non solum observari in nostra ecclesia, quam *Reformatam* appellamus, verum etiam legibus in patria nostra esse praescriptam, (2) quo fit, ut in ipso Catechismo tractando, textus aliquis adhibendus sit.

Et profecto huius usus causae sunt multae et graves. Etenim, salva libertate textus eligendi (3) et tractandi, ille usus non solum nihil impedit, quo minus feliciter concionari possimus, verum plurimum etiam utilitatis affert, cum dicenti, tum audientibus. Orator enim sentit, sibi tractanda esse argumenta e S. ducta Co-

(1) Conf. v. d. Palm, Vir. Cl. in *Oratione* laud. p. 25 - 27. Lugd. Bat. 1806. et van Hengel, Vir Cl., in *Praef.* laud. p. VIII. IX.

(2) Docent hoc nostrum Symbolum, *Geloofsbelijdenis* dictum, et *Catech. Heid.* quaest. 103. ut et formula, q. d. inaugurandorum doctorum euangelicorum (scilicet verba: *om te bevestigen de dienaren des Goddelicken woorts*) uti etiam Acta primarum Synodorum Ecclesiae Belgicae habitarum *Vesaliae*, 1568. c. II. Artic. 20. *Dordraci*, 1574. Artic. 40. et 1578. Artic. 56, et Constitutiones Ecclesiae, *Kerkenorde* dictae, *Dordraci*, 1618. §. 16.

(3) Qua libertate sublata, quam magna Oratori creetur molestia, significavit Moshemius, lib. l. Conf. etiam J. P. Brands, *Inleidinge tot de kennisse en het gebruik der hedendaagsche Predikwijze*, e lingua Germ. Amst. 1742.

Codice, qui omnis sapientiae unicus ei et uberrimus fons est. Hinc etiam maior ei comparatur παῤῥησία in loquendo et auctoritas in hortando. (1) Prohibet et ille usus, quo minus ex arbitrio mortalium, aut ex inconstanti doctoris voluntate, pendeat publicus Dei cultus. Prohibet illa consuetudo, quo minus apud Iesu cultores negligatur S. Codex, ex quo verae religionis notitia haurienda est, cuius argumentum in hominum animos saluberrimam vim habet, qui denique, cum propter copiam materiae, quam variis modis tractandam praebet, tum propter egregia, quae continet, praecepta, omnium est praestantissimus. (2) Haec de-

(1) Quantam utilitatem Christiano homini praebeat Codex S, demonstravit iam Lutherus, in *Sermone de Marc.* XVI. a. 1521. et in *praef. praemissa Psalmo* 118. a. 1531. Conf. Thomas Abt, *vom Verdienste*, III. Hauptst. 3. Art. Petr. Broes, *de peinzende Kristen*, II. p. 85 - 135. Amst. 1783. J. v. d. Roest, *over de genoegens van den Godsdienst*, 5de Leerrede, J. H. v. d. Palm, Vir Cl. (inprimis de Veteri Testam.) in Orationibus SS. P. VII. in *Ps.* CXIX: 105. Inprimis dignus est, qui hanc in rem conferatur J. Hinlópen, l. l.

(2) Conf. J. Gujot, *sur l'Excellence de la Sainte Ecriture, comme renferment également l'agréable et l'utile. Sermons sur divers textes de l'Ecriture*, Tom. I. Serm. 2. p. 196 sqq. et Ancillon, Prijsverh. over de vraag: wel-

denique consuetudo facit, ut ne peregrini sint Christiani in sacris libris; ut in textu iam habeant conspectum rerum praecipuarum, de quibus dicturus sit Orator, et ut huius conspectus ope diligenter audiant, et semel audita in memoriam facile revocent.

§. IV.

Brevis conspectus variorum modorum, quibus textuum usu versati sunt doctores Christiani, inde ab Apostolorum aetate ad nostra usque tempora.

Post Apostolorum aetatem, cum ad religionem Christianam plurimi accederent viri docti et philosophi, e gentilibus et Iudaeis oriundi, sensim ea simplicitatem, qua diu fuerat gavisa, amisit. Etenim, et in ea universe tradenda, et inprimis in Codice Sacro interpretando, alias il-

welke zijn, behalve de goddelijke ingeving, de kenmerken, die de voortreffelijkh. der gew. Schrift. boven de ongewijde bewijzen? Leid. 1802. *in 't Nederd. vertaald door Doctor* Scharp, quos laudat F. van Gogh, in libro: *de Bijbel een boek, even zoo vermakelijk als nuttig voor allerlei lezers.* Schiedam, 1815.

illi iniverunt vias. Mystica continuo et allegorica existebat exponendi ratio, uti manifesto videre licet ex Iustini Martyris *Exhortatione ad Graecos*, ex eiusdem *Oratione ad eosdem*, et ex praestantissimi etiam Origenis scriptis. (1)

Quamvis autem hac allegorica ratione delectarentur, interpretando tamen Codici Sacro semper operam dederunt, usque ad tempora Chrysostomi et Augustini. Qua in re sic aliquando versari solebant, ut nonnullos Codicis S. libros perpetuo ordine explicarent, ex iisque auditores ad religionem colendam excitarent. In his autem pericopis illustrandis sic fere agebant, ut singulis textus partibus suas interserererent observationes, quae aut ad docendos, aut ad emendandos homines spectarent. Hoc modo sese fere habebant Chrysostomi *Sacrae Orationes*, quarum magna pars constat *Homiliis*. In his homiliis pericopa fere aliqua Codicis Sacri tractatur; in qua tractanda sic versatur Chrysostomus, ut, praemisso introitu, singulis pericopae partibus suas addat obser-

(1) Conf. Schmid, *Anleitung zum popul. Kanzelvortrag*, P. III. p. 52. et Bernh. Eschenburg, *Versuch einer Geschichte der öffentl. Religionsvorträge*, I. p. 123-132.

servationes, praxin inprimis spectantes, δοξολογίᾳ autem orationem concludat. In his minus quam sui aequales grammaticam negligit interpretationem, (1) Quod autem in Oriente praestitit Chrysostomus, in Occidente efficere studuit Augustinus. Minus quidem feliciter hic versatus est in interpretatione S. librorum, quam ille, sed inter incredibilem orationum, quae ab eo habitae sunt, numerum haud paucae oc-

(1) Praeter eos, qui historiam ecclesiasticam scripserunt, uti H. Venema, *Inst. hist. Eccles.* T. IV. p. 25 sqq. Mosheim, *Kerk. Gesch.* I. p. 15. Schröckh, *Kirchengesch.* Th. X. p. 267 et 440 sqq. Hamelsveld, *Kerkel. Gesch.* VII. p. 1 - 109. conferri merentur, ad iudicium ferendum de *Chrysostomo*, Erasmus, in *Eccles.* L. II. edit. laud. p. 856, ubi eius scripta Ecclesiastae legenda commendat. Conf. *Opp.* V. p. 431 et 912. VI. 866 et 994. VIII. p. 4. alibi. Du Pin, *Nouvelle Bibl. des auteurs Eccles.* T. III. p. 38 sqq. Roques, *Euang. Leeraar*, Belgice vers. p. 59 sqq. Fenelon, *Gesprekk. over de Welsprekendheid* etc., e ling. Gall. Belgice vers. a Schrantio, Viro Cl. notis adiectis, p. 156. et p. 206-213. Blair, *Lessen over de Redekunst* etc. Belgice vers. II. p. 98. Eichhorn, *Geschichte der Litt.* I. p. 442. Cl. van Hengel, in *Orat. de Relig. Christ. disciplina verae eloquentiae uberr. nutrice*, p. 18. Amst. 1818. Eul. Schneider, *Freimüthige Gedanken über den Werth und die Brauchbarkeit der Chrysostomische Erklärungsrede über das N. T. etc.* 1787. Doyer, *Hulde aan Chrysostomus.*

occurrunt, quae referunt rationem homiliarum, a Chryfoftomo habitarum. (1)

Ab hoc vero inde tempore minorem in hominum animos vim habere coepit religio Christiana. Periit erga Codicem S. reverentia, periit librorum S. intelligentia. Hinc igitur non mirum est, *homilias biblicas*, q. d. in desuetudinem abiisse, earumque locum occupasse sermones, quos habebant, nullo e Codice S. adhibito textu. Quae vero adhuc habebantur homiliae, hae non eo, quo par erat, modo textum praemissum tractabant, sed negligebant fere.

Tandem vero orationes S. quae passim adhuc habebantur, unice constabant sanctorum martyrumque laudibus. Et patrum ecclesiasticorum et scholasticorum scripta magis, quam libri sacri, dicendi argumenta oratoribus praebebant. (2)

Quo

(1) De Augustino, conf. praeter hist. Eccl. Scriptores supra laud. Schmid, l. l. P. III. p. 149 - 152. Fenelon, Schrant, *l. l.* p. 151. et inpr. 176 - 183. Cl. van Hengel, qui in *Oratione* laud. p. 18. Augustini praecepta, quae tradit, libro IV. de *Christiana doctrina*, magnopere laudat, et Sailer, *Briefe aus alle Jahrhunderte*, Th. II. p. 134 sqq.

(2) Vid. Erasmus, in *Eccles.* suo, inprimis in *Encomio moriae*, et in multis dialogis. Conf. Schmid, l. l. p. 167 sqq. et van Hengel, in *Praef. Oratt. SS. praemissa*, P. VIII. IX.

Quo denique factum est, ut orationum S. usus esset fere nullus, cultusque religionis externus unice constaret *missis* q. d. praelegendis aliisque ritibus. (1)

In hoc vero et disciplinarum et religionis et ecclesiae Christianae tristissima conditione exstiterunt Saec. XVI. eximii illi viri, qui ad sacra emendanda plurimum contulerunt operae. Horum enim ope factum est, ut suus libris sacris redderetur honos. Scilicet eos rite interpretari coeperant, atque pro unica habere nostrae fidei norma. Nulla tractabatur materia, nisi ex Sacro Codice sumta. De nullo agebatur textu, cuius verum sensum non exponere studebant audi-

(1) Conf. L. T. Spittler, *Grundrisz der Gesch. der Christ. Kirche*, p. 251 sqq. §. 25. edit. 5. a Planckio curata. Schuler, *Gesch. der popul. Schrifterklärung*, Th. I. p. 169 sqq.

De tota hac prima huius nostrae §. I. parte, conf. Schmid, *Anleit. zum popul. Kanzelvortrag*, Th. III. qua parte continetur: *Kurzer Abrisz der Geschichte der Geistliche Beredsamkeit und Homiletik*, Jena, 1800. J. L. Mosheim, *Anweisung erbaulich zu predigen, Vorbereitung*, §. 5-14. Belgice versus sub titulo: *Inleid. tot de Predikk. of Geestl. Welsprek.* Utrecht 1770. Bernh. Eschenburg, *Versuch einer Geschichte der öffentl. Religionsvorträge in der Griechischen und Lateinischen Kirche, von den zeiten Christi bis zur Reformation*, 1ste Hauptabsch. Jena, 1785. in 8.

ditoribus suis, ex eoque suam contra adversarios causam vindicare. (1)

Eximii illi, qui de Christianis egregie meriti sunt, suis etiam orationibus S. habendis, fuerunt Lutherus, Melanchthon, Calvinus, alii. Lutherus, ad antiquorum Christianorum homilias, suas componebat orationes. Graecorum vero et Romanorum rhetores etiam imitari studebat Melanchthon. (2) Uterque suos nactus est imitatores, qui uno nomine dicuntur Lutherani.

Brevi autem factum est, ut ab hac via deflecterent, et in orationibus S. etiam ostenderent studia philosophica, polemica et scholastica; Codicis autem S. interpretationem, aut penitus negligerent, aut in ea subtilius, quam par erat, versarentur. Hanc perversam apud Lutheranos rationem primum emendavit, inde ab a. 1686: Spenerus. (3) Hunc secu-

(1) Conf. H. van Heiningen, *Bijbeloef. over het Euangelie van Mattheus*, in Praef. parti I. praem. P. XIV. 's Gravenhage, 1819 et 1820.

(2) De diversa ratione Oratt. SS. habendarum, qua Lutherus et Melanchthon inter se differunt, vid. Mosheim, libr. laud. *Inleid.* p. 61 - 67. qui Lutheri rationem dicit *syntheticam*, *analyticam* vero Melanchthonis. Conf. tamen, quae contra mone Schmid, libr. laud. P. III. p. 276, 277. §. 237.

(3) Inprimis conscribendis libris: *Pia desideria*, Francof

cujus Moshemius, egregiis suis praeceptis et eximio, quod dabat, exemplo, in ea emendanda multum praestitit. Hic locum praelectum sic tractare solebat, ut primum eum explicaret, tum de primario, quod in eo habebatur, argumento ageret, denique dicta adhiberet ad religionis studia in hominum animis excitanda. Plurimi eum continuo imitati sunt inter Lutheranos: sed posterioribus denuo temporibus in loca praelecta interpretanda minus incumbebant, suam subinde philosophiam, Kantianam inprimis, immiscebant orationibus, id quod ex Ammonii, Stäudlinii aliorumque sermonibus, efficere licet.

Calvinus vero suas orationes S. prorsus composuit ad veterum homiliarum rationem. Nullum praemittit introitum, nullum indicat argumentum primarium, nullam facit orationis suae in partes distributionem. Sed locum sic praelegit, ut continuo addat interpretationem, expositionem et observationes, quae ad hominum animos emendandos et in virtute confirmandos spectent. Hic, quum pariter fere atque Lutherus suas componeret orationes, suos etiam continuo habuit imitatores. Quos inter uni-

cof. 1678. et: *Klagen über das verdorbene Christenthum*, 1686.

universe censendi sunt Franco-Galli et Helvetii, qui eius partibus erant addicti et iustam operam navabant interpretationi loci praelecti, uti nobis patere potest ex orationibus S. Rodolphi Gualtheri, (1) Mosis Amyraldi, Ioh. Dallaei, Ioh. Mestrezati et aliorum, tum etiam maxime ex praeceptis et exemplis, quae dedit Claudius. (2)

Per caeteras omnes ecclesiae reformatae partes et in nostra etiam patria, primis post sacra repurgata temporibus, interpretando quidem loco e S. Codice operam dabant, sed ita tamen, ut argumentum, quod ex eo ducerent, inprimis tuerentur contra adversarios. Sed postea, exeunte Saec. XVII. et ineunte Saec. XVIII.

(1) Hic inprimis inclaruit homiliis suis *in Euangelium Iesu Christi, secundum Lucam*, Tiguri, 1570.

(2) Vid. *Les Oeuvres posthumes de* Mr. Claude, Amst. 1688. Qui tamen contra nimium interpretandi studium monet, v. c. T. I. p. 188. ubi: „ *Il y en a*, inquit, *qui* „ *disent, que la Prédication n'est destinée que pour donner* „ *l'intelligence de l'Ecriture, et qu' ainsi il faut prendre* „ *beaucoup de Texte, et se contenter d'en donner le sens et d'y* „ *faire les principales reflexions. — Mais le principe de ces* „ *gens-là est faux; car la Prédication est déstinée non seulement pour donner l'intelligence de l'Ecriture, mais aussi* „ *pour donner l'intelligence de la Théologie, et pour expliquer* „ *la Réligion.*" caet.

XVIII. argumenti tractandi utilitati anteponebant interpretandi studium, quod tanto cum ardore explebant; „ ut saepe aut in dictionibus „ ac verbis, in literis adeo ac punctis anxie „ excutiendis, aut in explicandis, quae nulla „ explicatione indigerent, aut in tritis ac vulgaribus observationibus ad nauseam usque recoquendis, aut in congerendo, qui nullius „ fructus esset, inportuno doctrinae apparatu, tam mirifice sibi placerent Oratores S., „ ut utilissimarum maximarumque rerum commemorationi aut expositioni vix ullus esset „ locus; ita scilicet in cortice arrodendo occupari, ut nucleum plane omitterent." Sunt verba Cl. Palmii, in *Orat.* supra laud. (1)

In Anglia vero, sub finem Saec. XVII. exstitit Tillotsonus, quem deinceps secuti sunt in Britannia Clarkius, Sherlockius, tandem Newtonus, alii. Hic suis orationibus prorsus aliam, atque antea locum obtinuerat, dabat formam. Multus erat in argumento tractando, aliquando vero parcior, quam

par

(1) Conf. Ew. Hollebeck, de *Optimo concionum genere*, p. 10, 11. Schmid, libr. I. P. III. §. 261. p. 304. Benthem, *Holländ. Kirchen und Schulenstaat*, Francof. und Leipz. 1698. c. VIII. p. 254 sqq. IJpeij, P. VIII. p. 516 et 569.

par erat, in textu interpretando. Hic autem modus orationum componendarum, non solum civibus eius; ſed aliis etiam, magnopere placuit, qui eum imitando exprimere ſtuduerunt, (1) id quod apud nostrates deprehenditur in orationibus S. quas habuerunt Oratores nonnulli Franco - Galli, in quibus ſaepenumero tanta co-

(1) Vid. de Tillotſono, praeter Schmidium, l. l. §. 261. p. 305 ſqq. Cl. IJpeij, l. l. P. VIII. p. 521. Wendeborn, *Zuſtand des Staats etc. in Grosz Brittannien*, II. 59. verſ. Belg. III. 61. *Nederl. Bibliotheek*, VIII. 183. Burnet, *Geſchied. van Engeland*, V. 377. 381. Joh. L. Mosheim., in praef. praem. verſioni Germ. Oratt. SS. Tillotſoni, partibus VIII. Helmſt. Quae praefatio Belg. etiam verſa est et praefixa P. I. Oratt. Belgice verſarum ſub titulo: J. Tillotſon's *Predikatien, in zes deelen*, II Druk, Leid. en Amſt. 1768. Quibus etiam addita est oratio funebris in *Tillotſonum* habita a Gilberto Burneto, et vita *Tillotſoni* a Thom. Bircho enarrata. Add. Zimmerman, *over de Kettermakerij*, p. 194. Du Voiſir, *ſur les études du S. Miniſtre*, I. 324, et Blair, *Lesſen* etc. II. 35 en 36. Caeterum vid. de concion[illegible]ndi ratione apud Episcopales in Anglia uſitata, Niemeyer, *Predigerbibl.* III. p. 234. Wendeborn, libr. laud. III. p. 53. 66. Et conf. de Episcopalium, ut et de No[illegible]-conformistarum ratione, quos inter Blairius, *Sc[illegible]*, IJpeij, libr. laud. p. 558. Schmid, l. l. §. 261. [illegible] illo laud. Benthem, *Engländiſche Kirchen- und Sch[illegible]-ſtaat* (Leipz. 1732.) c. VIII. p. 190 ſqq. Mosh[illegible], l. l. p. 93. et *Journal für Prediger*, B. III. T. I. p. [illegible]

copia doctrinae elucet, ut dissertationum potius de materia philosopha vel morali, quam S. sermonum rationem referant, neglecta fere omni librorum S. interpretatione.

Omnium maxime eorum, qui excelluerunt eiusmodi sermonibus sacris, uti Dav. Martinus, Ioh. Basnagius, Is. Jaquelotus, Dan. Supervillius nominis famam consecutus est Saurinius, doctrinae Christ. interpres Hagae Comitum, (1) qui prae caeteris propterea etiam est laudandus, quod non negligeret expositionem loci praelecti, ex quo duceret argumentum tractandum. (2)

Cum igitur inter nostrates locum diu obtinuisset illa protractior textus interpretatio, (3) multi, Franco-Gallorum exemplo edocti, ab hoc vitio sibi cavendum esse arbitrati sunt. Sic Venema locum, quem pro tex-

(1) Vid. de Saurinio, praeter alios, Moshemius, *Inleid.* etc. §. 14. p. 105-107. Schmidius, libr. laud. III. p. 297. 306. IJpeij, *Kerkel. Geschied. der XVIII. Eeuw*, VIII. 45-47. et 612-614. Niemeyer, *Predigerbibl.* III. 238 et 239.

(2) Quem imitatus magnam nominis gloriam adeptus est Seb. F. Ravius, Litt. Orient. et Eloq. Profess. Lugd. Bat.

(3) Conf. Henke, *Archiv für die neueste Kirchengeschichte*, Th. V. B. II. ab IJpeij, l. l. p. 615. laud.

textu sumebat, iusto modo interpretabatur, simulque argumentum, quod eo continebatur, exponebat. Praeivit deinceps Ew. Hollebeekius, (1) concionandi modum, qui apud multos suae aetatis Oratores in usu erat, valde improbans, editis *tribus dissertationibus, de optimo concionandi modo*, quibus id egit, ut orationum S. genus commendaret, quod nomen habet ab *Anglis*. Hinc vero graves ortae sunt lites. Alii modum ab eo commendatum vehementer impugnarunt, (2) alii eam strenue vindicarunt: (3) quapropter alii eum imitati sunt, (4) alii eum neglexerunt. Cum

(1) Theol. Prof. in Acad. Lugd. Batava, ubi a. 1768. suas dissertatt. edidit.

(2) Quos inter Mich. Verboom, qui *Epistolam* dedit *ad Virum Celeberr.* Ew. Hollebeek, *de aliquot in eius Dissertatione locis.* Dordr. 1770. et Taco Sibelius, V. D. M. Goudanus, qui similiter dedit *ad Cl. Virum — de optimo concionum genere amicam Epistolam*, Goudae, 1770.

(3) Eum defenderunt Censores in *N. Vaderl. Letteroeff.* D. V. bl. 200-212. quibus tamen denuo sese opposuit T. Sibelius, in *Epistola familiari ad auctores libri, cuius titulus est:* Vad. Letteroef. 1771

(4) Inprimis hanc rationem commendare studuit exemplo suo P. Chevalier, qui edidit: *Zestal van Kerkel. Redevoeringen over sommige algemeene gronden der Zedeleer*, quibus vero multorum criminationibus sese obiecit.

Cum vero ea Hollebeekii ratio nonnullis videretur nimis detrahere interpretationi librorum S., factum est, ut Gisb. Bonnetus, Theologiae Prof. in Acad. Rheno-Traiectina, editis orationibus S., aliam commendaret concionandi methodum, qua et evitaretur nimium explicandi studium, et satis tamen loci tribueretur interpretando. Itaque quum medio tutissimus iret, orationes suas ex uno loco prae lecto sic eruere solebat, ut fusius ageret de argumento, quod textus complecteretur. (1) Eius exemplum deinceps plurimi secuti sunt inter oratores Batavos, ad hunc usque diem, ita tamen, ut alii interpretationem levius curarent, alii ad antiquam *Hollandicam* q. d. methodum propensi essent, prouti fuit Theod. Adr. Clarisse. Tandem vero viri quidam praeclari, quam Gisb. Bonnetus commendaverat methodum, cum Hollebeekiana coniungere stu-

(1) Edidit hic Tral. ad Rhen. 1774. *Verzameling van Leerredenen*, cui addidit Vol. II. a. 1776. Vol. III. 1782. Vol. IV. 1792. Tandem edi iussit: *de Heerschappij van Jezus Christus, en de toekomende herstelling van het koningrijk aan Israël, in eenige Leerredenen*, ibid. 1795. Conf. de eius laudibus IJpeij, l. l. D. VIII. 660-663. et *Hedend. Vaderl. Letteroef.* 1774. p. 525 sqq. ut et *Nederl. Biblioth.* P. II. Sect. I. p. 197-206. et 317-324. ab IJpeijo laud.

studuerunt. Hinc is ortus est modus concionum S. habendarum, quo, textu explicato, singulari loco, de ipso argumento, quod in eo habetur, agitur, deinde vero dicta adhibentur ad auditorum animos emendandos et in fide confirmandos. Atque hic modus est, qui universe in patria nostra invaluit. Fit tamen nonnunquam, ut optimi oratores varie agant, et prudentissime, aut diu haereant in explicando et enucleando loco praelecto, aut aliquando loci interpretationem praetermittant. (1)

(1) Conf. praeter Moshemium et Schmidium, libris laud. de posteriori huius §. parte, A. IJpeij, *Geschiedenis van de Kristelijke Kerk in de XVIII Eeuw*, P. VIII. inde a p. 515, ubi habetur: *Historisch verslag van de Predikkunde en het prediken in het Hervormd Kerkgenootschap*, et P. VII. p. 112 sqq. M. Ph. Heinr. Schuler, *Geschichte der Veränderungen des Geschmacks im Predigen, insonderheit unter den Protestanten in Deutschland.* 3 Theile, a. 1792 - 1794. Ammon, *Geschichte der Homiletik.* Gött. 1804.

PARS

PARS PRIOR.

DE TRIBUS PRIMARIIS MODIS ADHIBENDI TEXTUS, IN ORATIONIBUS SACRIS.

Vidimus iam in Introitu, a summâ inde antiquitate, usum illum repetendum esse, quo sacer Codex in publico Dei cultu adhibetur, summamque huius usus animadvertimus tam utilitatem quam necessitatem. Deinde ex brevi, quem praemisimus, historiae conspectu, nobis simul apparuit, non uno eodemque modo, hac in re, semper versatos fuisse doctores Christianos. Iam vero nobis agendum erit, de tribus illis primariis librorum sacrorum adhibendorum modis, quibus, vel, *praecipuus detur interpretationi locus*, vel *doctrinae Christianae pars, ex praelecto obiterve illustrato loco ducta, uberius exponatur*, vel *denique media ineatur via, ita ut* et *interpretatio non negligatur*, et *simul tamen quaedam pars doctrinae Christianae exponatur.*

In haec tria genera, cum a vobis, Viri Claris-

rissimi! varius ille usus sit distributus, (1) singula haecce genera priore huius scriptiunculae parte paucis adumbrabimus; altera autem parte, primum, quid in singulis universe praestabile habendum sit, indicabimus; deinceps, quid in delectu faciendo inprimis sit spectandum, breviter exponemus.

§. I.

De *primo* genere, quo *praecipuus datur interpretationi locus.*

Qui hoc utuntur genere, cum locum praelectum sibi sumunt explicandum et exponendum, non in eo subsistunt, ut auditoribus universe exhibeant loci praelecti significationem; sed etiam sedulo id agunt, ut et *verborum*, et *rerum*, verbis expressarum, uberiorem praebeant interpretationem.

Itaque saepius singulorum verborum, tam significationem, quam vim exponunt grammaticam, singularumque phrasium constructionem, et inte-

(1) Etsi universe in duo illa fere dividitur priora genera, accuratius tamen tertium quoddam additur. Quare etiam Osterwald, l. l. p. 28. Mosheim, l. l. T. I. p. 275 seqq. aliique, tripartita hac divisione usi sunt.

tegrarum quarundam ſententiarum rationem explanant. Quam in rem non raro alios e Codice S. afferunt locos, in quibus etiam explicandis aliquando excurſus facere ſolent. Inprimis autem *dictionum tropicarum* et *allegoriarum* enucleatam expoſitionem addunt. Saepius etiam, expoſito loci praelecti cum antecedentibus et ſequentibus nexu, eo eniti cupiunt, ut *tum* dicentis ſcribentisve affectiones animi, *tum* cauſam, quae eum impulerit, opportunitatemve, quae ad id dicendum vel ſcribendum fuerit oblata, *tum* propoſitum, quod orator ſive ſcriptor habuerit, *tum* denique ipſas oratoris ſive ſcriptoris virtutes in ſingulis exponant.

In *historia* autem, quae loco praelecto continetur, explicanda, in *vaticinio* exponendo, et *parabola* enucleanda, ita verſari ſolent, ut, praeter temporum computationem et geographicam locorum deſcriptionem, ipſis antiquis moribus ritibusve enarrandis illa illustrent. Deinde etiam perſonam quae loquitur, vel de qua agitur, eiusque, ſive conditionem, ſive auctoritatem adumbrant, et univerſe loca parallela, et apud alios auctores obvia ita conferre ſolent, ut vel locum praelectum omni modo illustrent, vel ſuo auctori maiorem concilient fidem.

Prae-

Praeterea autem in *vaticiniis*, quo eventu fuerint comprobata, ostendunt: et in *parabolis* explicandis verum illarum exhibent ſcopum atque propoſitum. Verbo, quum is, qui hoc genere utitur, interpretis perſonam agat, „ quicquid est in morum officiorumque doctrina, „ quicquid est in ſanctisſima religionis disciplina, in philoſophia etiam et literis elegantioribus, quicquid in his omnibus invenitur, quod „ gravitate, utilitate, ſublimitate, ad divinorum „ ſcriptorum maieſtatem accedat; illud omne „ ad ipſius pertinet veluti regnum, in his multus est, in his excurrit, ad haec redit, in „ his habitat." (1)

Itaque, qui in oratione S. huiusmodi ducitur interpretandi ſtudio, ab auctoris verbis vix discedit, ut adeo e loci praelecti ratione omnis orationis diſpoſitio pendeat.

Si enim textus S. ea contineat, quae ad partem religionis pertinent *dogmaticam*, Orator unice ea exponit placita, quae illo loco continentur, et ad illum quidem, quo in loco praelecto proponuntur, modum. Si vero ad *moralem* pertineat religionis partem, de iis tantummodo agit officiis, quae loco praelecto exhibentur,

(1) Sunt verba Palmii, Vir Cl. in orat. laud. *de Oratore Sacro, literarum divinarum interprete*, p. 20.

tur, eaque ita adumbrat et exponit, ut in textu proponuntur. Tum etiam de incitamentis et adminiculis, quibus ad ea praestanda utendum est, unice fere e loci praelecti sapit ratione; neque adeo, aut ex instituto, aut singulari loco, de illis universe disserit. (1)

Eodem modo, in *historia* enarranda et exponenda, ita locum praelectum sequitur Orator S., ut, *tum* rationem habeat, *et* personarum principum, quae in ea occurrunt, *et* praecipuarum rerum gestarum, quae narrantur, *et* ordinis temporum; *tum* simul attendat, *et* ad res adiunctas, *et* ad propositum narrantis, *et* ad actionum causas, modum atque sequelas. (2)

Quae autem in eo habentur ad praxin pertinentia, ea continuo adhibet, ut auditores admoneat, hortetur, consoletur, etc.; ita ut, *vel* singulis partibus expositis observationes addat ad praxin pertinentes, *vel* universo loco praelecto exposito et illustrato subiungat animadversiones, quae *applicationes* sive *usus* vulgo dicuntur.

Ad

(1) Quomodo orationis ad hoc genus pertinentis dispositio pendeat e loco praelecto, docet Moshemius, l. l. P. I. p. 285 sqq.

(2) Vid. Bahrdt, *Homiletik* §. 71-74. laud. a Schmidio, l. l. P. I. §. 157.

Ad hoc autem genus orationum sacrarum, plurimas ex antiquorum homiliis esse referendas, monuimus in conspectu historiae, Introitus §. IV. tradito, ubi vidimus quoque, primis sacrorum emendatorum auctoribus illud genus fuisse usitatum; deinceps vero magis artificiose fuisse institutum, cum a primis Reformatis Gallis, Helvetiis aliisque, tum maxime a Nostratibus, a quibus adeo *Belgicae methodi* accepit nomen.

Hanc methodum plurimi, praesertim ex antiquioribus, qui, in patria nostra, homiletica dederunt praecepta, suis tradiderunt scriptis; ut van Til, van den Honert, van Alphen, Lampe, Knibbe, alii. Commendavit illam Cl. Vitringa; oppugnavit Ew. Hollebeekius; verum a Verboomio, Sibelio aliisque illa defensa et etiamnunc egregiorum quorundam virorum exemplis monitisque commendata est.

Quare etiam hoc genus, licet non amplius Nostratibus proprium dici possit, *cum* in aliis orationibus S. superstes mansit, *tum* maxime in eiusmodi orationibus, quae, ad antiquorum inprimis homilias compositae, lingua vernacula, dicuntur *Bijbeloefeningen*.

Et sic quidem hoc, quod in quaestione *pri-*

mo

mo loco proponitur, genus satis nobis adumbrasse videntur. (1)

§. II.

(1) Hanc, quam de hoc genere Oratt. S. dedi, descriptionem, ut *cum* illustrarem, *tum* confirmarem, subiungenda videbantur exempla quaedam ex Orationibus Sacris virorum quorundam illustrium petita. Hoc igitur ut assequi possem consilium, simul vero illum, quem de historia etc. §. 4. dederam, conspectum ipsis exemplis allatis certiorem redderem accuratioremque, ita hac in re versatus sum, ut primum §. adderem specimen quoddam ex homilia desumtum, quam habuit magnus Calvinus, de loco Iobi V: 19 - 27. (*Opp. Omn.* T. II. Amst. 1667.); hunc autem exciperet, *cum* Flor. Costerus, de loco Apoc. XIV: (*de geestelijke mensch in zijn begin* etc. edit. V. Amst. 1729.), *tum* J. Drieberge, de Ps. XC: 1, 2, 3. (vid. eius *XIII. Predikaetsien over uitgelezen texten* etc. Amst. 1746.) quo magis appareret artificiosa illa ratio, quâ Orationes S. ex hoc genere habitae fuerint Saec. XVII. et priore Saec. XVIII. parte. His addendum videbatur specimen e genere orationum S., quibus continuâ serie Codicis S. liber exponitur. Itaque, praeter alios, virum Ven. Theod. Adr. Clarisse adii (*Nagel. Leerred. over Paulus Brief aan de Koloss.* 1784 - 1792.) cuius, de c. I: 24. Ep. ad Coloss. orationem S. summatim exhibui. Omnium vero minime hanc in caussam negligendae videbantur *homiliae Biblicae* (*Bijbeloefeningen* dictae), quae a recentioribus adhucdum habentur. Itaque σχιαν quandam tradidi Orationis S., quam edidit Iod. Heringa, E. F. Vir Cl., de Ep. ad Rom. c. VI. (vid. eius *Tiental Bijbeloef. in Leerred.* Amst. 1818, qui etiam, in praef., impr. p. VIII - XIV. monet de varia ratione,

quâ

§. II.

De *secundo genere* sacri textus adhibendi, quo, *ex praelecto obiterve illustrato loco, doctrinae Christianae pars uberius exponitur.*

Qui hoc utuntur genere, non tantopere curant locum praelectum, quantopere ipsum argumentum, quod sibi tractandum sumserunt. Negligunt fere ipsa verba, quae in textu sunt ob-

quâ huiusmodi Oratt. S. sint instituendae.) Tandem ex Orationibus S. Cl. Palmii, eam exhibui, quam habuit de loco Lucano, Euang. XIX: 1 - 10. (vid. eius Oratt. S. P. IV. hexade 2.) Ex Orationibus S., nuperrime a Cl. van Hengel editis, quaedam ad hoc genus referendae videntur. Nec mirum. Eo enim perfectiorem habet Vir Cl. Orationem S., quo magis pendeat e loco praelecto. Vid. P. VIII et IX. praefat. quam Oratt. suis praemisit, Amst. 1821. editis. Et sic quidem ad hoc Orationum S. genus versatus sum. Eodem modo ad caetera genera. Nec displicuisse hoc institutum Ordini Theologico, docet Virorum Cl. iudicium de commentatione commilitonis amicissimi, Gerardi Steenhoff. Cum vero mea commentatio typis esset tradenda, ea specimina omittenda visa sunt, ne commentatio iustos excederet terminos. Ut vero lector ipse has Orationes Sacras possit conferre, singulorum horum speciminum ad hanc §. iniiciendam esse commemorationem duxi, id ipsum deinceps, in simuli caussa, facturus.

obvia; saltem doctrinae copiam vix adhibent, ut ea grammaticâ et historicâ ratione explanent, nisi forte in loco praelecto reperiantur; quae, ut ad ipsam materiam tractandam utiliter adhiberi possint, quadam certe interpretatione indigeant. Tunc igitur, missis operosis verborum explicationibus et locorum parallelorum collatione, ita locum exponunt, ut paucis doceant, tum qua ratione ille cum iis quae praecedant et sequantur sit connexus, tum etiam quomodo eius partes inter se cohaereant: quo facto, summatim loci praelecti sententiam exhibent, raro hanc in causam paraphrastica utuntur ratione. (1)

Haec igitur quum aliquando praemittant, neque ideo dicendi sint, *omnem* negligere *sacrorum librorum interpretationem*, nullam amplius loci praelecti habent rationem, nisi quatenus argumentum, quod tractant, sive disertis verbis in textu proponatur, sive unice nomine quodam, aut alia ratione commemoretur, sive

tan-

(1) Conf. Gilbertus Burnetus, in libello Anglice scripto: *A discourse of the pastoral care*, p. 216 et 217. laud. ab Ew. Hollebeekio, in dissert. p. 14 sq. et impr. p. 25. Zimmermannus, *Opusc. Theol. hist. et phil.* T. II. P. I. p. 474. Turici, 1757.

tandem ratiocinatione quadam ex eo effici posſit. Neque ideo tamen in ipſo argumento tractando valde curant, vel quo *modo* in textu de eo agatur, vel quo *conſilio* ibi proponatur, vel denique quo *nexu* in eo cum aliis rebus coniungatur.

De eiusmodi igitur argumento ſive themate, qualicunque tandem ratione e textu ducto, iam ex inſtituto agit Orator, ac pro ſingulari ſuo conſilio omnem ad illud convertit orationem, ut ita ipſam rem clare ac perſpicue tradat auditoribus. — Quod quidem ita inſtituit, ut, ſi quando auditoribus res nondum ſatis innotuerit, primum nonnulla tradat, quorum illos haud ignaros esſe oporteat. Ex his certas quasdam notas deſumens, quibuscum comparet ea, quae docenda ſunt, manifesto ostendit, quatenus haec, vel cum illis conveniant, vel ab iis differant. Atque ita ſenſim paulatimque eo auditores adducit, ut diſtinctam tandem totius rei ſibi effingant notionem. — Quodſi vero iam quodammodo argumentum iis cognitum fuerit, illud in varias partes et veluti notas disponit, obſcura illuſtrat, falſas de eo opiniones tollit, minus claras atque certas clariores reddit atque confirmat. (1) Univerſe non tantum ipſius argumen-

(1) De varia hac via ſynthetica et analytica, vid. Dan. Wyt-

menti propriam rationem, sed et auditorum facultatem atque cultum, et tempora atque loca, et suum ipse propositum attendit, ut rem, quam tractat, accurate, certo, copiose et ad commovendos auditores apte exponat, sive a particularibus ad magis generalia, sive a generalibus ad magis particularia procedat.

Quodsi igitur eiusmodi argumento *placitum* quoddam doctrinae Christianae contineatur, non tantum illud accuratius definit, exemplis et testimoniis illustrat, aliorum de eo opiniones recenset; sed et, rationis et revelatae religionis ope, contra adversarios defendit. Tum eius nexum, sive cum universa Christiana doctrina, sive cum aliis quibusdam placitis, ostendit, eius intelligendi et credendi necessitatem, eius pondus et gravitatem multifariosque fructus exponit; verbo, ita in eo explicando versatur, ut auditores, vel de parte illa doctrinae Christianae, vel de hac doctrina universa, rite cogitent atque sentiant, et de eius veritate iis sit persuasissimum.

Si vero de *parte* quadam doctrinae Christianae *morali* disserere velit, haud raro uberius disserit de omni boni moralis natura, de cuius-cun-

Wyttenbachii, Viri Cl. *praecepta philosophiae logicae*, p. 61., 62. Halae, 1794.

cunque virtutis atque vitii ambitu atque indole, de utriusque ſequelis fauſtis vel infauſtis, de rationibus, quibus ad certa quaedam officia praeſtanda obligemur, de iis erga quos ſint perficienda, de lege morali eiusque latore, de vero praeceptorum ſenſu atque vi, de cauſis, ob quas quid vel iusſum ſit, vel vetitum, de vario horum praeceptorum pondere et claſſe, de incitamentis et mediis, quibus ad officia rite praeſtanda posſimus pervenire, et quae ſunt huius generis alia. Cuius quidem disquiſitionis *opportunitatem* ei praebet locus praelectus.

Quo melius autem eiusmodi *placitum* vel *praeceptum* exponere posſit, cum nonnunquam narratione quadam in Codice Sacro obvia utatur, hanc ita adhibere ſolet, ut non multus ſit in ea exponenda, ſed, breviter illam enarrando, et in auditorum memoriam revocando, doceat, eiusmodi placitum vel praeceptum ipſa historia ideoque experientia probatum, et hoc ipſo exemplo commendatum fuisſe.

Denique univerſam ſuam orationem, non ad loci praelecti, ſed unice ad *argumenti* rationem disponit et dividit. In quo tractando ſingulis orationis partibus interſerit animadverſiones, quae ad praxin pertinent, vel etiam totius argumenti tractationi unâ ſerie abſolutae ea ſubiungit, quibus auditores admoneat,

at, hortetur, consoletur, ad veram pietatem virtutemque colendam ducat.

Haec methodus, licet iam antiquitùs locum obtinuerit, eâ tamen ratione, quâ ad hoc usque tempus adhibetur, ab *Anglis* suam duxit originem et apud plerosque nomen. (conf. Introitus §. IV.) Tum etiam a Franco-Gallis recentioribus fuit recepta, nec multis displicuit Helvetis et Germanis, uti ex Ernestii, Lavateri, Hesſii, Jerusalemi, Stapferi, Spaldingii, Tisselii, Marezolli, Reinhardi, aliorumque apparet exemplis. — Neque etiam in patria nostra plerique ab hoc genere alieni fuerunt oratores S., qui post Hollebeekium et Chevallierum floruerunt, quod vel ex quibusdam apparet orationibus S., quas literis mandarunt van Loo, Hulshoff, Kist, van der Palm, Borger, Dermout, alii.

Hoc autem genus commendarunt, tum Hollebeckius, tum multi alii ab eo laudati. (1) Angli inprimis et Germani, suis tradiderunt praeceptis. (2)

§. III.

(1) Inprimis Zimmermannus, qui maxime ob *simplicitatem* in huius generis laudem excurrit. Conf. eius *Opusc.* supra laud. ubi occurrit dissert. *de simplicitate Theol.* P. III.

(2) Eodem modo, ac in *genere primo* adumbrando fueram

§. III.

De genere mixto.

Huius *generis mixti* orationes S. cum alia habeant *primo* generi propria, alia *secundo*, nec

ram versatus, huic §. quoque nonnulla subiunxeram specimina, e variorum virorum Orationibus S. desumta. Quorum quidem primum referebat Tillotsoni orationem S., quam *de stultitiâ* habuit *eorum, qui vitae aeternae iacturam facere haud verentur, dummodo frui possint huius vitae bonis*, ad locum praelectum Matth. XVI: 26. (Orat. haec occurrit in P. IV. eius *Oratt. S.* Amst. 1732. Belgice editarum.) Secundum Ven. Saurini, referebat Orationem S. quâ, praelectâ eiusdem loci parte posteriore, de *pretio* agit *animi redimendi.* (Vid. P. III. *Oratt.* S. J. J. Saurini, Hagae Comit. a. 1749. Gallice edit., quarum vero Oratt. S. plurimae ad genus *mixtum* sunt referendae.) Tertium Cl. Ravii exhibebat orationem, quâ ex eodem illo loco ansam sumebat disserendi de eodem fere, quod Tillotsonus tradit, argumento. (Obvia est illa inter Oratt. S. editas hoc titulo: *Sermons de Feu* S. F. J. Rau. Leidae, 1810. T. III.; etsi haec, ut et caeterae fere omnes eius Oratt. S., proxime accedit ad genus *mixtum.*) Quartum Ven. praebuit van Loo, qui Apoc. XIV: 13. usus fuit, ut de *illorum* ageret, *sorte beatâ*, qui ἐν Κυρίῳ *moriuntur.* (Occurrit haec Orat. S. in *Nieuwe Leerredenen*, *door* J. van Loo, Ultrai. 1794. Vol. I.) Quintum ex Oratione S. desumsi Ven. Jerusalemi, qua probatur, *fidem in Providentia div. positam, omnium optime eo inservire, ut res adversas aequo fe-*

nec loci praelecti desideratur interpretatio, neque ipsius argumenti expositio.

Etenim, quae quidem ad percipiendum verborum sensum requiruntur, ea ita adhiberi et exponi solent, ut ipsius auctoris sententia rite ex illis eruatur. Quam in rem neque totius orationis, e quâ sumtus est locus, negligitur nexus, neque dicentis scribentisve consilium. Nec tamen qui ex hoc genere suas habent orationes S., ita multi esse solent hac in re, atque illi, qui ad *primi* generis rationem suas componunt orationes S. Mittunt igitur ea, quae dilucida sunt et cognita, et a grammaticis et criticis disquisitionibus abstinere solent, nisi prorsus necessariae ad mentem auctoris

feramus animo, cuius orationis habendae argumentum ex Matth. c. XV: 21 - 28. sumsit. (Exstat in P. I. Oratt. S. *Verzameling van Leerredenen, uit het Hoogd. van den Abt* J. F. D. Jerusalem, *vertaald door* B. Carull. Amst. 1779.) Sextum e Cl. Borgeri Oratione de loco Iohanneo, Euang. XVI: 22. sive *de spe videndi amicos post vitam terrestrem exactam.* (P. II. Oratt. S. quae post eius obitum edidit Cl. Palmius, Hag. Comit. 1821.) Tandem vero Orationem S. exhibui Ven. Zollikoferi, qua *vim* exponit *religionis Christianae in hominis animum observandam* (*over de Geestelijke Ondervindingen*) ad locum Ioh. VII: 17. (Belgice versae sunt eius Oratt. S. secundum edit. II. Germ. Amst. 1773.)

ris percipiendam esse videantur. Quicquid sit, prolixiores omnes excursus hanc in-rem sedulo vitant, neque ea etiam exponunt, quae, licet ad interiorem rerum intelligentiam, non sine aliquo fructu, afferantur, commode tamen abesse possunt, ut aliquid auditoribus cogitandum relinquatur. (1)

Atque hoc quidem modo cum, *priore* orationis parte, loci praelecti explicationem absolvant; *alterâ*, quam etiam nonnunquam in plures dispescunt partes, ipsum argumentum magis ex instituto tractare solent.

Saepius quoque, et ipsum locum praelectum, et orationis argumentum, simul in suas dividunt partes, quo fit, ut singulae argumenti partes cum loci praelecti partibus ita coniungantur, ut simul et argumenti et loci praelecti expositio absolvatur. (2) Aliquando etiam textûs explica-

(1) Dicta huc pertinent Vitringae, l. l. p. 160, quibus liberaliorem illam „ quam vocat, rationem ita exponit, ut sit ea, „ qua sententiam verbis textus compre„ hensam potius sectatur et illustrat, et ad eam recte in„ telligendam necessarias observationes generatim tradit, „ quam notionibus singulis, ex quibus constructa est sen„ tentia, exponendis operam dat."

(2) Ad hanc rationem inprimis compositae sunt antiquiores Orationes S. quae ad hoc genus pertinent. Quod cum de plurimis Chrysostomi aliorumque homiliis con-

catio orationis facit introitum, atque ita, post praelecta textûs verba, ſine praeviâ admonitione, eorum ſenſus exponitur, niſi potius haec ratio unice ſecundo generi propria ſit dicenda.

Ipſum autem argumentum, ſive ad *moralem* pertineat, ſive ad *dogmaticam* religionis Chriſtianae partem, ad eandem rationem exponunt, tractant, vindicant, atque in generis ſecundi definitione adumbravimus, niſi quod hac in re breviores esſe ſoleant, ne ſcilicet, propter praemisſam verborum explicationem, prolixior fiat oratio.

In tractandis locis *historicis*, cum inprimis attendant placita illa et praecepta, quae iis exhibentur, atque in iis exponendis praecipue verſetur illorum oratio, qui hoc utuntur genere, minime tamen ipſius narrationis negligunt illustrationem; contra vero eam ita ad ipſum argumentum tractandum ſolent adhibere, ut historia iis ſit, vel exempli, vel illustrationis, vel incitamenti loco, vel etiam ita, ut exin ſuam demonſtrare, et vindicare posſint ſententiam.

Eodem autem modo, atque in loco *dogmati-*

constet, tum etiam mihi apparuit inſpicienti Calvini, ut et Vollenhovii aliorumque ex illis temporibus homilias ſacras; quarum quidem plurimae ad tertium hoc Oratt. S. genus referendae videntur.

tico et *morali* tractando; varie disponunt et dividunt orationem.

Omnia haec tandem, postrema orationis parte, convertuntur ad excitandum alendumve pietatis virtutisque ſtudium apud auditores; vel etiam ſingulis orationis partibus adduntur, quae huc ſpectant.

Hoc orationum ſacrarum genus exhibent plurimae, cum veterum, Chryſoſtomi, Auguſtini, homiliae ſacrae, tum et Lutheri, Calvini aliorumque. Huc quoque pertinent plurimorum apud noſtrates antiquiorum orationes S. quos inter maxime Vollenhovii, Brandii, aliorum. — Inprimis vero hoc genus Moshemii exemplo praeceptisque apud Germanos invaluit: et in patria noſtra, poſt Bonnetum, Hinlópenium aliosque, ita fuit uſurpatum, ut optimorum oratorum S. hoc tempore exemplis et praeceptis commendetur (1) meritoque dici poſſit *vulgare*. (2)

(1) Qua in re, Angli inprimis praeeuntem habuerunt Doddridgium, cuius praecepta, Belgice verſa, edita ſunt hoc titulo: *Lesſen over het zamenſtellen van Predikatien*, a. 1770. Neque hanc repudiavit rationem Hollebeekius, l. l. p. 54, 55, 79 et 80. in notis.

(2) Si quis etiam ex hoc genere exempla quaedam velit conſulere, adeat Orationes S. quarum ſpecimina huius quoque generis definitioni adieceram. Ac primum

quidem, ut simul primorum apud nostrates Oratorum S. rationem ostenderem, C a s p a r u m adii S i b e l i u m, qui, in homiliis suis, de loco Eccl. XI: 9. singularem prorsus sui aevi refert rationem, qua, in singulis Orationibus S. *usus* q. d. occurrebant, *didascalicus*, *elenchticus*, *paracleticus*, *epanortheticus* et *paedeuticus*. (Exstant in C a s p a r i S i b e l i i *Operum Theol.* T. I. Amst. 1644.) Hoc excipiebat specimen ex Cl. B o n n e t i oratione de loco Ioh. VII: 17, *Verzameling van Leerred.* ed. II. a. 1776. Id ipsum autem genus mihi referre videbantur Oratio S. Ven. D e r m o u t, quam habuit de loco Iobi V: 17 - 27. (*Leerredenen van* I. J. D e r m o u t) ut et Cl. P a l m i i, Orationes S. quarum unam habuit de loco Apoc. XIV: 13. alteram de loco Lucano Euang. VII. 11 - 16. Quapropter et harum quoque Orationum S. speciminum caeteris subiunxeram.

PARS

PARS ALTERA.

DE EO, QUOD IN SINGULIS UNIVERSE PRAESTABILE HABENDUM SIT, ET IN DELECTU FACIENDO INPRIMIS SPECTANDUM.

In respondendo ad hanc quaestionem, *primum* praecipuas recensebimus dotes, quibus singula haec genera prae caeteris sese commendent; *tum* vero universe de iis agemus, quae praecipue, in delectu faciendo, sint spectanda.

§. I.

De eo, quod, in primo genere, *universe praestabile habendum est.*

Cum omne munus primorum doctorum Christianorum eo maxime consilio fuerit institutum, ut sacros interpretarentur libros, ac proinde optimi quique, a summa inde antiquitate, doctores Christiani hoc fuerint functi officio, (vid. Introitus §. IV.) illorum profecto exemplum dignum est habendum, quod et nos sequamur.

 Prae-

Praeter hanc vero, quam ab *antiquitate* hoc genus habet commendationem, multa alia sunt, huic generi propria, quibus prae caeteris magnopere sese commendet.

Haec igitur, age, singillatim exponamus! —

Haec methodus, si quidem rite adhibeatur, omnium aptissima esse videtur, ut auditores ad librorum sacrorum intelligentiam ducat. —

Quandoquidem accurata rerum ad religionem divinitus patefactam pertinentium notitia ducenda est e Sacris Veteris Novique Foederis libris, nemo dubitare potest, quin omnis homini Christiano opera sit danda his libris recte intelligendis: inprimis vero propterea, quod multa in iis habeantur, quae intellectu minime sint facilia.

Etenim, etiamsi ea, quae cunctis Christianis cognitu sunt necessaria, satis luculenter in Codice Sacro sint patefacta, quantam tamen difficultatem habeant plurima in eo obvia, vel ex ipsa interpretum de iis discrepantia videre licet. Nec mirum. Si enim ipsa horum librorum attendas argumenta, tanta est illorum, cum multitudo, tum etiam varietas, ut in universo ambitu rerum, in quibus olim unquam humanum versatum fuerit ingenium, nihil fere habeatur, quin de eo mentio quaedam in illis libris fiat.

De-

Deinde maxime his in libris agitur de iis, quae, a ſenſibus hominum remota, ad animum pertinent resque divinas; res exponuntur ex *antiquisſimis* generis humani *temporibus* profectae, quae *loca* ſpectant longisſime a nobis remota; facta enarrantur, quorum ſimilia nunquam nos ipſo uſu fuimus experti; imagines proponuntur, a nostra cogitandi et dicendi ratione quam maxime alienae; eaque omnia linguis iam emortuis traduntur, quarum ratio prorſus ab hodiernis est diverſa.

Tum etiam varia prorſus est librorum, quibus haec continentur, forma; ita ut alii *poëtici*, alii *ſententioſi*, alii *prophetici*, alii denique *historici* ſint dicendi. — Praeterea a variis profecti ſunt ſcriptoribus, qui non tantum maxime a ſe invicem remotis vixerunt temporibus, ſed quorum cuique ſua quoque fuit cogitandi ſcribendique ratio; quorum igitur investiganda est indoles, vitae conditio, ut et temporum ratio, quibus vixerunt; alia ne commemorem. Verbo, quandoquidem nonnulli horum librorum ad generis humani infantiam et pueritiam pertinent, omnes certe ad populos referuntur, qui, a recentioribus prorſus diverſi, et ſub alio coeli tractu degentes, tum moribus, tum ſtyio et dicendi genere uſi ſunt, a nostra aetate maxime

alie-

alienis; fieri non potest, quin ex hac rerum dissimilitudine maximae quaeque oriantur illorum librorum interpretandorum difficultates. (1)

Quibus si se impediri sentiat peritus etiam eorum interpres, quanto magis hoc illis accidere debet, qui, docta institutione haud usi, interpretandi peritia destituti, non habent, quo ad veram, eamque pleniorem eorum intelligentiam pervenire possint.

Quis igitur est, quin videat, haud exiguam partem muneris, quo Euangelii doctores et Christianae ecclesiae antistites funguntur, sacri Codicis interpretatione et expositione contineri? — Hac enim in publico Christianorum coetu neglecta, religioni Christianae, teste ipsa hi-

(1) Conf. G. F. Seiler, in libro e lingua Germ. Belgice verso a Cl. I. Heringa, sub titulo: *Bijbelsche Uitlegkunde*, §. 10. Introit. p. 30-32. Lugd. Bat. 1804. Inprimis de *Nov. Foed.* Guil. Nicol. Freudentheil, *Comment. de Cod. S., more in reliquis antiquitatis libris solenni, ingenue interpretando, adiectis difficultatibus N. T. propriis*, Chemnitzii, 1791, praesertim Ernesti, Prolusio *de difficultatibus N. T. rite interpretandi*, edita Lips. 1748. repetita in *Opuscul.* eius *Philol. Crit.* p. 198-218, et Dissertatio *de difficultate interpr. Grammat. N. T.* Lips. 1755. repetit. in *Opusc.* laud. p. 252-287. Conf. etiam de praecipuis difficultatibus, quae in Vetere F. explicando occurrunt, Cl. Pareau, in *Instit. Interpretis V. T.*

historia ecclesiastica, maxima quaeque damna illata fuere. (1)

Contra autem, maior sacrorum librorum intelligentia unice eo valere potest, ut et vera inter Christianos exsistat concordia et unanimitas, et, incredulitate atque superstitione depulsa, sapientiae divinae haud praeponatur humana sapientia. (2)

Haec igitur interpretatio quum tanti sit habenda momenti, ut, nisi Euangelii doctor eam adhibeat, Christianam religionem bene docere nequeat; (3) omnibus uti eum oportet opportunitatibus, quibus sacris libris exponendis operam dare possit. Quarum una omnium maxime egregia ei offertur, in orationibus sacris pro con-

(1) Vid. Ernesti, *de Theol. Historicae et Dogmaticae coniungendae necessitate, et modo universo*, in *Opusc. Theol.* p. 565 - 590.

(2) Vid. van Heyningen, in praefat. p. I - X., praemissa eius *Bijbeloefeningen over het Evangelie van Mattheus*, P. I. Hagae Comit. 1819. Conf. liber quondam editus, sub titulo: *Bijdragen tot bevordering van Waarheid en Godsvrucht*, T. II. P. II. ubi occurrit commentatio *de legendo et explicando Codice S.* Belgice versa etc. P. I. inde a p. 257. libri ab J. G. Mullero editi, et *Theophile* dicti.

(3) Conf. Petrus Abresch, in Orat. inaug. 1773. Groningae habita, *de Hermen. Sacra, optimo Theologiae praesidio.*

concione habendis. Hanc proinde arripiat, hac ſummo utatur ſtudio et ardore! Atque huic quidem propoſito etſi proprie omnibus orationibus ſacris, ad quodcunque genus pertinentibus, aliquatenus ſatisfieri et poſſit et debeat; (1) inprimis tamen eo valere poſſe primum illud, quod adumbravimus, genus, vel ex iis, quae de eius ratione Parte I. §. 1. diximus, ſatis ſuperque apparet. (2)

Nam, qui *illo* utuntur genere, non tantum unum quoddam e Codice Sacro dictum, et *breviorem* eius partem, auditoribus explicant; ſed, licet etiam locus praelectus brevior ſit, aliquando tamen, *vel* aliorum locorum ſententiam obiter exponunt, quo textui lucem affundant; *vel* ſaltem omnem orationis nexum, cuius partem efficit locus praelectus, ita tradunt, ut quodammodo cogitatorum, quae a ſcriptore ſint expreſſa, omnem ſeriem exhibeant. Quo fit, ut auditoribus maior Codicis Sacri pars veluti ſponte innoteſcat. — Saltem, quum univerſam

(1) Conf. van Heyningen, l. l. p. 14. *Algemeene Konst- en Letterbode*, a. 1821. p. 330 ſeqq. Ubi pars altera Orationum S. recenſetur a Viro Ven. A. van Bemmelen editarum, Amſt. et Gron. 1821.

(2) Conf. E. Tinga, Vir. Cl. in praefat. praem. Marezolli libro ſupra laud.

ſam notionem, quam quadam voce et dicendi formula indicare ſolent ſcriptores ſacri, hiſtoriae et antiquitatis ope illuſtrent, ſimul iis adeſt opportunitas, ea cum auditoribus communicandi, quorum ope hi ipſi, in Codice S. legendo, ſive plurima melius percipiant, ſive certe meliorem ſibi comparent eius intelligendi et explicandi rationem.

Inprimis autem hoc asſequi poterunt propoſitum, *longiores* etiam praelegendo Codicis S. locos, in quibus illuſtrandis ſuam collocent operam, tum vero maxime *homiliis biblicis*, (1) q. d. habendis, quibus, *vel* totum librum, *vel* maiorem ſaltem libri partem, continua ſerie exponant. — In huiusmodi igitur ſacris orationibus, quae, *et* a ſumma antiquitate habent commendationem, *et* uno omnium optimorum virorum conſenſu commendantur, egregie ad auditorum uſum illa omnia adhibere posſunt; quae, quo aptiores esſent ad ſacras literas interpretandas, magno cum ſtudii ardore ſibimet ip-

(1) Conf. praeter alios, Fenelon et Schrant, in libro ſupra laud. p. 131, ut et *Bijdragen tot bevordering van waarheid en Godsvrucht*, P. I. p. 143. Clar. Tinga, in praef. laud. pag. V-VII. I. Heringa, E. F., in praefat. *Homil. Bibl.* praem., inpr. p. VIII, IX. van Heyningen, l. l. p. XIII. Nec mirum ideo, a Synodo Belgica, a 1817. inprimis illas fuisſe commendatas.

ipsi compararunt. Qua ratione, si doctores Christiani auditoribus suis copiam faciant eorum omnium, quae, continenter procedente eruditorum studio et opera, ad sacros libros interius percipiendos afferuntur, optime sane obedient summi Doctoris praecepto, Matth. XIII: 52. „ πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς τῇ βασιλείᾳ „ (pro vulg. εἰς τὴν βασιλείαν) τῶν οὐρανῶν, „ ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐκβάλ- „ λει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά." — Et sic quidem, quum iam auditores aptiores reddiderint ad Codicis Sacri intelligentiam, et satis idoneis ipsi praediti sint adminiculis, *difficilioris* aliquando etiam sibi ex instituto tractandos sumunt locos, praesertim si animadvertant, ex eiusmodi locis, dummodo recte percipiantur, non paucos redundare posse fructûs, *cum* ad moralem, *tum* ad dogmaticam doctrinae Christianae partem. Quae *difficiliora loca* si ipsi auditores hoc modo se intelligere, sibique maximam afferre utilitatem sentiant, fieri non potest, quin, una cum studio et ardore sacrorum librorum investigandorum, in dies apud eos alatur eius rei peritia atque facultas. (1)

Haec

(1) Hoc igitur nimis neglectum videtur a Zimmermanno, in *Opusc.* laud. Tom. II. P. I. p. 478 - 487. et ab Hollebeekio, in *Dissert.* laud. §. 6 et 16.

Haec textus sacri adhibendi ratio prae aliis eo inservit, ut auditores Codicem Sacrum magno habeant pretio, eiusque usui assuefiant.

Scilicet animadvertunt facile auditores, in publico Christianorum coetu, omnem doctoris orationem unice pendere e Codicis Sacri interpretatione. Vident, hominibus docendis et emendandis tot tantaque Codice Sacro inesse apta, quot et quanta orator, tempore ad dicendum dato, vix absolvat. Vident, eum summo id agere studio, ut ad rectam Codicis Sacri intelligentiam Christianos perducat. Sentiunt, quanto maiore industria quis in eo elaboret, tanto uberiore eum exinde in omni vita percipere fructûs. Vident, summo loco, in publico Dei cultu, haberi Codicem S. ad quem explicandum omnes intendantur vires, de cuius sensu disquiratur, ex quo omnia petantur, et cuius ex intelligentia omne pendeat de doctrina Christiana iudicium. Quae si rite reputent auditores, non possunt non iusta veneratione sanctoque amore hos prosequi libros. (1)

Atque ita simul, maiori Codicis S. intelligen-

(1) Vid. Herderi *Brieven betreffende de beoefening der Godgeleerdheid*, e Germ. idiom. Amst. 1785. P. II. p. 194.

gentia cognitioneque e publico Dei cultu comparata, cum his libris ſacris familiaritatem quandam contrahunt, eosque lectos et intellectos ad vitam quoque adhibent domeſticam regundam et exhilarandam. (1)

Huic vero librorum ſacrorum *uſui facilius* asſueſiunt auditores, eo quod, in huiusmodi orationibus aliquo cum fructu audiendis, vix carere posſint exemplo Codicis S., quod in manibus continuo habeant, et identidem inſpiciant. Inprimis vero, quoties orator continua ſerie paulo maiores exponat S. Librorum partes, toties auditoribus attendendum erit ad locum explicatum, ſi quidem proxima opportunitate aliquem capere velint ex oratione fructum. Interea autem iis erit tempus, *et* meditandi de antea tractatis et deinceps tractandis, *et*, integra parte relegenda, mentem animumque componendi ad feliciter audienda ſubſequentia. (2)

Hoc orationum ſacrarum genere quoque efficitur, ut auditores oratorem ſacrum facilius ſequi et intelligere, auditaque deinceps in memoriam revocare posſint.

Est enim haecce auditorum, ad quos orationes

(1) Conf. I. A. Noesfelti *Anweiſung zur Bildung angehender Theologen*, P. III. §. 54. n. 2.

(2) Conf. Clar. Tinga, in praef. laud. p. V-VII.

nes facrae habentur, fere ratio, ut maior eorum pars fit parum docta et erudita; plerique enim, totos dies manibus laborando et fabricando, fibi fuisque victum quaerunt, rebusque domefticis aut publicis curandis occupati, minus apti et asfueti funt animo et ingenio excolendo, certe ab asfidua rerum, quae fola mente percipiuntur, contemplatione esfe folent alieniores.

Hi igitur, pro ingenii, quo valent, mediocritate, maxime attendunt res. fenfibus fubiectas, iisque moventur et delectantur. Quin etiam, propter asfiduam rerum terreftrium curam, difficulter admodum ad altiora et divina efcendunt. Neque adeo facile rei unius meditationi diu inhaerent, aut mentem oratoris, in exponendo definiendo, enucleando et defendendo fingulari argumento, paulo fubtilius verfantis, asfequuntur. Quo fit, ut, licet initio ad oratorem audiendum animum attendant, deinde tamen facile deficiant, nifi identidem habeant, in quibus paulisper quafi quiefcere ac mox mentem denuo intendere posfint.

Itaque doctor et orator Christianus, eiusmodi auditoribus inprimis fuccurrat, ut hi tandem aliquem ex ipfius oratione percipere posfint fructum, eoque omnes intendat vires, ut ne prorfus illorum aberrent cogitationes, fed in ipfo oratoris fermone habeant auditores, quibus

bus capiantur, teneantur totoque sint infixi animo.

Huic autem proposito, egregie proderit ea, de qua nunc agimus, orationum ratio. Etenim (quod iam in Introitu universe monuimus) hoc inprimis modo, habent ipsi auditores totius orationis conspectum, et veluti filum, ad quod ab oratore ducantur. Habent in manibus Codicem Sacrum, quem continuo inspiciant, quippe e quo omnis pendeat oratio sacra; et qui oratori non tantum universe argumentum dicendi praebeat, sed cuius ille vestigia accurate adeo sequatur.

Si autem orator huc vel illuc digrediatur, auditores eo facilius illum assequentur, quo citius ad verba loci praelecti regrediatur. Et, hac quidem ratione, ipsa illa, quae ab oratore traduntur, auditori multo clariora fient et dilucidiora. Ea enim magis sibi veluti propria reddet, quum suis ipse oculis illa viderit e Codice Sacro eruta, quumque ex literis, quas adspiciat, egregia quaeque monita et praecepta ducta esse meminerit. — Quae praecepta sponte sua, iusto ordine, in eius animum sunt reditura, dummodo, e singulis loci praelecti partibus, recte disposita, et suo quaeque loco explicita fuerint.

Quod ipsum quantopere valeat ad auditorum me-

memoriam adiuvandam, dici vix potest. Etenim, quum constet, eo facilius res in memoriam a nobis revocari, quo clarius et distinctius fuerint perceptae, nullus profecto erit, quin hanc in causam huius generis videat prae caeteris praestantiam. Omnium vero maxime haec apparet praestantia, si quidem illam attendas societatem et coniunctionem, quae variis nostris ideis et perceptionibus intercedit. (1) Hac enim fit, ut, una excitata, facile altera quoque excitetur, si quidem animo oblata fuerit ratio et nexus, quo singulae perceptiones secum invicem sint coniunctae. — Eiusmodi autem idearum societas universe institui potest inter res externas, signa etc. et cogitata, ita ut, visis v. c. literis, statim nobis ideae oriantur; tum vero etiam res, quas cogitamus, coniungi pos-

(1) De societate illa idearum vid. praeter multos alios, Locke, in libro, quem de *intellectu humano* Anglice conscripsit, L. I. c. XXXIII. 4. Hifzman, in huius doctrinae historia, quam Germanice scripsit. Goett. 1776. Maasz, in libro, qui Germanice hoc insignitur titulo: *Versuch über die Einbildungskraft*, p. 311 sqq. et Leibnitz, in libro, quem inscripsit: *Nouveaux Essays.* L. II c. XXXIII. Conf. etiam Muratori et Bardili, quorum ille de *imaginandi vi* Germanice egit, Lips. 1805. hic vero librum edidit, *über die Gesetze der Ideen - association* etc. Tubingae, 1796.

posſunt cum externorum ſenſuum perceptionibus, ita ut, his viſis aut revocatis, illae etiam ex huius coniunctionis lege revocentur.

Hoc ipſum illud auxilium est, quo plurimum Veteres, inprimis Oratores, utebantur, et in quo ponebant *memoriam*, quam vocabant *artificioſam.* (μνημονικήν.) Videbant enim, ut ait Cicero, (*de Orat.* II. c. 87. ex edit. Ernesti, Tom. I. p. 441, 442.) *ea maxime animis effingi nostris, quae esſent a ſenſu tradita atque impresſa; acerrimum autem ex omnibus nostris ſenſibus esſe ſenſum videndi: quare facillime animo teneri posſe ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, ſi etiam oculorum commendatione animis traderentur.* (1)

Quod

(1) Memoria illa artificioſior conſtabat e *locis* et *imaginibus. Loci* erant aedes, intercolumnia, anguli etc. *imagines* autem formae quaedam et notae et ſimulacra eius rei, quam meminisſe volebant, quod genus equi, leones, etc. quorum imagines in certis locis collocabantur. Ita orator, artificioſam memoriam adhibens, utebatur *locis*, tanquam cera aut charta; *imaginibus* tanquam literis; collocatione et dispoſitione imaginum, tanquam ſcriptura: atque his modis adiutus pronuntiabat orator. *Ita qui μνημονικὰ didicerunt, posſunt, quae audierunt, in locis collocare, et ex his memoriter pronuntiare.* Conf. Auctor *ad Herennium* L. III. c. 16, 17. ex edit. Ern. Tom. I. p. 67, 68. Haec autem ratio exercendi memo-

Quod igitur illa arte sibi compararunt antiqui, id fere orationes sacras audienti praebetur hoc, quod dicimus, concionandi genere. — Si enim satis attentum animum ad oratoris dicta adhibuerit, quasi ad literas, quas *eodem tempore eodemque loco* ipse videbat, oratoris monita audivit. (1) His igitur denuo visis et lectis, cum domum redierit, eadem fere ipsius menti subeunt cogitata, quae in publico coetu accepit. Ita sensim sensimque, inprimis si cum domesticis aliisve religionis sociis hac de re colloquatur, tota denuo eius animo obvenit cogitatorum series. Nam locus praelectus auditori quasi via est, in qua multa posita sunt monimenta, quibus singulis aliquid in eius memoriam revocatur.

Ora-

moriam, quae nostra aetate fere abolevit, veteribus tam erat usitata, ut vox ipsa, *locus*, in lingua Latina adhibeatur in partitione orationis, ut v. c. Cic. *de Off.* L. I. c. 6. init. ex edit. Ern. T. IV. p. 870: *ex quatuor autem* locis, *in quos honesti naturam vimque divisimus.* — Unde nostrates nonnunquam simili dicendi ratione utuntur.

(1) Quam facile inprimis se invicem revocent ideae, quas *eodem tempore eodemque loco* comparavimus, docet Home, in *Grundsätze der Kritik*, T. I. c. 1. §. 21 sqq. et Gerard, in *Versuch über das Genie*, P. II. Sect. I. p. 139 seqq.

Orationes Sacrae, ad huius generis rationem compositae, universe maiorem vim et efficacitatem in auditorum animos habent.

Si quae doctrina dogmatica vel moralis interpretationis veluti veste induitur, multo erit efficacior, quam si, aut nuda, aut philosophorum rhetorumve artificio ornata, prodeat. (1) Quamvis enim, uti supra iam monuimus, in quibuscunque orationibus sacris, si quidem vere hoc nomine sint dignae, tradantur, quae e Codicis Sacri doctrina sunt ducta; plerisque tamen audientibus, utpote minus exercitatis, nunquam facilius et certius persuadebis, ea e Codice Sacro esse ducta, quam si ipsa huius verba simpliciter exponas et illustres. (2)

Quando igitur orator sacer unice versatur in explicandis verbis divinis, omne verum, bonum, utile, sublime, complectentibus, horum praebet auditoribus notitiam, laudat eorum praestantiam, reconditam sapientiam in lucem profert, doctrinae puritatem, gravitatem divinamque originem celebrat, divinorum denique scriptorum sensus in auditorum animos veluti transfundit; quanta ei inde accedit in dicendo παῤῥησία, quanta apud auditores auctoritas, qui ita

(1) Vid. Cl. Palmius, in *Oratione* saepius laudata.
(2) Conf. van Heyningen, l. l. p. XIV.

ita non adeo oratorem sibi audire videntur, sed ipsum Deum docentem, monentem, hortantem, poenas minantem, praemia promittentem! „ Hac ratione eius dicta aculei sunt ad „ conscientiam accommodati, τομώτεροι ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, ita ut secent, urant, „ inflamment et rapiant mentem instar turbi- „ nis." (1)

Hoc quoque modo egregiam Orator habet opportunitatem ea dicendi, monendi ac praecipiendi, quae non facile dicturus fuisset, nisi ipsius loci praelecti expositione eo ductus. (2) Cuiusmodi monita, ex ipso Codice S. sponte ducta, non facile auditores offendere poterunt. Ita igitur, ipsius Dei monitis et praeceptis perculsi, et egregiis, quae in Codice S. occurrunt, exemplis commoti, adiuvante Deo, ad omne pulcrum, honestum, divinum, excitari poterunt.

Praeterea hoc genus uberiorem praebet Oratori S. dicendi materiam, atque adeo egregiam conciliat orationibus sacris varietatem.

Si

(1) Sunt verba Camp. Vitringae, in *animadv.* supra laud. p. 159.

(2) Vid. Clar. Tinga, in praefat. laud. p. VI. et Noesselt, *Anweisung zur Bildung angehender Theologen*, III. §. 54. n. 2.

Si quidem verum est, quod est verissimum, eos, qui ad audiendas orationes S. conveniunt, delectari paulo ampliori dicendi materia, audiendique studium valde excitari argumentorum quadam varietate, videndum est oratori S., ut hanc sibi comparet dicendi copiam et varietatem. (1) Hanc vero, nec facilius, nec certius, adhibere poterit Homileta, quam adhibitis S. libris, et oratione sacra ad eorum argumentum proxime accommodata.

Etenim, non modo magna est argumentorum in Codice S. copia et diversitas, licet non nisi una sit et religio et doctrina, e qua singula ducantur argumenta; (2) sed et maxima oritur dicendi varietas e varietate formae ac rationis, qua huius doctrinae capita proponi in Codice S. solent. Nullum quippe est placitum doctrinae sacrae, sive theoreticum, sive practicum; quin aliquoties in S. libris occurrat, variis modis a variis auctoribus propositum. Non pauca ex hoc genere cernas coniuncta cum religione, et

(1) Quod quanti fecerint antiqui oratores, vel ex uno Ciceronis libro apparet, quem *de Inventione* scripsit.

(2) Quare merito de illa dixit van Hengel, Vir Cl. in Orat. laud. p. 28.: *fontis perennis instar est, qui novas semper aquas effundit; sic novam semper docendi dicendique copiam larga manu affert.*

et patriarchali, *et* veteri Israëlitica, *et* nostra *Christiana*. Mox ea deprehendes, propriis enunciata verbis, mox tropicis. Hîc quidem sententioso sapientis dicto ea exhibentur; illic carmine celebrantur; alibi exempli vel parabolae involucro proponuntur. Denique accommodantur, vel ad consolandum, vel ad monendum, vel ad reprehendendum. Verbo, quacunque fere, sive eloquentiae, sive poëseos, forma, singula exhibentur placita. (1)

Quan-

(1) Quanta sit in Codice S. *et* eloquentiae, *et* poëseos praestantia, praeter multos alios, docere nos possunt Lowth, *de Sacra poësi Hebraeorum*; Herder, *cum* in libro, quam *de poëseos Hebraicae indole* Germanice scripsit, *tum* et in Parte I. Epistolarum, quas *de Theologiae studio* edidit, Ep. II. III. Wilmet, Vir Cl. in Oratione, *de ingenio Hebraeorum ad poësin maxime accommodato*; S. F. J. Rau, in Oratione, *de praestantiâ poëseos Hebraicae*; Ven. L. Dibbits, in Disquisitione Literaria, ab Ordine Litt. in Acad. Rheno-Trai. a. 1818. praemio ornata, qua *de Hebraica poësi* egit, *cum Graeca comparata*. — His addantur Blair, in *Praeceptis eloquentiae*, etc. P. I. p. 159 seqq. edit. Belgicae; La Harpe, in libro *Cours de Literature*, T. I. p. 620. Fleury, in *Discours sur l'Histoire Ecclesiastique*, p. IX. Batteux, in *Cours des Belles Lettres*, T. II. Rollin, in libro, quem Gallice scripsit, *de literarum elegantiorum studio*, T. II. c. 3. ubi de *eloquentia* agit scriptorum sacrorum p. 376-450, Paris. 1819. Brink, *over de leer en*

Quanta igitur Oratori S. exin oritur dicendi copia et varietas, ſiquidem ita in horum librorum interpretatione verſetur, ut ad varias has formas orationem ſuam componat, has explicet, harumque vim, elegantiam et ſublimitatem, demonſtret.

Quo facto, Orator S. utile miſcendo dulci, auditoribus placere, eorumque animos flectere poterit. Itaque ex copia illa et quaſi ſilva textuum, argumento ſimilium, non tantum eos eligere poterit, qui, et tempori, et ſibi, et audientibus, optime conveniant; ſed et orationi ſuae, multiplici varietate, ſingularem gratiam ſuavitatemque poterit conciliare. (1) Neque enim continuo, in *locis*, qui dicuntur, *communibus*, haerebit, aut, res eaſdem, eadem for-

en leerwijze van J. C. Chateaubriand, *Genie du Christianisme*, T. IV. Fenelon, in colloquiis, *de eloquentia*, a Cl. Schrantio, Belgice verſis et annot. locupletatis, p. 124-129. et annot. p. 115-145. van Gogh, in libro: *de Bijbel even zoo vermakelijk als nuttig voor allerlei lezers*, Schiedam, 1815. et auctor anonymus, qui operi menſtruo, *Letteroefeningen*, a. 1814. P. II. p. 561 ſeqq. diſſertatiunculam inſeruit, *over Natuur en Ideaal in de gewijde Bladeren.*

(1) Vid. Herder, in *Epiſtolis* laudatis, P. II. p. 194 ſq. et M. Stuart, in Praefat. quam Parti I. *Orationum S. de Epiſtola Iacobi* praemiſit, a. 1804.

forma saepe repetendo, fastidium movebit. (1)

Ex hoc igitur genere cum orator sacer unice, *et* illam spectet doctrinae Christianae partem, quae loco praelecto proponitur, *et* eo unice modo, quo ibi obvia est: continuo apparet, semper variam esse ipsam orationem, pro infinita varietate locorum praelectorum, quae ad tractandum sumuntur. Cuius rei utilitas vel maxime in eiusmodi apparet argumentis tractandis, quae *saepius* ex instituto sunt exponenda. — Etenim, cum celebrandi sint dies festi, vel semel, vel saepius quotannis redeuntes, saepius iam dicta identidem, eadem forma, erunt repetenda, nisi proxime sequamur alium atque alium locum praelectum, in eoque explicando nostram collocemus operam. — Hac tantum ratione nobis cavere possumus, ut ne v. c. in celebranda memoria Iesu nascentis, patientis, morientis, in vitam redeuntis, item in celebranda S. Coena, et in orationibus ei praeviis et eucharisticis, semper iis inhaereamus, quae universe, de singulis his argumentis, nunquam non dici possint.

Tandem *huic generi propria quaedam vi-*

(1) Conf. Ven. Benthem Reddingius, *Gedachten over het Leeraarsambt*, §. 48. et Blair, l. laud. P. II. p. 261.

videntur, quae ipsi Oratori Sacro valde sunt proficua.

Quodsi Timotheum, egregium illum Paulli discipulum et imitatorem, oportuerit consummatam in munere suo administrando facultatem consequi, adhibendis libris Veteris Foederis, similis profecto librorum, cum veteris, tum novi F. usus summopere, nostra quoque aetate, proderit ad perficiendos doctrinae divinae interpretes coetûsque Christiani antistites.

Constat nempe inter omnes, doctorem Christianum, sine probabili Codicis Sacri cognitione, nullo modo munere suo bene fungi posse: quo magis autem in illius sensum penetraverit, et quo melius totam illius rationem perceperit, eo meliorem illum esse, *tum* divinae voluntatis interpretem, *tum* regni divini ministrum, *tum* Christianorum in via ad vitam beatam ducem et exemplum, quod imitentur.

Unde intelligitur, librorum S. inquirendorum studium doctori Christiano neutiquam negligendum, sed vero avide arripiendum esse. Arripit autem, saepe adhibendo *primo*, de quo agimus, orationum S. genere. Quod tamen non ita erit intelligendum, ac si nullam, vel non satis magnam libris S. intelligendis operam dare possint, qui secundo utantur genere; absit enim tam temerarium iudicium, de viris egregi-

giis, qui unice fere ex hoc genere suas habuerunt orationes sacras: sed hoc volo, *primi* generis usum magis sua sponte ducere et incitare doctorem Christianum ad inquirendos libros sacros; ut adeo, qui illo velit uti, non possit non intelligendo et interpretando Codici S. operam navare. Quicunque enim ita orationem suam instituit, ut primum ac praecipuum interpretationi det locum, ei profecto non segniter laborandum erit, in loco praelecto rite intelligendo. Quo autem difficilior opera fuerit adhibenda, ad loci sententiam dilucide exponendam auditoribus, in his quoque rudioribus, eo magis Orator S. urgebitur, ad omne studium adhibendum, quo sibimet ipse persuadeat de vero verborum sensu, suamque de iis sententiam satis idoneis firmare possit argumentis. Quum vero ita simul eximios animadvertat fructus, e diligentiore librorum sacrorum studio redundantes, quumque magis magisque observet, *tum* copiam et ubertatem, *tum* stili elegantiam dicendique vim, *tum* omnino summam eorum praestantiam, non poterit non magis magisque ei carus esse Codex Sacer, qui caeteros omnes libros multis nominibus praecellit. (1)

Hac

(1) Conf. Herder, in *Epist.* laud. P. II. p. 194, 195.

Hac igitur ratione probasse mihi videor, primum orationum S. genus, de quo mihi iudicandum est, magnam habere vim, ad ipsius doctoris Christiani studia dirigenda, magnosque illud animo eius et ingenio afferre fructus.

§. II.

De eo, quod universe in secundo *genere praestabile habetur.*

Si quis bene attenderit, quam huius generis dedimus definitionem, non poterit non sibi persuadere, illud, si quidem bene instituatur, plurimum posse conducere, ad maiorem et accuratiorem de universa doctrina Christiana cognitionem audientibus insinuandam. Etenim doctrinae Christianae ambitus non adeo ipsis Codicis S. continetur verbis, ut, nisi singula haec cognita fuerint, illa simul nequaquam possit cognosci. — Imo vero, si quis doctor Christianus, satis idoneis adminiculis praeditus, eruditionis et perpetui studii ope, tum ad probam Codicis S. intelligentiam, tum etiam ad interiorem cognitionem ipsius doctrinae, quae eo continetur, pervenerit, poterit quoque ea, quae huiusmodi studio et labore sibi cognita reddiderit, ita tradere auditoribus, ut hi saepissime mul-

multo magis perſpiciant omnem hanc doctrinam, ac ſi, in illa docenda, unice *primo* utatur genere.

Primum enim paene fieri nequit, ut univerſos Codicis S. libros continua ſerie ſibi ſumat explicandos. — Quod tamen esſet faciendum, quandoquidem horum complexu ipſa religionis doctrina continetur.

Deinde etiam vix poteſt orator omnes omnino locos, qui de quadam huius doctrinae parte in Sacro Codice obvii ſunt, coram concione tam copioſe exponere, ut, his omnibus bene perceptis, auditores ad perfectam illius doctrinae cognitionem perveniant. Scilicet, est haec librorum ſacrorum ratio, ut, prouti ſupra iam monuimus, diverſisſimis temporibus, a diverſis maxime auctoribus, fuerint profecti. Quo fit, ut e variis locis atque ſcriptis, *tum* univerſa Christiana doctrina, *tum* etiam ſingula efficienda et conſtituenda ſint.

Nam, *et* a Christi caeterorumque legatorum divinorum, *et* ab illorum temporum ratione, quam maxime erat alienum, doctrinam in partes ſuas distributam, certo quodam ordine, tradere. — Quamobrem, quum de ſingulis quibusque placitis, et de tota Christiana doctrina, e diverſisſimis locis atque ſcriptoribus, ſingula ſint petenda et congerenda, ipſe doctor Chriſtia-

stianus, *secundo* hoc genere usus, facillime haec omnia ad unum quoddam totum coniungere poterit, cuius singulas partes rite exponat, diiudicet, defendat, quarum inter se nexum ostendat, et quas mox resolvat mox denuo coniungat.

Ita enim satis amplum ei erit temporis spatium, quo hoc fusius et accuratius perficiat; maius saltem, quam si diutissime loco praelecto illustrando inhaereat.

Porro, hâc ratione universe loco praelecto non tenetur, neque ideo cogitur, ut rem eo peculiari modo atque consilio proponat, quo in textu exhibetur; in quo quidem illud saepissime pendet e totius orationis proposito et cohaerentia.

Ab hisce igitur vinculis prorsus liber, pro suo proposito, argumentum tractare poterit, quod aptissimum habet auditoribus, tempore ac loco. (1)

Ita quaecunque *et* patefacta religio *et* ratio hu-

(1) *Men kan, uit onderscheidene tekften, alleen daardoor iets nuttigs afleiden, dat men zich boven den eigenlijken inhoud van den tekst verheft; en een verder verwijderd standpunt tot de beschouwing van denzelven neemt.* Verba sunt Franc. Volkm. Reinhardi, in libro, e lingua Germ. verso: *Iets, over zijne Leerredenen* caet. Gron. 1812. p. 151.

humana suppeditet, adhibebit, ut eiusmodi argumentum tandem perspicuum fiat auditoribus, distinctaque de eo notio iis praebeatur. Et ita quidem eodem modo hac in re versabitur, quo caeteri doctores uti solent, in doctrinis suis, summo ordine summaque accuratione, tradendis. (1)

Haec enim ratio cum maximopere valeat ad rem quandam bene intelligendam, vixque a nobis doctrina quaedam sine eiusmodi ordine rite possit percipi, optimo iure, in tradenda quoque religionis doctrina, adhibetur. Etenim innumera loca et placita, quae in religione nostra occurrunt, vix poterimus cognoscere, nisi, ad classes quasi relata, secundum has ita disponantur, ut, uno ex altero ducto, in unum coniungantur finem; vel saltem ita, ut peculiaris cuiuscunque auctoris, quorum in Codice S. ex-

(1) Est enim haec universe via, qua animus noster ad cognitionem pervenit, ut primum intelligentia nostra, ea coniungens quae pluribus perceptionibus sunt communia, e sensuum et imaginationis perceptionibus *notiones* effingat, et deinceps progrediendo notas coniungat, quae pluribus notionibus sunt communes; unde oriuntur *notiones magis generales* sive *abstractae*, quae vocantur. — Hac eadem ratione philosophi in doctrinis tradendis *systema* condere solent, i. e. *seriem quandam cognitionum, inter se, iuxta aliquam notionem, ita connexarum, ut totum aliquod constituat.*

exstant scripta, placita dictaque inter se componantur. — Quamobrem magni aliquando esse poterit momenti, si doctor Christianus suas quoque orationes S. ita habeat, ut, in singulis partem quandam universae doctrinae sacrae exponendo, totum, q. d. *systema* religionis auditoribus tradat. (1)

Quin etiam omnem suam orationem disponere poterit ad praecepta dialectices, quam Cicero dicit (in Bruto, c. 41.) *artem omnium artium maximam, quae quasi lux caeteris adhibeatur, quaeque doceat rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae, quibus positis, essent, quaeque non essent consequentia.*

Atque ita quidem, si orationes sacrae ex hoc genere habentur, praeceptum illud optimorum rhetorum facilius observatur, quo iubent, ut in orationibus summa sit, quae minus Latine dicitur,

(1) A nimio tamen huius rei studio abstinendum videtur, praesertim cum in patria nostra, optimo sane consilio, ad hanc rationem orationes S. haberi soleant, secundum *Catechismum Heidelbergensem.* Conf. Marezoll, in libro supra laud. p. 45.

tur, *unitas*, atque adeo omnia ad unum tendant propositum. Illa quippe omnium habetur perfectissima oratio, quae diversitatem varietatemque contineat, ad summum ordinem sive unitatem reductam. (1)

Quod, *cum* vim orationis auget, *tum* apud eos, qui satis animum attentum unius cuiusdam rei meditationi possunt infigere, et oratorem in exponendo argumentandoque sequi, ipsam rei intelligentiam magnopere auget faciliore mque reddit, cum ita animi attentio ad nullam aliam rem deducatur. Quo fit, ut his ipsis, si quidem bene attendere poterint totiusque orationis perspicere nexum, memoria admodum fulciatur et

(1) Vid. prae aliis, Blair, lib. I. P. II. p. 196 seqq. et conf. van Hengel, Vir Cl. in praef. laud. p. XI et XII. qui, in omnes orationes sacras hanc unitatem inducendam esse iudicat, licet hoc in iis, quae ad *primi* generis rationem componuntur, maiorem difficultatem habere videatur. Haec autem unitas ideirco in scriptis et orationibus commendanda est, quoniam ipsum *pulcrum* illud habetur, *quod in maxima varietate maximum ordinem continet*, sive, *quod in summa partium diversitate summam universi unitatem habet*. Legantur omnino ea, quae hac de re egregie disserit Franc. Hemsterhuis, in elegantissima Epistola, *Lettre sur la sculpture*, T. I. *Operum philosophicorum*, Gallice editorum, Paris. 1809.

et firmetur, quoniam ita singulae notiones, eo ipso ordine, facilius denuo revocantur.

Haec vero, quae hucusque de praestantia huius generis diximus, uti quodammodo universe dici possunt, et vera omnino sunt in quibuscunque placitis et praeceptis tractandis, ita omnium maxime obtinent in eiusmodi *placitis* tradendis exponendisque, quorum, etsi commemoratio et expositio in Codice S. brevior sit, accuratior tamen notitia, his nostris temporibus, quam maxime necessaria esse solet.

Scilicet, cum haec sit prudentissimorum optimorumque doctorum lex, *doctoris non esse docere, quae ipse scit, sed quae auditoribus congruunt*, (1) eam quoque summus Doctor caeterique legati divini observarunt egregie. Hi enim, pro summa sua sapientia, illorum inprimis in docendo attenderunt rationem, ad quos ipsi fuerunt locuti; horum enim aequalium ratione neglecta, neque etiam in posteros vim habere potuissent. Itaque, non solum ea usi sunt

(1) Aurea haec est B e n g e l i i sententia, quam laudat I o d. H e r i n g a, Vir Cl. in commentatione, qua docet, *Iesum eiusque Apostolos doctrinam suam universe non accommodasse ad perversas aequalium opiniones*, quae disputatio, praemio ornata, exstat in Operibus *Societ. Hag. pro vindicanda relig. Christ.* a. 1789.

funt lingua, quae iis temporibus apud auditores erat vulgaris, iisque dicendi formulis, quae ab his adhiberi solebant, sed in ipsam eorum cogitandi rationem totos quoque sese insinuarunt, ut huic omnem institutionem suam adaptarent. Quocirca, quum perversa quaeque tollere et emendare niterentur, contra, quae ab audientibus legentibusve bene tenebantur, et ex vero credebantur, ea tanquam vera et certa sumserunt, nec de iis dubitandi locum dederunt, neque etiam omnia recensuerunt, quae contra posfent disputari. De his igitur haud ex industria disseruerunt, nisi haec ipsa apud eos valere posfent, ad confirmanda nova, quae ipsi docerent, placita. Haec enim iam cognitis, tanquam fundamentis, ita superstruere solebant, ut sensim sensimque auditorum cognitionem *et* emendarent *et* amplificarent. Qua ratione, nisi eorum ingenio prudenter suam accommodasfent doctrinam, omnem sane sibimet ipsi ademturi fuisfent persuadendi vim, et in eorum animos efficacitatem. (1)

Iam

(1) De hoc accommodandi modo videatur, praeter Reinhardum, in *System. doctrinae Christ. moralis*, P. I., inprimis Cl. Muntinghe, in *Theol. Christ.* L. II. P. I. c. 3. p. 525, 526. ubi singulae res, in quibus Iesus eiusque Apostoli sese accommodasse sint dicendi, stri-

Iam vero, quum eo modo divini legati suam doctrinam ad illorum temporum composuerint rationem, quis est, cui mira sit res, si quis affirmaverit, longe alia his nostris temporibus esse propria, ad quorum normam religio Christiana haud ita informata esse videatur?

Etenim, quia cum tempore et omnes mutantur res terrestres, et vero etiam cognitionis humanae conditio, necesse est profecto, ut quibuscunque fere temporis periodis sua quaedam cogitandi ratio propria sit. Modo haec, modo illa, vel accuratius investigantur, vel ab omni remota sunt dubitatione, vel maxime dubia habentur: quo fit, ut perpetuo progrediens ingenium humanum, sive nova quaedam inveniat et excogitet, sive etiam antiqua abiiciat et aversetur.

Haec autem varietas, quae *et* in unoquoque homine *et* quacunque habetur aetate, maxima sit necesse est, si hodiernam nostram attendas rationem, cum ea comparatam, quae singulis obtinuit temporibus, quibus singula tradita fuerunt in Codice S. obvia. Quodsi praeterea cogites diversitatem locorum, quibus nos Euro-

strictim exponuntur et ad classes suas rediguntur; simul vero praecipui, qui hac de re sint conferendi, auctores laudantur.

repaei vivimus, ab Orientalibus prorsus remoti, nemo sit, qui miretur, nobis longe aliam esse, in rebus ad intelligentiam pertinentibus, rationem, atque illis, quos docuerunt Iesus eiusque legati. Quae enim tunc erant cognita omnibusque recepta, nobis saepe sunt, vel minus nota, vel obnoxia dubitationibus; quae tunc nulla accuratiore indigebant definitione et expositione, vel quorum cognoscendorum et agnoscendorum tunc haud ita magna erat necessitas, horum his nostris temporibus summopere requiritur explanatio. Quod cum ita sit, sponte quisque intelligit, fieri non posse, quin multa sint in Codice S. praeterita, tanquam legentibus cognita, vel non nisi paucis verbis indicata, quae, his nostris temporibus, necessario proponi, fusius exponi, confirmari et defendi debeant.

Itaque oportebit doctorem Christianum, qui quidem ipsius Iesu et Apostolorum exemplum imitari velit, aliquatenus, hac in causa, illorum insistere vestigiis: ita scilicet, ut unice ex ipsa doctrinae Christianae indole eiusmodi res auditores doceat, eaque ratione ac forma, quae his nostris maxime conveniat temporibus. — Etenim insunt libris sacris cuncta, quae omnibus, quocunque tempore viventibus, esse possint loco fundamenti, cui superstruatur,

tur, quicquid de rebus ad religionem pertinentibus ſit credendum. Continet igitur Codex S. innumera veluti ſemina quarumcunque rerum, quocunque aevo ſcitu utilium et neceſſariarum, quae vero ſi ad cuiusque aetatis rationem fuisſent exponendae, innumeri profecto libri fuisſent conſcribendi.

Haec igitur ſemina rite attendens doctor Chriſtianus poterit, tam ex his, quam ex totius doctrinae ſacrae *ἀναλογίᾳ* (1) rite iudicanda, doctrinam Chriſtianam eo proponere modo, quo ea maxime valeat, ad docendos movendosque auditores. Ita enim Ieſu et caeterorum legatorum div. mente bene percepta, intelligere poterit, quomodo hi ipſi, hac noſtra aetate, et in hac rerum conditione, ſuam accommodaturi fuisſent doctrinam ad noſtrorum temporum neceſſitatem. Haec igitur perpendens, ſibique perſuadens, Ieſu doctrinam omnium esſe populorum omniumque locorum, non ita Codicis S. verbis adhaerebit, ut ea praetermittat, quae in eo non ex

(1) Conf. de ſignificatione vocis *analogiae*, Quinctilianus, *Inſtit. Orat.* L. I. c. 6. §. 1. 3, 4. Caeterum, cum hac de re, tum etiam de diſcrimine *doctrinae* et *modi*, quo ea tradatur, vid. Volkm. Reinhard in *Syſt. morali*, ſupra laud. P. I. et in *Dogmatiſche Vorleſungen*, p. 35 ſeqq.

ex instituto tractentur et definiantur, quamvis propter temporum nostrorum rationem quantivis sint pretii habenda. (1)

Quae si dicenda sint de *placitis* religionis Christianae nonnullis, non minus erunt dicenda de *praeceptis*, quae, Christi et Apostolorum aetate, non adeo erant inculcanda, nostra vero aetate diligenter sunt tradenda ac commendanda. Etenim, licet unum idemque sit omnis quocunque tempore virtutis fundamentum et principium, ac pleraque officia ab homine Christiano semper et ubique sint praestanda; nihilo minus, pro varia conditione, in qua singuli versantur homines, singularia quaedam ab iis sunt praestanda, quae singularibus praeceptis, ad peculiarem eorum rationem compositis, accuratius definiri et exponi possunt. Quae quidem peculiaria praecepta si quis in hominum usum adhibere velit, ei diligenter erit attendendum ad conditionem, in qua homines sua aetate versantur. Quae cum ita sint, nemo mirabitur, libris sa-

(1) Universe de hoc argumento vid. Marezoll, l. l. p. 2-48. Caeterum, quicunque nobiscum in Codice Sacro veneratur uberrimum religionis nostrae fontem, facile intelligit, summam hac in re adhibendam esse doctori Christiano prudentiam, ne, pro Domini nostri et magistri doctrina, *suas* venditet opiniones.

facris haud pauca inesse monita, ad singularem pristinorum hominum, locorum ac temporum, rationem accommodata; neque adeo ad perpetuam omnium Christianorum institutionem trahenda: contra vero, multa a nobis, hac nostra aetate, praestanda esse, quorum vix mentio fiat in Codice S., quorum certe praecepta non sint composita ad singularem illam, in qua nos versamur, conditionem. Etenim multis modis pedetentim sunt mutatae, *et* universa societatis civilis et domesticae ratio, *et* coetus Christiani externa forma atque rectio. Hinc autem non potuerunt non oriri nova officia, hac in conditione nobis imposita, nova certe ratio ac forma, quibus illa sunt praestanda. Itaque oportet doctorem Christianum, perspecta universa Christi doctrina, ac recte adhibitis principiis, quibus ea nititur, ex his singularia ducere monita et praecepta, ad auditorum rationem consulto accommodata. Quod qui instituit, Iesu magistri secutus *exemplum*, ea tradet praecepta, quae sui temporis et loci hominibus maxime congruunt; singula vero ad singularem eorum conditionem accommodabit; porro ea ita definiet, ut homines iis non facile abutantur; denique ea rationum momentis, ex universa doctrina patefacta et naturali rerum indole ductis, confirmabit; verbo, ita hac in re ver-

sa-

sabitur, ut, quoad eius fieri possit, optimo modo, religionis Christianae vim adhibeat ad informandos et emendandos Christianorum mores. (1)

Huic autem proposito vix poterit satisfacere Orator S. si unice ad *primi* generis rationem suas habeat orationes; praesertim, si quando eiusmodi reprehendenda sint vitia, ad eaque officia hortandi sint auditores, quorum in Codice S. non expressa fit mentio. Tum igitur omnium optime *secundi* generis orationem adhibere poterit.

Tandem vero maxime hoc *secundum* genus prodesse poterit, in refellendis *erroribus*, qui cum superstitione et ἀπιστίᾳ nostrorum temporum fere sunt coniuncti.

Etenim, si quidem prudenti religionis Christia-

(1) Quot autem sint officia, hoc tempore, e singulari, qua nos utimur, conditione oriunda, unicuique apparebit systemata inspicienti, quae, de Christianorum doctrina morali, scripserunt Moshemius, Reinhardus, alii, qui satis accurate de hoc argumento egerunt. — Operae pretium quoque sit, ad cognoscenda argumenta Oratori S. tractanda, quorum non nisi obiter fiat in Codice S. mentio, Enfieldii conferre librum, Anglice scriptum, Belgice editum, Harl. 1793. *Handboek voor Predikanten, of eene lijst van onderwerpen, geschikt voor openbare Leerredenen, met teksten daarop passende.*

ſtianae interpreti, ulla in re, eorum habenda est ratio, quos edocere vult, omnium certe maxime hoc ei erit agendum in emendandis ſuae aetatis erroribus, in refutandis contra dicentibus, et univerſe in tollendis opinionibus perverſis, quae, cum ſua aetate et in coetu, quem ipſe moderatur, oriantur aut propagentur; prae aliis doctrinae divinae integritati noceant.

Cuique enim aevo ſui fuerunt errores, inprimis in religionis cauſa. Néc deſunt profecto his nostris temporibus. Ac ſuperſtitio quidem, varias induta formas, adhucdum religionem corrumpit: impietas vero nihil non tentat, quo tandem religionem omnem evertat. Quod cum videant ingenui religionis doctores, oportet eos omnem adhibere curam, ad tuendam vindicandamque religionis auctoritatem ſinceritatemque. Itaque, cum in reliquis muneris ſui partibus, tum vero etiam in orationibus pro concione habendis, pro nostrorum temporum neceſſitate, id agant, ut *et* omnem arceant ſuperſtitionem, *et* quamcunque repellant impietatem.

Quod ut feliciter ſuccedat, Oratores S. accuratam adhibeant expoſitionem doctrinae Chriſtianae, ex ipſis librorum S. fontibus ductae, orationis autem formam commode ad *ſecundi* generis rationem inſtituant. — Ita enim, textus prae-

praelecti ſingulis partibus non adeo adſtricti, argumentum orationis eligent omnino idoneum ad ſingulares nostri temporis erroris refutandos. *Denique* huius generis uſus maxime ſeſe commendat, quoties orationes ſacrae ſunt habendae, accommodate ad noſtrorum temporum ſingularem opportunitatem, quae oritur, *vel* e vinculo, quo eccleſia Chriſtiana cum ſocietate civili iuncta est, *vel* e modo, quo coetus Chriſtiani cum maxime gubernari ſolent, *vel* ex aliis rerum adiunctis.

Huc cenſendae ſunt orationes pronunciandae diebus ſolennibus, quibus, invitante et monente magiſtratu civili, publicae Deo aguntur gratiae, pro ſalute et incolumitate patriae et regis, Deique favor et auxilium ſupplicationibus imploratur; item orationes, quibus antiſtites eccleſiae, ſolenni ritu, muneri ſuo admoventur, idque publice ſuſcipiunt doctores; porro eae, quibus, in introitu et exitu conventuum eccleſiaſticorum, ipſi eorum ſocii commonentur de muneris gravisſimi partibus rite ac feliciter adminiſtrandis; denique orationes, quibus, exeunte anno, beneficia a Deo tributa in memoriam revocantur, et monentur Chriſtiani de modo, quo eos oporteat novum annum ingredi. Quoties enim huiusmodi orationes ſunt habendae, toties ea ſunt dicenda, quae unice perti-

nent

nent ad tempus et locum, quibus hae habentur orationes. Quae cum sint et numero plurima, et pondere gravia, absurdum foret, tempus terere exponendis locis e Codice S. sumtis, quippe quae, alia prorsus tempora aliamque conditionem spectantia, in his rerum adiunctis, minoris ad praesentem rem momenti sint habenda. — Quamobrem Orator S. multo magis suo proposito atque officio satisfacere poterit, si ad *secundi* generis rationem orationes suas conformet.

§. III.

De eo, quod universe praestabile habendum est in genere mixto.

Quaecunque in duobus, de quibus egimus, generibus singulis, observavimus praestabilia, parte quadam comprehenduntur *genere mixto.* Quod igitur, si quidem bene adhibeatur, hoc nomine sese valde commendat. — Neque adeo mirum nobis accidit, illud optimis hoc tempore Oratoribus Sacris inprimis esse usitatum. Ita enim fit, ut simul, *et* maior existat in oratione varietas, *et* oratori augeatur dicendi materia, tam ex loci interpretatione, quam ex ipsius argumenti tractatione. (1)

§. IV.

(1) Vid. Mosheim, lib. I. P. I. p. 277 seqq.

§. IV.

De eo, quod in delectu faciendo inprimis est spectandum.

Ipsa horum generum ratio tenenda est; non vero modus, quo illis abusi sunt nonnulli oratores sacri.

Est haec infelix hominum fere ratio, ut, quo praestantior sit rerum indoles, eo deteriori iis modo saepe utantur. Quod, ut in aliis caussis, ita quoque in hac nostra locum obtinuit. Quum enim singuli, pro sua ingenii facultate, et pro temporum, quibus vivebant, ratione et indole, suas haberent orationes sacras, fieri non potuit, quin multi, ratione admodum perversa, hoc illove genere uterentur. Imo vero, quo maioribus per se gaudebat haec illave ratio dotibus, eo peius saepissime adhibita fuit.

Ita scilicet, si illos attendas, qui ad *primi* generis rationem suas componere solebant orationes S., praesertim apud nostrates antiquiores, hos saepius videas tempus terere explicandis magnaque eruditionis copia exponendis rebus, quae nulla indigeant explicatione, utpote quas in vita nostra quotidie experimur; vel ea denuo illustrare, quae, cum in singulis

fe-

fere redeant locis praelectis, iam sexcenties antea illustraverant; vel etiam, *tum* innumeras recensere aliorum interpretum sententias, quas et prolixe proponere et singulatim diiudicare solebant, *tum* loca parallela, nihil saepe aut parum probantia, innumera adducere.

Hi autem ipsi, nulla auditorum suorum habita ratione, *et* verba Graeca et Hebraea, in ipso coetu, referebant, *et* fuse de iis disquirebant, tum philologice et critice ea exponentes, tum eorum etymologiam et vim grammaticam primamque notionem tradentes, et quae sunt hisce similia. Quae qnidem omnia quum auditorum captum longe superarent, fieri non poterat, quin oratores, „ difficultates in vocibus captantes, „ et obscuritates in dictione venantes, praeter „ ostentationem, non solum non aedificarent, „ sed auditores obruendo rem implicarent". (1) Quibus rebus tempus terentes, perdebant opportunitatem ea tractandi, quae unice facere possent ad auditorum mentes doctrinae salutaris luce collustrandos, eorumque animos ad sinceram pietatem informandos. Quod malum eo magis augebatur, quo plures allegorica interpretatione delectarentur: *qua potius suam ostendere possent*

(1) Sunt verba Cl. van Til, in *Methodo Concion.* P. I. c. 4. in Comment. p. 20.

sent peritiam in typicis, emblematicis, propheticis et eiusdem naturae mysteriis, quam orationes suas habere ad simplices veritates explicandas. (1)

Sed haec vitia, quamvis nimis frequentia et valde noxia ac proinde digna essent, quae a Zimmermanno, Hollebeekio aliisque vehementer reprehenderentur, minime tamen huic generi ita propria dicenda sunt, ut necessario cum eo sint iuncta. Id quod abunde docet huius generis definitio, antea a nobis data. Quare etiam contra hunc abusum monuerunt ipsi illi viri, qui praeceptis suis hoc genus quam maxime commendarent. (2)

Eo-

(1) Vid. J. J. Zimmermanni, *Opusc.* laud. T. II. p. 485, 486.

(2) Conf. J. Hoornbeekius, in *Tractatu de ratione concionandi*, c. III. qui Ultrai. 1645 et 1646. forma dissertat. Academicae editus, postea a J. Leusdeno additus est *Compendio Theol. Dogm.* A. Essenii, a. 1686. et *Miscell. Sacris*, L. I. c. 8. p. 241, 242. a. 1717. editis. Joh. Martinus, *Praxeos populariter concionandi rudimenta*, c. IV. §. 9, 10. Gron. 1651. David Knibbe, *Manud. ad Oratoriam sacram*, c. VIII. §. 6. Ed. VI. Lugd. Bat. 1697. Joh. van der Waeyen, *Method. concion.* p. 81. a. 1704. repetit. 1718. Sal. van Til, *Methodus concionandi, illustrata commentariis et exemplis*, P. I. c. IV. §. 1, 2, 3. et in *Comment.* loco supra laud. a. 1717. Campegii Vitringa *Animad-*

Eodem modo *secundo* genere abusi sunt plurimi oratores sacri, ita ut, nimis neglecto ipsius Codicis Sacri studio, et sacros libros minoris facerent, et auditores ab iis investigandis averterent, atque ita *ad qualescunque digressiones et declamationes de quibusvis rebus instituendas, a foro theologico et officio suo diversissimas*, (1) prolaberentur.

Hi igitur, non tam genuinam ac simplicem docebant religionem Christianam, quam quidem certam, cui addicti erant, theologiae et philosophiae formam. Proinde, *vel* unice, e rationis humanae principiis, placita et praecepta ducebant tractanda et exponenda; *vel* orationes habebant rhetorum artificio nimis exornatas, captumque auditorum longe superantes; *vel*, neglecto iusto ordine, suas disponebant orationes; *vel* etiam, pigritiae indulgentes, idem tra-

madversiones ad methodum homiliarum ecclesiasticarum rite instituendarum, c. III. §. 8. a. 1721. adiecta *Observat. Sacris*, Tom. II. Edit. III. Amst. 1727. T. H. van den Honert, *Rhet. Eccl.* P. II. c. 2. Sect. 1. membr. 1. §. 8. Hieronymi Simonis van Alphen *Tabulae analyticae exhibentes ea, quae ad methodum concionandi spectant*, Tab. VII. inpr. p. 15. a. 1735. H. Ravesteyn, *Nazireër Gods*, a. 1731. Edit. III. Amst. 1756. p. 223.

(1) Sunt verba Vitringae, l. l. p. 159.

tractabant argumentum saepius repetitum, mutato tantum loco praelecto.

Quae omnia, quamvis digna profecto, quae a multis carperentur, (1) non tamen ita propria sunt ipsi huic methodo, quin vehementissimi etiam huius generis defensores, contra illa, serio monuerint. (2)

Itaque probe nobis cavendum erit, ne nos eiusmodi abusu, qui apud nonnullos locum obtinuit, absterriti, ab ipso huius illiusve generis usu abstineamus; unice enim in se spectanda sunt haecce genera, prouti *et* ipsa illorum fert ratio, *et* illae sese habent orationes, quae rite ad illorum normam fuerunt compositae.

Praeterea, *in delectu faciendo, oratori sacro inprimis semper videndum erit, quodnam proprie suum sit munus, quaenam temporum conditio auditorumque ratio, quodnam locorum praelectorum discrimen, et quibusnam ipse gaudeat ingenii dotibus.*

Si

(1) V. c. a Vitringa, l. l. p. 159, 160. a Ravesteynio, l. l. p. 238, aliis, inprimis a Michaële Verboomio et Tacone Sibelio, in epistolis laudatis.

(2) V. c. Hollebeekius, lib. I. passim, inprimis §. 15, 17 et 21.

Si bene muneris sui semper attenderit rationem, optime cavebit ab huius vel illius generis abusu. Ita enim, quum munus suum non unice *interpretis* partibus contineatur, non illud negliget discrimen, quod *oratorem sacrum* et illum inter est, qui unice *interpretem* agit; ideoque videbit, non omnem etiam operam esse impendendam, in erudita et copiosa Codicis S. expositione; et vero simul, tantum intercedere *suggestum* inter et *cathedram* discrimen, ut, quo magis huic congruat dicendi modus ad scholae normam exactus, eo magis ab illo remotus sit et alienus. (1)

Hac vero ratione non modo a singulorum generum abusu abstinebit, sed ab eo quoque vitio, quo *semper* et *ubique* unum idemque ge-

(1) Quum enim maximam partem auditores rudiores sint et illiterati, sapienter iam monuit Paullus, in *Epist. ad Timotheum et Titum*, evitandam esse omnem doctrinam, quae non faciat ad pietatem, quae inflatos reddat potius et tumidos, quam probos atque pios, et quae paucis tantum prodesse possit. — Quare oratori sacro abstinendum erit, tum ab eiusmodi quaestionibus metaphysicis tractandis, quae prorsus auditorum captum superant, tum simul ab eiusmodi locorum e Codice Sacro expositione, quorum tanta est difficultas, ut prolixa et supra vulgarem auditorum cognitionem posita explicatione indigeant. Conf. Benthem Reddingius, in libro laud. §. 38. p. 59.

genus adhibeat. Quam enim nullo non tempore hoc maxime ei agendum sit, ut auditores suos, ad fidem et pietatem hortetur, (1) aliud atque aliud orationum genus adhibebit, pro singulari conditione, quam in auditoribus animadvertit, et pro temporum locorumque adiunctis, in quibus ei pro concione erit dicendum. Quam varietatem propterea etiam adhibendam censebit, quod persuasum ei sit, ea nihil magis auditoribus et placere et prodesse. (2)

Prouti enim universe auditoribus molesta esse solet frequens earundem aut similium rerum expositio, ita orationum sacrarum forma, identidem repetita, nulla varietate admissa, facile movet suspicionem ingenii et eruditionis in oratore admodum mediocris; certe nihil confert ad auditorum attentionem excitandam et acuendam. Quandoquidem igitur singulis, quae spectavimus, generibus suae sint dotes suaeque laudes, singulis oratori sacro tempestive et opportune utendum erit, ut adeo, quoad per ingenii animique vires liceat, nullo non modo auditores edo-

(1) Conf. C. Boers, in libro, cui titulus: *Handboek voor jonge Predikanten*, p. 28. edit. II. Lugd. Bat. 1820.

(2) Vid. Hoornbeck, *Prolegg. Theol. pract.* p. 21. Taconis Sibelii *Epist. ad Hollebeekium*, p. 8 et 9.

edoceat, quae cognitu iis sunt necessaria et utilia, et quae ab iis sunt praestanda, ut digni habeantur Dei cultores, Iesuque discipuli. Ita vero, ad Iesu et Apostolorum exemplum sese componens, cum Paullo dicere poterit: *τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα, ἵνα πάντως τινὰς σώσω.* (1 Cor. IX: 22.)

Ex ipsa igitur huius muneris ratione, inprimis quoque doctori Christiano, orationes S. pro concione habituro, suorum *auditorum* ratio est spectanda *temporum*que *conditio*. Etenim, docente Erasmo, (*Eccl.* l. I.) auditorum utilitas oratori sacro lex suprema semper esse debet. Itaque universe, in deligendis argumentis, sedulo semper coetus sibi traditi conditio ei erit animadvertenda. Hoc ratione ei patebit, quid auditoribus maxime hoc tempore conducat, quinam mores laudandi vel corrigendi, quae vitia reprehendenda, quinam errores refellendi, quae dubitationes solvendae, et quaenam officia magistratibus et subditis, quaenam parentibus et liberis, caeterisque ecclesiae sociis, pro diverso, quod sequantur, vitae genere, sint inculcanda. (1) — Quod, uti universe spectandum erit, ita vero maxime etiam, in delectu ex his generibus faciendo, ei videndum

(1) Vid. Marezoll, lib. saepius laud. p. 45.

dum erit: num inprimis apud auditores augenda ſit librorum ſacrorum cognitio, et veneratio; an vero unius alteriusve, quae ad religionis doctrinam pertineat, partis notitia; utrum magis ipſa ſacrarum literarum explicatione indigeant, et admonendi ſint ad illas inquirendas et in vitae uſum adhibendas; an vero ad virtutes quasdam adducendi et a certis vitiis ſint dehortandi.

Inprimis quoque oratorem oportet ſpectare intelligentiae, iudicii ac memoriae facultatem, qua inſtructi ſunt auditores. Nam, non ſolum est quaerendum, quid ſcire et tenere debeant, ſed pariter, quid intelligere, diiudicare et tenere posſint. Maximum nempe, hac in re, inter diverſos auditores intercedit discrimen. Aut maximam partem rudiores ſunt et inculti; aut magis eruditi, ad res percipiendas aptiores. Etſi igitur cunctis his eadem ſunt proponenda, quae ad veram religionem pertinent; et ſemper perſpicuitati (1) ſtudendum est; aliis tamen magis,

(1) Hanc enim orationis virtutem Quinctilianus merito *primariam* appellavit, et egregie ſic deſcripſit: *Nobis*, inquit, *prima ſit virtus* perſpicuitas, *propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio. Nihil neque deſit, nec ſuperfluat; ita ſermo et doctis probabilis et planus imperitis erit.* Inſt. or. c. II. p. 677. ed. Burmann.

gis, minus aliis, fuccurrendum erit, omni adminiculorum ope.

Quocirca rudioribus et incultis praefertim exoptatae erunt orationes ad *primum* genus conformatae; iis contra, qui magis funt exculti et ad rerum meditationem aptiores, *fecundum* genus potius adhibendum erit. — Egregie autem, hac etiam de re, obfervata funt, quae dedit Cl. van Goudoever, in *Praeceptis orationis Latinae*, quae cum discipulis in fcholis communicavit. „Si pueris," inquit, „vel incultis hominibus historiam quandam narrare volumus, id inprimis agendum, ut narratio illa fimplex fit atque evidens, et haud magnam rerum varietatem continens, omnino ad perfpicuitatem compofita. Istiusmodi narrationem vel fabulam cupide illi audient, totam intelligent, memoria custodient. Quodfi iisdem maioris varietatis et auctoritatis historiam tradideris, quae magnam rerum copiam contineat, in varias partes digrediatur, et non nifi post longum quafi iter ad exitum adducatur; haec iis narratio minime placebit, taedium excitaveris, voluptatem non item: fcilicet historiam narraveris minus ad eorum captum compofitam, quod varias istas partes mente complecti non posfunt, nec perfpicere, quo tandem modo cunctae ad unum referantur, et non nifi unum efficiant. — Alia vero eorum

cau-

causa est, qui maiore ingenii facultate praediti sunt, vel ad maiorem ingenii cultum instituti. His contra simplex illa fabula prorsus displicebit, placebit vero unice haec summa varietate distincta historia. Causa vero huius rei haec esse videtur, quod hi, in summa illa varietate, pro ingenii sui amplitudine, omnia ad summam unitatem, quam dicunt, referre possunt; vident, quorsum singulae partes pertineant, et quomodo cum toto sint coniunctae, ut unum quoddam et totum efficiant, idque ad summum ordinem adductum et compositum. Hi demum orationibus capientur, digressionibus et varietate distinctis, quae omnia pueri vel inculti homines, pro minori ingenii modulo, complecti nequeunt." Haec Vir Cl. Ad prudentissima haec monita orator S. quoque suum, inter tria haec orationum S. genera, instituet delectum, et e singulorum generum dotibus, illas maxime adhibebit, quarum ratio *suis* praecipue auditoribus conveniat, quaeque, pro varia rerum conditione, maxime utiles esse possint. — Ita eius oratio, ad captum et conditionem auditorum accommodata, non tantum ab iis intelligi poterit, sed plurimum quoque conferet, ad eos erudiendos et emendandos. (1)

Quum

(1) Conf. a Schmidio, P. I. p. 11. laudati, Mosche,

Quum igitur officium doctoris sacri in eo sit positum, ut coetum ipsi commendatum e Codice Sacro doceat quaecunque sint ad veram felicitatem cognitu necessaria; aliquando ei tractanda erunt loca Codicis Sacri longiora et difficiliora, aliquando vero breviora et faciliora. – Quae et ipsa *locorum praelectorum* ratio ei, in delectu faciendo, erit spectanda. (1) Itaque potissimum adhibeat *primum* genus, siquidem, *vel* locus praelectus longior sit, *vel* saltem in eo occurrant insolentiora et intellectu difficiliora, quae adeo, ut rite percipiantur; accuratiori interpretatione indigeant. Quin etiam male officio nostro fungeremur, si, interpretatione illorum locorum neglecta, qualecunque tractaremus argumentum, a nobis exinde ductum.

Contra vero, cum plurima insint Codici Sa-

sche, in Disp. *de Theologia populari*, Goett. 1773. Conr. Pfenninger, *von der Popularität in Predigten*, Tom. III. Zurich, a. 1770 - 1786. Herzlieb, *über die Popularität*, in *Journal für Prediger*, Vol. XXIII. Praeterea conferri possunt Zimmermann, *de simplicitate Theologica*, in *Opusc.* laud. Tom. II. P. I. *Bijdragen tot bevordering van waarheid en godsvrucht*, T. I. p. 133 - 171. et Blair, lib. l. II. p. 192 seqq.

(1) Vid. *N. Vad. Letteroefeningen*, Vol. V. P. II. p. 200 - 212. a. 1770.

Sacro loca, breviora quidem, at gravissimum tamen argumentum exhibentia, (1) in his tractandis unice fere *secundum* genus adhibendum erit, ut, pro illorum, tum dignitate et gravitate, tum utilitate et ambitu, ipsa illa placita et praecepta ex industria rite tractemus et exponamus, omnemque impendamus orationem, in iis bene exponendis, defendendis, et ad vitae usum adhibendis. Absurdum enim sit, ob nimium interpretandi studium, vel ea quoque interpretari et exponere velle, quae nulla indigeant interpretatione, et omnia, eaque maxime aliena, quae qualicunque ratione conferri possint, sedulo colligere et ad locum interpretandum adducere.. Pari quoque modo ridiculum profecto sit, propter eiusmodi interpretandi studium, negligere prorsus illa loca, quae, quamvis non praebeant interpretandi opportunitatem, summi tamen momenti sint habenda. Quod quantopere noceat verae auditorum utilitati, unusquisque sponte sua intelligit.

Quod autem ad genus *mixtum* attinet, illud tum

(1) Vid. de eiusmodi *textibus brevioribus*, Marezoll, l. l. p. 40 seqq. qui eos prae caeteris omnibus tractandos commendat, et plurima eiusmodi dicta brevissima et sententiosa enumerat.

tum apprime adhiberi poterit, quum, vel locus praelectus longior sit, nec tamen multa contineat intellectu difficilia; vel quum brevior sit, et simul eiusmodi dicta complectatur, quae prolixiore explicatione indigeant; vel etiam, quum, *et* propter verborum difficultatem ampliore interpretatione opus sit, *et* simul ipsum argumentum, iis exhibitum, pro gravitate sua et difficultate, ex industria magis tractari et exponi debeat. Cuiusmodi quidem loca quum, in Codice Sacro, maximo numero obvia sint, haec generis *mixti* ratio omnium saepissime, in orationibus sacris habendis, usurpanda erit.

Caeterum etiam, hac in causa, non negligenda erit *ipsius oratoris indoles* et facultas. — Etenim, quoniam in nulla re aliquem successum sperare possumus, nisi *et* cum animi ardore eam perficere studeamus, *et* illa conveniat nostrae indoli nostrisque studiis, denique *et* nostris facultatibus viribusque par sit habenda; pariter quoque oratori sacro haec omnia tenenda erunt, tum in tota ratione, qua suas habeat orationes; tum etiam in delectu ex variis his concionandi generibus faciendo.

Etenim sunt, quibus peculiaris inesse videtur facultas, *et* religionis dogmata perspicue, graviter et ad tenendos hominum animos aptissime, explicandi, *et* rationis humanae placita

ad

ad Christianam doctrinam illustrandam confirmandamque adducendi. Sunt vero alii, qui, cum in exegetica parte excellant, pro indole sua, inprimis sacrarum literarum interpretatione delectentur. Hi, magnam sibi, in philologia et antiquitate, doctrinae copiam congerentes, ita interpretis personam pro concione agere possunt, ut difficillimis etiam Codicis Sacri locis lucem afferant. (1) Qui igitur illis gaudet dotibus et facultatibus, ei *secundum* genus; qui contra his excellit, huic *primum* ultro sese commendet, necesse est.

Et sic quidem, quoad eius optime fieri possit, suis quisque utatur animi ingeniique dotibus et facultatibus: suam quisque attendat indolem, suamque animi propensionem. Ita sponte unusquisque sibimet ipse augebit suum in perfungendo munere studium et delectationem, et cum gravitate et utilitate suam ipse coniunget iucunditatem.

Hac ratione fieri aliter vix potest, quin in diem magis, et prodesse studeat ipsi Christianorum coetui, et illis, quas ei largita est divina benignitas, dotibus et facultatibus sensim meli-

us

(1) Conf. Wagenaar, *zeven lessen over het verhandelen der Heilige Schrift, in de godsdienstige bijeenkomsten*, eerste les, Amst. 1771. edit. II.

us utatur, ut quam maxime dignum sese praestet summo illo honore, quo, ceu Dei Christique minister et legatus, et coetus Christiani pastor et antistes, ornatus fuit. Ita demum, optimo modo, suo munere fungetur, et in omnium rerum, quae ad illud pertinent, delectu, huic Paulli parebit praecepto:

Πάντα δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε.

WOPKE WOPKENS BROUWER,

LEOVARDIA-FRISII,

IURIS CAND.

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

COMMENTATIO,

AD

QUAESTIONEM,

AB ORDINE

IURIDICO

PROPOSITAM:

„ *Doctrinae Iuris, quo Romani, impuberi-*
„ *bus aut inconsultae aetati adolescentum,*
„ *prospicere studuerunt, vis et natura,*
„ *maxime in ineunda obligatione, et ra-*
„ *tione iurium, quae iis in iudicio compe-*
„ *tunt, admoto lumine historiae rite de-*
„ *clarentur.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Das Hauptgeschäft des Auslegers des Römischen Rechts, muss darauf gerichtet seyn, durch Reflexion über die einzelnen gegebenen Entscheidungen, die Grundsätze, von welchen die Römischen Juristen ausgiengen zu entdekken, und so rückwärts schreitend, das ganze zu vervollständigen.

A. F. J. THIBAUT, Theor. der Log. Ausleg. des R. R. § 32. p. 132. (Ed. 2de 1806.)

PRAEFATIO.

Spes securitatis, mutuique praesidii, sociavit ab initio hominum genus; quos enim ipsa natura necessitudine quadam coniunctos, sui appetentes, et ad convictum pronos formaverat, pravorum audacia coegit ut civitates legibus institutisque conderent, quibus possent viribus collatis iniuriam, aut factam vindicare, aut imminentes laesiones praevenire et antevertere: (1) sed varia civium conditio, variam flagitabat curam. Quid foeminae? Nonne leges Civiles compensare debuerunt rerum gerendarum imperitiam, et sexus imbecillitatem, in iudicio animi et viribus physicis conspicuam, quibus masculis inferiores natura eas formaverat? Civibus etiam et peregrinis, absentibus et praesentibus, mente captis et sana mente gaudentibus non eodem modo debere prospici, non tantum utilitatis sed necessitatis etiam ratio suadet, ut ex bono et aequo cuique sua iura salva essent, et scopus civitatis attingeretur, qui tutum iuris exercitium, singulis tribu-

(1) „ Hanc ob causam maxime ut sua tenerent respublicae civitatesque constitutae sunt, nam etsi duce Natura congregabantur homines tamen spe custodiae rerum suarum urbium praesidia quaerebant." Cic. *de Offic. II. c.* 21. add. *III. c.* 5. et *de Leg. II. c.* 5.

buendum postulat. — Inprimis verò animi intentione digna habenda est disquisitio; quibus potissimum modis aetatis defectus sit supplendus, et subveniendum iis, quos vel infantia a suarum rerum administratione omnino arceat, vel rude adhuc parumque excultum iudicium captionibus, multorumque insidiis expositos reddat. Merito igitur haec cura continuo occupavit Romani Iuris conditores, ne detrimentum caperent inprimis ii, quos patria potestas non defenderet; sed merito etiam nobilissima Facultas Iuridica in Academia Rheno-Traiectina studiosae iuventuti quaestionem proposuit: „ de „ vi et natura doctrinae Iuris, quo Romani „ impuberibus aut inconsultae adolescentum „ aetati prospicere studuerunt, maxime in ineunda obligatione, et ratione iurium, quae „ iis in iudicio competunt, quam admoto lu„ mine historiae elaboratam voluit."

Huius igitur quaestionis utilitas, et iucunditas ex elegantiori Iuris Romani studio percipienda, adeo mihi adriserunt, ut, licet vererer, ne vires sufficerent iuveni, in principiis rationibusque, quibus scriptae rationis conditores innitebantur, debita perspicuitate exponendis, tenuitatem tamen virium intendere decrevi, mihi persuasus, nonnihil certe utilitatis in me redundaturum esse ex opera in tam utili labore consumta.

At

At vero dubius ab initio haesi in intellectu ipsius quaestionis, cuius tamen sententia, omnibus perpensis, haec visa fuit, ut tradatur expositio *momentorum* et *rationum*, quibus nitantur varia, circa minorum sive personas sive bona, Romanorum placita, quae in iure Iustinianeo reperiuntur, quique ex iis placitis spectentur *effectus ratione aliorum civium;* ita tamen, ut afferantur et illustrentur ea, quae ex historia Iuris prorsus necessaria sunt, ad doctrinam Iuris Romani intelligendam, sed nec negligantur, quae, licet tempore Iustiniani obsoleta, ad universam tamen Iuris Romani conformationem et compositionem, quo ad hanc materiam magis minusve faciant, et proinde etiam ad Historicum et Philosophicum conspectum Iuris novissimi. — Voluit autem nobilissima Facultas Iuridica, praecipuam curam navari in exponendo Iure, quod impuberibus et adultis in ineunda obligatione et in iudicio competat, ideo ut videtur, quia hae partes uberrimae visae fuerint, et prae ceteris disquisitione dignae; in doctrina certe de contrahendis obligationibus in eo imprimis versari debuit Legislatorum cura, ne ab una parte absterrerentur alii cives nimio minorum favore, ab altera vero, ne facilitas contrahendi limitaretur propter fragile minorum iudicium;

sed

ſed nec minus ampla videri debuit de reſtitutione in integrum materia, quae videtur contineri ſub iuribus *quae minori in iudicio competunt*, non tantum quoniam remedium illud inſignis minorennitatis favoris argumentum praebet, ſed inprimis etiam quod exemplo nobis luculentisſimo ſit, quibus modis Ius Civile Romanorum per Ius Honorarium fuerit ſuppletum et emendatum.

Itaque huius disputationis tres partes facere optimum duxi, cuius

I. *Continebit expoſitionem modorum quibus Romani impuberum minorumque perſonas curare et educare, bona conſervare, ſtuduerint, fideli aptaque administratione.*

II. *Aget de iurium adquiſitorum translatione aut novorum adquiſitione, quibusque principiis nixi, Romani iis conſuluerint; in qua igitur ſpecialiter de externis eius effectibus erit videndum.*

III. *Denique, post expoſita ordinaria remedia minoribus praeſtita, extraordinaria remedia exhibebit quibus damna lubrico aetatis contracta, apud Romanos fuerint emendata; de quorum vi et natura, ut conſtare posſit, rurſus indagari debere videntur eorum effectus ratione conſortium, aut obligationum accesſoriarum.*

PARS

PARS PRIOR.

DE CURA PERSONAE BONORUMQUE IMPUBERUM ET ADULTORUM IN GENERE.

In prima hac parte quamvis liberiorem inveniamus Legislatorum potestatem, ut fere de favore tantum impuberum et adultorum quaestio sit, non de aliorum civium iniuria praecavenda, egregie tamen elucet sapientia Romanorum, nobilisque cura fragili inconsultaeque aetati quam maxime opitulandi, cum eos, quos aut natura aut emancipatio sui iuris fecerat, publica auctoritate educationi et moderamini committerent virorum fide dignorum, rebusque gerendis aptissimorum, qui vel boni patrisfamilias officium pro infante omnino susciperent, vel pro infantia maioribus supplerent ea, quae impedirent, quo minus boni patrisfamilias officio in omnibus fungi possent. – Hos ne forte auri sacra fames ad pravorum consiliorum machinationem adigeret, aut turpis languor, desidiaque negligentes redderet, non tantum ipsos, sed etiam bona eorum, pupillis obligari vo-

voluerunt, ut ubi deficeret eos adiuvandi, eorumque bona recte administrandi animus, administratorum potius damno cederet, quos nec perfectum animi iudicium, munerisque, quo fungebantur, ratio, cautos et circumspectos reddiderat (1), nec sancita poena a flagitio deterruerat, quam ut pupillorum animi corrumperentur, bona dilapidarentur impune, in ipsorum perniciem, maloque moribus exemplo.

Antequam vero magis ex professo de his videamus, caute separandae sunt aetates; impuberes enim ignorantes etiam et inviti tutores accipiunt (*l.* 6. *ff. de Tut. dat.*), nec petere eum necesse habent, quoniam hoc egreditur eorum iudicium (*l.* 2. *ff. de Tutel. l.* 2. § 2. *ff. l.* 2. *Cod. qui pet. tutor. et* Noodt. *ad tit. ff. qui petant tutor.*); curator vero praeterquam in litem nemini adulto invito datur § 2. *Inst. de Cur.* (2). Ante omnia igi-

(1) „Ex moribus populi Romani facile constabat, „primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, „fidei tutelaeque nostrae creditos. Gell. *Lib. V. c.* 13.

(2) Argumentum quod pro hac sententia adducitur ex *l.* 43. § 3. *ff. de Procur. l.* 3. § 2. *ff. de Tut. l.* 13. § 2. *ff. de Tut. dat. l.* 2. § 4, 5. *ff. qui pet. tutor.* Papiano, *lib. Resp. tit.* 35. neminem sc. praeter ipsum minorem posse curatorem petere (nisi in casu *l.* 27. *Cod. Theod. de Episcopis*) infirmare quidem studet Schul-

igitur, hanc aetatum divisionem summa, qua possimus, brevitate attingamus; dein quaedam praemoneamus de historia Curatorum dationis, cui denique commode, ut videtur, disquisitio addi poterit, qua demum aetate aptus quis censeretur apud Romanos, qui rebus suis superesse posset.

§ I.

De Pubertate.

Iustiniani aevo multae aetatum divisiones usu invaluerant, quae liberae reipublicae tempore erant incognitae; ante legem Plaetoriam (1) enim, praeter differentiam infantes inter

Schultingius *ad Ulp.* *tit.* 12. *not.* 11. quasi adulti sibi curatorem petere cogerentur, et nihilominus dici possent *non inviti* curatores accipere; sed quamvis verum sit, esse casus quibus adultus sibi curatorem petere cogatur, vid. *l.* 7. § 2. *ff.* *de Minoribus*, *l.* 6. *Cod. qui pet. tutor.* conf. *l.* 1. *l.* 7. *Cod. eodem*, nequaquam tamen hoc de omnibus est accipiendum, cum nemo non videat interpretationem illam *dicti* § 2. *Inst.* ab Latini sermonis usu plane esse alienam, et contrariam *l.* 15. § *ult.* *ff.* *de Tut. et Cur. dat.* aliis etiam argumentis hanc thesin probat Huber, *in Digr. III. c.* 15 - 17.

(1) *Lex Plaetoria.* Recte enim, ut videtur, Hugo in *His-*

ter et infantia maiores, quam ipſa natura conſtituebat (1), toga virilis ſola nota erat, qua is qui reipublicae idoneus cenſeretur (Gell. *lib. X. c.* 28.), a tironibus, iisque qui ex ephebis nondum exceſſerant, praetexta utentibus, publice distinguerentur, quae ſolemnitas togae virilis, ex conſuetudine fere, et arbitrio parentum, aut indole liberorum ſumtae (2), terminum conſtituebat, quo emenſo ſuam perſonam tueri poſſe cenſerentur, quoque tum aliorum iurium participes fierent, tum etiam ſuam tutelam reciperent, vid. Hugo *Hist. Iuris* § 81. — Abrogata tamen dein illa ſolemnitate ſub

Historia Iuris § 170. monet hoc eſſe verum nomen legis *Quinavicennariae*, (ut eam vocat Plautus, *Pſeud.* I. Sc. 3. v. 68.) quae vulgo *Laetoria* dicitur, ad Cl. van Aſſen *ad Orat. Cic. pro Cluent. c.* 16.

(1) Uſu venit haec differentia v. g. in hereditatis cretione, cum enim infans ſolennia cretionis verba eloqui non poſſet, nec hereditatem cernere potuit, ſed vid. *l.* 65. § 3. *ff. ad Situm Treb. l.* 18. § 2. *C. de iure delib.*

(2) Vid. Graevius *ad Cic. Verr. I. c.* 58. Nieuwpoort, in *Antiq. Rom.* p. 418. *in nota* quum tamen Servius Tullius *puerorum loco* eos habuerit qui 17 annis minores eſſent (Gell. *lib. X. c.* 28.) haec fortaſſe aetas illi ſolemnitati uſitatisſima fuit; ſed plura tamen ſunt exempla quo toga virilis etiam a iunioribus ſumpta fuerit, vid. Huber, *Digr. III. c.* 15.

ſub Imperatoribus, ut necesſarium videretur, aliam normam ſtatuere, ex qua de cuiusque civis conditione conſtare posſet, et utrum per aetatem ad iurium civilium exercitium admittendus esſet, nata fuit notisſima illa disſenſio, de definiendo pubertatis termino, quam non tantum ſustinuit privata Iurisconſultorum aemulatio, ſed ipſa etiam difficultas generalem aptamque regulam excogitandi, ex qua innotesceret utrum quis cenſeri posſet animi ſimul, et corporis vigorem complevisſe, nam haec pari pasſu ambulare Romanis fuit perſuaſum (1). — Senſim tamen ſenſimque haec lis videtur ſopita; imo forte iam ab initio inter illos conſtitisſe dicendum est, eum, qui pubertatis tempus jamiam erat ingresſurus, doli capacem esſe habendum (*l.* 13. § 1. *ff. de Dol. mal. l.* 11. § 26. *ff. de Dol. mal. et met. except. l.* 111. *ff. de R. I.*). Hoc certum, iam veterum ICtorum tempore quorum fragmenta in Pandectas fuerunt relata, neminem dubitasſe, quin in Edicto Carboniano (vid. Gothofredus *ad l. unicam Cod. Theod. de Ed. Carb.*) testamenti

(1) Hinc eandem aetatem, quae nuptiis contrahendis idonea viſa fuerat, ſufficere etiam putarunt ad testamenti factionem, bonorum ſuorum adminiſtrationem, alia. Vid. v. g. *l.* 4. *Cod. qui test. fac. posſ.*

ti factione, (vid. Paulus, *Sent. lib. III. tit.* 4. § 1. Caius, *Inst. lib. II. tit.* 2. §. 2. et in *Commentario nuper reperto lib.* 2. § 113. Ulpianus, *l.* 5. *ff. qui test. fac. poss.*), ut et substitutione pupillari (vid. Ulp. *l.* 2. *ff. de V. et P. S.*), sequenda esset sententia Proculeanorum, qui pubertatis ex solis annis diiudicandae initium in masculis anno aetatis 14°, in foeminis vero anno 12° definirent, ex sententia Hippocratis, Solonis aut Stoicorum; vid. Merillius, *Obs. I. c.* 22. *VIII. c.* 29. Eckhardt, *Herm. Iuris I. c.* 4. § 146, 158. ibique Walch. Aliud tamen obtinuit in stabiliendo tempore nuptiis contrahendis, et finiendae tutelae idoneo; huius enim ratione ad Iustinianum usque permansit illa iuris incertitudo, utrum ex habitu et inspectione corporis (1) aestimanda esset pubertas, an vero ex aetatis anno, aut ex utrisque coniunctis, quam demum sustulit Iustinianus, *l. ult. Cod. quando tutores esse desinant*, ubi Proculeanorum sententiam, quae in foeminis iam fuerat

(1) Raevardus, *Var.* IV. *c.* 10. et Oisel, *ad Caii Inst. I. t.* 4. *n.* 3. negant inspectionem illam corporis quam Iustinianus improbat, unquam usu obtinuisse, quod tamen extra omne dubium ponunt Schult. *ad Ulp. tit.* 11. *not.* 89. Bynckershoek, *Obs. III. c.* 24. imprimis Huberus, *Digr. III. c.* 13. 14.

rat adoptata (1), etiam in masculis sequendam voluit, tam in nuptiis (*l.* 24. *Cod. de Nupt.*) quam in finienda tutela (*princ. I. quib. mod. tut. fin.*); ut igitur Iure Iustinianeo, ubicunque impuberum mentio fiat, 14 aut 12 annis minores sint intelligendi.

§ II.

De petitione Curatorum.

Si ea, quae iam monui, conferamus cum disputatione Virorum Doctorum circa legem Plaetoriam, patebit, non ita magni usus esse quaestionem: utrum ex illa lege minores 25 annis, Curatores accipere potuerint reddita probataque causa? Cum enim lex Plaetoria eo tempore fuerit lata, quo togarum mutandarum solemnitas usu adhuc obtineret, ut ad annum fere 16^m^ vel 17^m^

(1) Sunt qui putant inspectionem corporis, in foeminis saltem, nunquam invaluisse, sed licet certum sit iam lege Iulia de *marit. Ord.* 12 annorum aetatem in foeminis fuisse definitam ad nuptias ineundas, vid. Dio. cass. *apud Huberum Digr.* 3. *c.* 14. *l.* 4. *ff. de Rit. Nupt.* in aliis tamen probabile est, Romanos pubertatem, etiam foeminarum, ex habitu corporis aestimasse. Vid. Bynckersh. *III. c.* 24. *p.* 326.

17. tutorum auxilio regerentur, profecto non tanti intererat utrum post hanc aetatem curatorem adhuc petere iis licuerit. Videamus tamen quinam ex illa lege curatores acceperint. — So. Capitolinus, *in vita Marci Antonini cap. X.* ait „ Marcum de Curatoribus, cum „ antea non nisi ex lege Plaetoria, vel prop„ ter lasciviam, vel propter dementiam daren„ tur, ita statuisse: ut omnes adulti Curatores „ acciperent, non redditis causis." Ritterus, *ad Hein. H. I. l.* 1. § 99. haec ita interpretatur, ut lex Plaetoria non minoribus propter lubricum aetatis, sed tantum lascivientibus et dementibus redditis causis curatores dari iusserit, ut propria minorum cura demum a Divo Marco initium caperet. Conf. Ernesti, *in clav. Cicer. ind. legum.* — Lex enim XII. tabularum, ut ait, non omnibus prodigis curatorem dedit, sed tantum iis, qui ab intestato parentibus heredes erant, (vid. Ulp. *tit. XII.* § 3. ibique Schult., Hugo *Hist. Iur.* § 200.); quibus igitur duodecim Tabulae non prospexerant, lex Plaetoria Curatores dari iussit. Sed ut sileam, sic Capitolino nimium tribui, ipsa Ulpiani verba indicant non legem quandam sed *Praetorem* compensasse defectum iuris XII. Tabularum; deinde, Capitolini etiam verba Ritteri sententiae obstare videntur; clare enim

in-

innuit causae redditionis veniam adolescentibus, qua talibus Curatorem petentibus, a Divo Marco fuisse datam, *adultis* enim Curatores dedit *non redditis causis*; causae igitur redditio lege Plaetoria ab adolescentibus non lascivis, et non dementibus fuit exacta, ut Curatores acciperent; sive lex Plaetoria etiam minoribus 25 annis Curatores dari iussit, sed non nisi causa cognita. Urget tamen Ritterus, existimans lege Plaetoria propinquos furiosorum, et prodigorum debuisse etiam rationes reddere, quare his Curatorem peterent, ideoque irridet sententiam eorum, qui, cum statuant unicuique sibi tantum curatorem petere licere, adultos obstringunt, ut Praetorem talibus verbis adeant. „Peto Curatorem lasciviens enim sum." Sed si attendamus, furiosis et prodigis *cui custos nec escit*, ex leg. XII. Tab. aut a Praetore secundum Ulpianum l. l. sponte, invitis etiam, Curatores fuisse datos, nec ergo necessarium fuisse, ut propinqui, allegata dementia aut lascivia agnatorum, his Curatorem peterent, non tantum firmatum mihi videtur principium Curatorem quemque sibi ordinario petere debere, sed insuper sententiae nostrae haud parum favet; nam cum certum sit causae redditionem in lege Plaetoria ab adolescentibus exactam fuisse, furiosis vero et dementibus curator sponte de-

detur, consequens est, allegare reliquos adultos debuisse caussam, quare extra dementiam et lasciviam Curatorem peterent. Nisi enim statuamus propter iustas causas ex hac lege adolescentibus non furiosis nec lascivis curatores fuisse datos, dicamus necesse est, legem fuisse supervacuam. Conf. Hein, *H. I.* § 302. Hugo, *H. I.* § 170. *not.* 4.

§ III.

Qua aetate rerum suarum administrationi idonei censerentur Romani?

Post ea quae § 1. scripsi, definitionem temporis pubertatis successisse in locum solemnitatis sumendae togae virilis, videri quidem posset constare, puberibus suarum rerum administrationem fuisse concessam; cum tamen lex Plaetoria eos demum maiores haberi voluerit qui 25 annos nati essent, quam aetatem *perfectam* dixit (*l.* 2. *Cod. Theod. de Don.* Brissonius, *Sel. Antiq. l.* 3. *c.* 2.) sciendum est, definitionem illam minorennitatis eo tantum inserviisse, ut quae infra eam aetatem gesta essent, a iudice possent rescindi, et ut de tempore constaret, quo cura semel petita et accepta finiretur, non ut definiretur terminus,

quo

quo animi facultates censendae essent satis efformatae; nam et ita Romanis fuisse visum, ex eo satis liquet, quod Curatoris datio semper beneficii loco fuerit habita, cui consequens est, quemadmodum antea qui togam virilem sumserant, sic, abolito hoc more, puberes rerum suarum administrationi sufficere visos fuisse. — Quum tamen pateret, huius aetatis minorem omnia recte gerere non posse, consuetudine forte magis quam lege invaluit, ut aetas quae olim togae virili capiendae erat usitata, in multis servaretur; sic enim videmus praetorem exemplo Nervae filii ductum ante 17 aetatis annum neminem ad postulandum admisisse (*l.* 1. *ff.* § 3. *de Post.*), qui nec iudex esse potest *secundum l.* 57. *de Re Iud.* et § 5. *Inst. qui et ex quib. caus. man. poss.* — Hinc fortasse illa prohibitio testimonium ferendi in causa criminali (*l.* 20. *ff. de Test.*), et manumittendi ante annum aetatis 20 nisi vindicta et causa probata (Caii, *Inst. l.* 1. *t.* 1. § 7. *Comm.* 1. § 40 seq. Ulp. *tit.* 1. § 13.) et hinc fortasse etiam Constantinus veniam aetatis dare noluit ante annum 20 masculorum, et 18 foeminarum, *l. un. C. Th. l.* 2. *Cod. de his qui veniam aet.* (1), ex quibus om-

(1) Hinc enim fortasse etiam invaluit definitio annorum ple-

omnibus cum iam ſatis conſtare videatur de conditione eorum, quorum iura et privilegia nunc nobis recenſenda ſunt, hoc tantum adhuc monere liceat, egregie ſic probari ſententiam, quam ſupra propoſui: neminem invitum Curatorem accipere.

plenae pubertatis quibus adoptantes adoptivis praeire deberent (§ 4. *Inſt. l.* 40. § 1. *ff. de Adoptionib.* Quod minor 20 annis non poterat arrogari ſine curatore ex Edicto D. Claudii (*l.* 8. *ff. de Adopt.* Bach. *H. I. l. III. c.* 1. *ſect.* 4. § 10.). Videatur etiam *l.* 5. § 1. *de Statu hom.* § 4. *Inſt. de Iure Perſ.* aliaque.

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE PRAECAVENDO DAMNO IMPUBERUM ET ADULTORUM.

Disputatio haec de cura patrimonii minorum, cum ad praecipua tam tutorum quam curatorum munera referatur (de auctoritate enim praestanda infra videbimus), hanc materiam me eodem loco recte absoluturum duxi, si enim finita tutela adultus curatoris auxilio non regeretur, sive quod ante Constitutionem Divi Marci idoneam petitionis causam reddere non posset, sive quod iure novo Curatorem petere negligeret, cura illa ipsi fere tota fuit relicta et inprimis remediis tantum extraordinariis fuit consultum de quibus in Parte tertia videbimus. — Ut vero ordine quodam haec Disputatio procedat ita hanc partem dividere fuit visum, ut *primo* exponamus, quibus modis Romani curaverint, ut pupillorum res potius salva esset, quam ut illi post vulneratam causam remedium quaerere cogerentur (*l. 5 ff. de Susp. tutor.*), *secundo* quaenam im-

puberibus et adultis curatorem habentibus remedia in tutores curatoresve fuerint data, quibus horum ſimul industria acueretur, laeſisque indemnitas praeſtaretur, ſi negligentia aut imprudentia administratorum aliquod damnum fuisſent paſſi. Prior disquiſitio non tantum in prudenti et diligenti attentione in dandis et removendis tutoribus et Curatoribus verſabitur, ſed etiam de modis exponet, quibus Romani proſpexerunt, ne ex administratione tutorum Curatorumve, et ipſorum adultorum damnum iis oriretur.

SECTIO PRIMA.

DE CURA ROMANORUM IN DANDIS ET REMOVENDIS ADMINISTRATORIBUS.

§ I.

De tutoribus et Curatoribus dandis.

Subvenire pupillis pertinet ad curam publicam, ut dicitur in *l.* 2. § 2. *ff. qui pet. tutor.*, et quae circa minores curatio est, studiosa cura est iis, qui proferendi leges a Deo licentiam perceperunt (*Nov.* 72. *princ.*). Eadem quoque diligentia impuberibus in dandis tutoribus, et adultis in curatorum datione prospexit. Cum enim cura, cuius maior in diem erat usus post constitutionem Divi Marci (1), ad

(1) Huic enim rei deberi mihi persuadeo, quod docetur in *l.* 5. § 5. *l.* 33. § 1. *ff. de Admin. tutor. l.* 3. *C. T. de Tut. creand.*, tutelae iudicio conveniri posse tutorem qui pupillum finita tutela non admonuerat ad Cu-

ad exemplum tutelae ſit conformata, eadem etiam iuris principia quae circa hanc obtinuerant productae etiam fere ſunt ad administrationem bonorum adultorum; de hisce igitur videamus.

Leges XII Tabularum ſolas foeminas nominatim a tutela excludunt (*l.* 73. *ff. de Reg. Iur.*) quae cum ipſae potius aliorum auxilio indigeant, et incivile ſit eos qui alieno auxilio in ſuis rebus egere noscantur, et ab aliis regantur, aliorum tutelam vel curam *ſubire*, a munere virili qualis est tutela duplici ratione arcebantur (*l. ult. ff. de Tutel.*). Praeterquam enim quod ſatis iudicii habere non intelligerentur foeminae, ut in omnibus pupillorum commoda proſequerentur, damna praeviderent, ſexus etiam perpetua tutela aliaque inſtituerentur, in ipſarum commodum, his *omnibus* factum est, ut pupillis quibusdam caſibus mulierum tutela non ſufficeret, aut hi ab eis indemnes ſervari non posſent; quum tamen naturalis amor adſcendentium Imperatores, veterum iuris principiorum non ita tenaces, duceret ad tutelam matri aviaeque volentibus concedendam, necesſe fuit, ut his tutricibus negare-

Curatorem ſibi petendum, et quod non ante conſtitutum Curatorem conferetur finiri munus tutorum.

retur favor mulieribus ex SCto Velleiano tributus; sed deinde etiam, ne novus amor tutricum aut vitrici pupillorum maritalis potestas commodorum pupillorum minus eas sollicitas redderet, secundarum nuptiarum renunciationem exigere placuit, imo non tantum tutelam sed educationem etiam (1), tanquam indignis adime-

(1) Patet sc. ex *l.* 1. *Cod. ubi pup. educ.* educationem liberorum aliquando etiam matri fuisse commissam, quamvis alius tutelam gereret, nam et pater tutoribus testamento datis mandare potest, ut saluberrimum matris consilium admittant l. 5. § 8. *ff. de Adm. tut.* Caeterum totius huius iuris historia haec est: ante Ciceronem ne mater quidem admissa videtur ad tutelam, saltem hoc non probatur verbis Livii, *l.* 39. *c.* 9. vid. Hub. *Digr. III. c.* 11. Hugo, *H. I.* § 109. qui tamen § 343. putat tutelam matris iam ante A. Severum fuisse cognitam, ex eo quod Neratius, qui tempore Traiani et Hadriani vixit, eam specialiter a principe concedi posse scribat in *l. ult. ff. de Tut.*, et Papinianus, Severi coaevus, memoriae tradiderit, eam *testamento patris* frustra matri mandari *l.* 26. *pr. ff. de Test. tut.* Hoc certum Valentinianum dein in *l.* 4. *Cod. Th. de Tut. et Cur. creand. l.* 2. *C. quando mul. tut. off.* tutelam matri concessisse renuncianti secundis nuptiis, modo non adessent tutores testamentarii et legitimi, quod tamen Iustiniano non sufficere visum fuit, qui insuper et hanc, et renunciationem SCto Velleiano a matre naturali confirmari voluit iureiurando *l.* 3. *Cod. eod.* sed rursus iusiurandum sustulit *Nov.* 94. *c.* 2. Denique ius novissimum reperitur in *Nov.* 118. *c.* 5. ubi non tantum matres

mere visum fuit, si mater aut avia nihilominus ad secunda vota se contulisſent, *l.* 1. *Cod. ubi. pup. educ. Nov.* 22. *c.* 38, 40. *Nov.* 94. *c.* 3.

Profecto tamen prohibitionem mulierum a tutelae administratione, brevi ad alios, v. g. furiosos et prodigos extendi debuisse ipsa res docet, nec mihi quidem dubium est, quin etiam coeci v. g., milites, inimici capitales, aliique ad tutelam admissi non fuerint, multum valente magistratuum, inprimis Praetorum (vid. § 3. *I. de Susp. tut. l.* 10. *ff. de Conf. tut.*) arbitrio in cura pupillorum, ubi nondum omnia nominatim essent definita. Sic licet minores etiam iure civili tutores esse possent, (Ulp. *tit.* 11. § 26, 22. ibique Schult.) ad administrationem tamen non admittebantur, et excusabantur quoniam auctoritatem interponere non possent (§ 13. *I. de Exc.* Caii *Com. lib.* 1. § 179.), ideoque a Iustiniano *l.* 5. *Cod. de Leg. tut.* ab omni tutela fuerunt remoti, salvo patronatus iure, si libertos impuberes haberent. — Latini Iuniani, uti ipsa lex quae statum illum introduxerat, caducas voluit he-

tres sed avias etiam, exclusis tutoribus legitimis, ad liberorum tutelam admisit Imperator; modo renunciarent secundis nuptiis et SCto Velleiano.

hereditates et legata iis relicta (Ulp. *tit.* 17. § 1. *tit.* 22. § 3.) incapaces etiam habiti fuerunt testamentariae tutelae, vid. Ulp. *tit.* 11. § 16. Caius *l. l.* § 23. magis tamen ob universam iuris indolem (*l.* 21. *ff. de Test. tut.*) quam quod Latini tutelae gerendae non idonei censerentur. — Sed fortasse ante omnia monere debuissem, plurimum Romanos ad tutorum curatorumque mores et facultates attendisse, ne harum tenuitas, peccandi illecebra (1), sive ad augendas eas invitaret in praeiudicium pupillorum, sive regressum in administratores red-

(1) Aliam peccandi illecebram sustulit *Nov.* 72. *pr. et c.* 5. quae actionem in pupillum tutori aut Curatori cedi vetuit, eo effectu, ut cessionarius ne quidem regressum haberet in cedentem, sed omnis obligatio pereat; imo secundum *d. Nov. cap.* 1, 2, 4. non tantum debitores omnino a tutela et cura arcentur, ne quaecunque mala impune moliri possent pro se domini eiusdem existentes, et adversarii rerum detentores nuper effecti, sed prohibentur etiam creditores (nisi mater sit, vid. *Nov.* 94. c. 2.) metu amittendi crediti; ne forte cautiones aliasve probationes debiti a minore furentur, vel corrumpant *d. N. c.* 1. hae tamen prohibitiones olim erant incognitae (vid. *l.* 70. *ff de Proc. et def. l.* 8. *Cod. qui dare tut. l.* 7. *Cod. de Excusat.*), sed tutor debitor pupilli sibi solvere poterat, aut tutelae iudicio conveniri usurarum nomine *d. l.* 8. *l.* 5. § 4. *l.* 7. § 5. *ff. de Adm. tut. add.* Cic. *Verr. I. c.* 36.

redderet inutilem (*l.* 1. *Cod. de Peric. tut.*), morum vero perversitas omnia legum praecepta eluderet, et gravissimo iuventutis educandae munere abuteretur. — Disputatio hac de re in duas partes abit, I°. enim videamus quid hac de re iudicio parentum fuerit tributum, II°. quomodo deficiente paterna cura, publica auctoritas in subsidium venerit.

In prima parte mire mixtum videmus studium veteribus principiis utendi, cum animo pupillis prospiciendi, patria enim potestas, tamquam fundamentum tutelae testamentariae, satis adiuvabat naturalem adscendentium affectum, et animum liberorum personas et bona, etiam post mortem, tuendi; sed licet potestas illa legibus data (1), universi etiam iuris indolem sequi deberet (2), tamen maximus ubique conspici-

(1) Lex enim XII. Tab. patrem familias de pecunia tutelave rei suae (si haec lectio sana est, vid. Noodt, *Obs. II. c.* 19. et *ad tit. ff. de Test. tut.*) legis modo disponere sivit, conf. *l.* 40. *in fine ff. de Adm. tut.*

(2) Hinc stricto iure curator testamento dari non potuit § 1. *I. de Cur.* et ad tutoris dationem validum per omnia testamentum requirebatur, aut ut codicilli testamento confirmati essent, *l.* 3. *ff. de Test. tut. l.* 53. *de Verb. sign.* (quod non mutatum fuit per *l.* 21. § 1. *Cod. de Test.* ut putat Noodt, *ad d. t. ff. p.* 424.) nec sufficiebat fideicommissum, vid. Caii *Comm. II.* § *ult.* Hinc nec

citur favor paterni iudicii. — Hinc oritur lata illa voluntatis paternae interpretatio, ut ne legitimi quidem tutores admitterentur, excusato aut remoto testamentario (*l.* 11. § 1. *ff. de Test. tut.* Ulp. *tit.* 11. § 23.), quasi sola tutoris datione pater prohibuisset legitimos; quod si servum alienum dedisset tutorem, quam sollicitos videmus Romanos, ut conditionem *si liber erit* pura institutione inesse intelligant, *l.* 10. § 4. *ff. de Test. tut.*? Sed inprimis fides patri habita ex eo elucescit quod eius iudicium sufficere visum fuit, nec ulteriori magistratuum auxilio indigere pupillos, cum nullus affectus extraneus vincat paternum, (*l.* 7. *pr. Cod. Th. de Cur. fur.*); sine ulla igitur in-

nec valet tutoris datio si tutor datus pro patre testamentum scripserat, *l.* 29. *ff. de Test. tut.*, quoniam hoc contrarium videbatur SCto Liboniano, quod sub poena Corneliae legis de falsis, prohibuerat in testamento alieno sibi legatum adscribere, *l.* 15. *pr. ff. ad leg. Corn. de Fals. l.* 3. *Cod. de his qui sibi adscr.*, quale exemplum vidimus in Latino Iuniano (Ulp. *tit.* 11. § 26.) alia vide apud Caium, *Comm. II.* § 231., iuncto § 34. *Inst. de Legat.* Conf. Ulpianus, *tit.* 24. § 15. Paulus, *lib.* 3. *tit.* 6. § 2. et apud Caium, *l. l.* § 234. iunct. § 35. *Inst. de Leg.*, et denique pertinet huc, *l.* 10. § 2. *ff. de Test. tut.*, quam egregie explicat Schult. *ad Caii Inst. lib.* 1. *tit.* 7. *not.* 14.

inquisitione aut satisdatione confirmabantur tutores a patre non iure, id est non ita ut oportuit, dati; summo iure tota datio erat nulla, potuisset igitur Legislator, qui in matre et extraneo heredis institutionem conditionem fecerat, sub qua tutor ab his datus confirmaretur, hanc etiam a patre requisivisse, et insuper iubere, ut magistratus inquirerent in mores facultatesque tutoris a patre non iure dati, sed quem pater probaverat magistratuum inquisitioni obnoxium fore Romani noluerunt, (*l.* 4. *ff. l.* 7. *C. de Test. tut. l.* 1. § 2. *l.* 3. § 6. *ff. de. Conf. tut.*, § *ult. Inst. de Tut.*), hoc unico casu excepto si contra SCtum Libonianum tutor aut curator esset datus, quo dolus testamentum scribentis suspicantur, et hanc igitur in rem inquisitionem exegerunt, *l.* 18. § 1. *ff. ad leg. Corn. de Fals.* — Tantus igitur est paterni favor iudicii, ut ex concessione Constitutionum (vid. *l.* 1. § 1. *ff. de Conf. tut.*), tutores curatoresque, nullo iure liberis dati, secundum eius mentem confirmentur (1), et sine inquisitione in mores facul-

(1) Sunt qui putant hanc confirmationem non ante Claudium Imperatorem obtinuisse, quoniam in *l.* 1. § 1. *cit. consularis potestatis* mentio est, per quam confirmatio fiat, cum tamen ante Claudium tutorum dandorum fa-

cultatesque dati, repleatur id quod deficit legitimae tutoris aut curatoris dationi, imo et sine satisdatione, quamvis haec pupillis expedire videri posset, propter regressum in fideiussores, *l.* 17. *pr. ff. de Test. tut. pr. Inst. de Satisd. tut.* Conf. *l.* 7. § 5. *Cod. de Cur. fur.* Plura etiam patris arbitrio fuerunt relicta, in quibus facultas solemnem inventarii confectionem prohibendi, (*l. ult.* § 1. *Cod. arb. tut. l.* 3. *Cod. de Alim. pup. praest.* Conf. omnino Vinnius, *Sel. quaest. lib.* 2. *c.* 16.) insignem locum obtinet; haec nimirum prohibitio quamvis utilitatem quandam habere possit, nec valeat ad rationum redditionem remittendam, (*l.* 5. § 7. *ff. de Adm. tut.* Vinn. *l. l.*) magis tamen fraudi Tutorum Curatorumque locum facit, et pupillis saltem facultatem adimit debitum ex inventario probandi, amissis forte chirographis, (secundum *l.* 57. *ff. de Adm. tut.* iunct. *l.* 2. *ff. de Fid. instr.*); ex quibus fere

facultas consulibus non competierit secundum Sueton. *in Vita c.* 23., § 3. *Inst. de Atil. tut.* Vid. Schult. *ad Ulp. tit.* 25. *not.* 4., nescio tamen an sententia illa sic satis probetur; fortasse dicendum hac etiam in re magnam fuisse magistratuum auctoritatem, nec constitutione opus fuisse, ut facultas, patris voluntatem extra ordinem confirmandi, iis competeret, vid. Val. Max. *cap.* 7. § 7. *num.* 5.

re dicendum esset patum ita pupillis fuisse consultum, nisi pietas paterni nominis consilium caperet pro liberis, (*l.* 22. § 4. *ff. de leg. Iul. de Adult.*); nec profecto a Magistratu exspectandum erat, eum maiorem in dandis tutoribus, vel Curatoribus diligentiam adhibiturum fuisse (1). — At vero cum arbitrium patris si nimium ei tribueretur, liberis, in quorum favorem admittitur, etiam nocere posset, huic etiam rei prospexerunt Romani; nec semper voluntatem patris aut iussum servari voluerunt, (*l.* 7. *de Ann. leg.*) sed uti non quaelibet alimenta pupillo sunt praestanda quae pater decrevit, (*l.* 2. § 3. *ff. Ubi pupil. educ. l.* 47. § 1. *ff. de Adm. tut.*) nec semper educatur ubi pater voluit, (*l.* 1. § 1. *ff. ubi*

(1) Praeter haec quae fuerint patri largita adfert Ulp. *tit.* 11. § 26. *l.* 5. *C. de Auct. praest.* secundum quam si plures tutores dedisset pater, unius auctoritas sufficiebat, quod secus erat in Legitimis et Dativis. — *Lex* 1. § 2. *ff. de Rebus eorum etc. l.* 3. *Cod. quand. decr. non opus.* quae prohibitionem bona minorum alienandi tollunt ubi pater testamento eas alienari voluit. — Et *l.* 66. 36. *ff. de R. N.* Paullus, *lib.* 2. *tit.* 19. *in fine.* ubi docet, patrem posse testamento nuptias, iure communi prohibitas, inter tutorem et quondam pupillam concedere.

ubi pup. educ.) sic etiam in admittendo tutore Praetor sequitur utilitatem pupilli, non scripturam testamenti, *l.* 10. *ff. de Conf. tut.* — Quid enim si post testamenti factionem bonis lapsus fuerit tutor, vel morum ante celata aut ignorata emerserit improbitas, aut inimicitiae cum patre exarserint? Nunc censetur pater voluntatem ante mortem mutasse, et dato tutori administratio, non nisi causa cognita conceditur, *l.* 4. *ff. de Test. tut. l.* 8, 9, 10. *ff. de Conf. tut.* Quod si pater duorum tutorum alterum minus penso consilio ad administrationem vocasset, Praetor recedit ab eius voluntate, *l.* 3. §. 3. *ff. de Adm. tut.* nec profecto si pater inventarii confectionem prohibuisset, huic dispositioni vim et effectum tribuet, si aperte obstrepat pupillorum commodis, arg. *l.* 5. § 7. *de Adm. tut. l.* 17. § 1. *ff. de Test. tut.*

At non nemini mirum, imo culpandum, fortasse videbitur, matrem naturalem liberorum altricem, quaeque non minori sed forte etiam maiori effectu erga liberos flagrare censenda sit, non tantum Iure Civili a tutoris datione removeri, sed nec quodammodo a Praetoribus caeterisque quorum tanta aequitatis cura erat, fuisse adiutas, cum etiam materna pietas consi-

li-

lium pro liberis capere censenda esset (1). Sed sciendum est patriam illam potestatem Romanam, qua solus paterfamilias utebatur in omnes qui de sua essent familia, nullo modo debuisse labefactari: ea vero potestate, cum inniteretur testamentaria tutoris datio, substitutio etiam pupillaris, cui porro insignis Iuris Civilis pars erat superstructa, recte, huic principio obsequentes, soli patri concesserunt Romani, ut suo iure impuberibus tutorem dare posset, quod a Decemviris ad Iustinianum usque sine ulla mutatione, fuit servatum. Praeterea si attendamus ad conditionem mulierum apud Romanos, quam parum, certe primis Reipublicae temporibus, ut a bellicoso minusve exculto populo, illarum iudicio fuerit tributum,

(1) In *l.* 4. *ff. de Test. tut.* docetur heredis institutionem aeque ac ab extraneo fuisse requisitam, ut matris ultima voluntas in dandis tutoribus vim nancisceretur, quam ut cum *lege* 4. *Cod. eodem* concilient interpretes nonnulli in *l.* 4. *Cod.* tollunt negationem, vid. Noodt, *ad tit. ff. de Conf. tut. p.* 426; sed quoniam sic nullus sensus idoneus est eius legis, potius cum Bynkershoekio, *Obs. l.* 2. *c.* 17. dicendum videtur *debere* confirmari tutorem a matre cum institutione liberis datum, sed aliquando etiam, si idoneus reperiatur, tutorem a matre datum *solere* confirmari, licet sine heredis institutione.

tum, de ratione facile conſtabit, quare tutorem curatoremve a patre nullo iure datum, nude confirmari voluerint Romani, a matre vero datus non admitteretur, niſi cum inquiſitione aut ſatisdatione; cum enim tutela esſet munus virile, ut propter ſexus fragilitatem ab ea gerenda arcerentur mulieres, non magis profecto admittendae erant ad iudicium de facultatibus aliorum hac in re, (*l. ult. ff. de Conf. tut.*); conſequenter igitur a matre, idem quod ab extraneo (1), amoris documentum requiſiverunt Romani, heredis nempe inſtitutionem, ut affectus erga liberos et iuris et iudicii defectum ſuppleret, et ſic matris voluntas confirmaretur. Nec quis dicat iniquum fuisſe talem confirmationi conditionem addere, de iure enim conſtituendo non agimus, ſed ſufficit doctrinam Iuris Romani ex Romanorum moribus di-

(1) Quod tutor, ab extraneo datus impuberi heredi, confirmaretur, haud dubie ſpectat pupillorum utilitatem, qui enim pupillum inſtituerat, cenſeri etiam poterat optime in tutoris datione ei conſulere voluisſe; ideoque tutorem datum etiam ad munus illud ſuſcipiendum incitarunt Romani, metu amittendae liberalitatis forte ab eodem relictae, ſi ſe excuſavisſet, *l.* 28. *pr. ff. de Test. tut. l.* 11. *ff. de Conf. tut. l.* 32. *pr. ff. de Excuſation. l.* 5. § 2. *ff. de his quae ut indign.* Conf. *l.* 1. § 3. *ff. Ubi pup. educ.*

diiudicasse, cum certum sit confirmationem tutoris aut curatoris a matre dati, cum inquisitione aut satisdatione, in commodum pupillorum cessisse, (*l.* 2. § 1. *ff. de Conf. tut.*). Hoc tamen monendum, matrem non tantum potuisse tutorem liberorum suorum suspecti accusare, sed sine ulla rationum redditione, proinde etiam testamento, aliquem a tutela curave liberorum potuisse arcere (*l.* 8. *pr. ff. eod. l.* 21. § 2. *ff. de Tut. dat. l. un. C. si contr. mat. vol.*) quoniam periniquum videbatur, ut contra parentum voluntatem, redempti forsitan tutoris vel curatoris, admittatur arbitrium, *l.* 7. *Cod. Th. de Sponsal.*

2°. Deficiente vero testamentaria tutela pupillorum favor in eo conspicitur, quod curaverint Romani, ne leges (1), aut magistratus minus aptum moderatorem personae et bonis eorum darent. — Nec enim satis erat proximum agnatum vel gentilem, (vid. *Coll. leg. Mos. et R.* 16. *tit.* 4. Noodt, *ad tit. ff. de Leg. tut.*) ad tutelam simul cum successione vocasse, aut illam commisisse libertorum impuberum patrono, huiusque exemplo patri eman-

(1) Sponte patet, quae de legitima tutela monemus, ad curam non esse extendenda, quia leges XII Tab. legitimam curam minorum non introduxerunt.

emancipatori eiusve liberis ex Constitutione Anasthasii (*l.* 4. *C. de Leg. tut.*), sed obviam ire propinquorum cupiditati, si forte spes impunitatis ad circumveniendum, aut succedendi ad flagitium incitaret; nec nimium magistratuum arbitrio relinquere boni Legislatoris officium est, quod satis diligenter Romani assecuti videntur; huc enim ante omnia pertinent quae supra generaliter monuimus de iis, qui a tutela prohibentur, sed inprimis quod ipse Praetor, quem Consules collegae nomine honorare solebant, causa cognita statuere soleat, utrum debeant satisdare legitimi tutores an minus, ut si persona honesta sit, et substantia modica remittatur ei satisdatio, (*l.* 5. § 1. *ff. de Leg. tut. l.* 18 § 1. *ff. de Tut. dat.*) sed ab administratione arceatur si plane ineptus reperiatur; ipse igitur Praetor in personam bonaque tutoris inquirit, a qua inquisitione nec excipitur Senator, (*l.* 18. *ff. de Tut. dat.*) nec fortasse pater, qui prouti praetori utile videatur, non magis quam patronus a satisdatione liberari debeat (1); imo nescio an umquam Magistratus hanc

(1) Cavendum enim est ne existimemus, Romanos patri tutori liberorum emancipatorum eadem concessisse, quae ipse tutori testamento dato concedere potest, cuius contrarium patet ex *l.* 1. § 2. *ff. Iunct. l.* 7. § 2. *ff.* de

hanc inquisitionem alii mandaverint, quod forte negandum est argumento *l.* 5. *ff. de Conf. tut.*, ubi dicitur Praetor decretum confirmationis tutoris, magistratibus mandatae, non ante interponere posse quam per inquisitionem idoneus esset pronunciatus; quid igitur nobilius (si recte coniecerim) quam quod ipsi summae dignitatis, et saepe etiam integritatis viri in quos omnium oculi haerebant, ne pupilli detrimentum caperent, inquirerent in tutores lege datos, eorumque munus eo modo moderarentur qui pupillis maxime expedire videretur, et quid praeter hoc a Legislatore poterat exigi? At iisdem magistratibus (cum antea Praetor cum Tribunis plebis, Consules et Praetores Tutelares tutores darent, vid. *l.* 3. *Cod. Th. de Tut. et Cur. creand.* Huber, *Digr. III. c.* 17.), commissa etiam fuit tutorum curatorumque datio lege Attilia in urbe et Iulia Titia in provinciis, deficientibus legitimis, et tanti habita fuit haec facultas, ut iis solis concederetur quos no-

de Rebus eorum qui sub tut., nec latet causa, voluntatem enim patris in testamento ideo imprimis sequendam voluerunt Romani, quoniam nullum alium scopum habuisse censetur praeter utilitatem pupillorum; sed aliud est, si ipse tutelae munere fungatur, tunc enim separata commoda habet a pupillo.

nominatim hoc dederat, vel lex vel SCtum, (vid. Ulp. *tit.* 11. § 21.) vel Princeps (*l.* 6. § 2. *ff. de Tut.*); imo ne eo quidem contenti Romani horum adhuc potestatem limitarunt, ut se ipsos tutores dare non posſent, (*l.* 4. *ff. de Offic. Praet. l.* 5. *ff. de Offic. Praef. l.* 4. *ff. de Tut. dat.*) (1), nec omnino munere suo per mandatarium fungi posſent nisi post orationem Divi Marci; hic enim, cum facultatem mandandi tutoris dationem magistratibus concedendam putaret, ne tamen ea in detrimentum pupillorum verteret, eos tantum mandatarios admisit, quibus illud speciatim concesſisſet, puta legatos, (*l.* 1. § 1. *ff. de Tut. dat.*) et magistratus municipales, si magnae non esſent pupillorum facultates, (*l.* 3. § 19. *ff. de Tut. dat. l.* 2. § 23. *ff. ad SCtum Tertullianum*, § 4. *Inst. de Att. tut.*) Cae-

(1) Ne quis tamen putet huc etiam pertinere quod docetur, in *l.* 6. *ff. de Tutel. l.* 7. *Cod. qui dare tut.* tutorem a magistratu dari non posſe sub conditione, quod patri tamen conceditur, *l.* 8. § 2. *l.* 10. § 4. *ff. de Test. tut.* § 3. *I. qui Test. tut. dari*, et in *l.* 32. *pr. ff. de Test. tut.* Secundum quam pater etiam ex alia civitate tutorem dare potest, quamvis hoc magistratui ordinario non liceat, *l.* 1. *l.* 24. *ff. de Tut. dat. l.* 5. *Cod. qui dare tut.* Prior enim prohibitio ex eo oriunda videtur quod tutoris datio sit actus legitimus, (*l.* 77. *ff. de R. I.*). quamvis dubitet Höpfner, *Comm. ad Inst.* § 200. Altera vero quod magistratus extra territorium privatus sit, *l.* 3. *ff. de Offic. Praef.*

Caeterum hos omnes, ut paratiores redderent Romani ad tutoris dationem, matres, cognatos libertosque necessitati adstrinxerunt impuberibus tutores petendi, statutis variis poenis in negligentes, vid. *tit. ff. qui pet. tut.* Mitto, ex pluribus tutoribus datis uni committendam fuisse administrationem, legumque curam in casibus, si tutor aut curator valetudine aliave caussa impediretur, rebus pupilli aut minoris superesse. Singula enim persequi sit infinitum. Quae dixi egregie probant minorennitatis curam, et quanto cum studio diversi Iuris Civilis fontes sibi invicem adiuvaverint in pupillorum commodis promovendis, cum etiam incidentes quaestiones, in quantum fieri posset, ex eorum utilitate definirentur, vid. *l.* 3. *C. de Conf. tut.* — Recte igitur Iustinianus nihil hac in re mutavit, nisi quod magistratibus municipalibus facultatem concessit, tutores curatoresque dandi, non exspectato iussu Praesidum, modo 500 solidorum summam non egrederetur patrimonium pupillorum, et tutor curatorve fideiussoribus datis rem pupilli salvam fore cavisset, § 5. *I. de Att. tut.*

§ II.

§ II.

De tutoribus et curatoribus removendis.

Vidimus quam cauti fuerint Romani in committenda tutoribus et curatoribus educatione, et bonorum moderamine pupillorum. Superest, ut quaedam addamus de modis eos ab administratione iam ſuſcepta, ſi non ex fide gererent, removendi. Sed cum plurimum hac in re arbitrio Magiſtratuum maiorum fuerit relictum, de ſuſpecti crimine vi ordinariae iurisdictionis iudicantium, cumque ſatis notae ſint poenae, quibus doloſi aut latitantes (de quibus vid. Cl. Gramata *ad Part. I. Inſt. p.* 362. *ſeqq.*) tutores curatoresque puniantur (1), et quod etiam ſatis offerentes removeantur, defuncturum me putavi, ſi pauca attulerim, quibus modis proſpexerint Romani ne ſuſpecti illa accuſatio fortasſe omitteretur, et negligentibus, imo forte doloſis tutoribus, fragilis impuberum imprimis aetas obiiceretur, quae perpendere non poteſt, an quid fraudulenter,

(1) Monendum hic est creſcere perfidiae crimen officii ſuſcepti ratione, ut graviori quam ordinaria poena coerceretur tutor, vid. *l. un. Cod. Th. l. un. C. Iuſt. ſi quis eam cuius tut.*

ter, an quid ſegniter geratur, *l.* 5. *Cod. de Suſp. tut.* Hoc enim ſpectavit Praetor, cum pupillorum gratia ductus contra iudiciorum conſuetudinem, ad ſuſpecti accuſationem, non tantum matres aviasque pietatis necesſitudine ductas, ſed etiam quasvis alias mulieres admitteret, quae non ſustinerent pupillorum iniuriam, § 3. *I. l.* 1. § 7. *ff. de Suſp. tut.* — Huc etiam pertinet quod interrogari poſſe ſervum pupillarem, ubi pupillorum intereſſet, generaliter docetur, in *l.* 34. *ff. de Adm. tut. l.* 12. *ff. de Suſp. tut.* Conf. Bynkersh. *Obſ. IV. c.* 25. et apud Paulum, *Sent. lib.* 5. *tit.* 16. § 2. ſi aliter inſtrui non poteſt iudex tutelaris. Inprimis vero hic memorandum eſt ſapiens illud inſtitutum, quo contutores ſuo periculo ad mores, (nam bonorum deminutio non eſt cauſa ſuſpecti accuſationis) collegarum attendere iuberentur. Nam cum aut teſtamento aut lege, imo etiam a magiſtratu, ſaepe plures tutores darentur, non tantum ſe invicem officii ſui certiores facere debuerunt, (*l.* 47. § 2. *ff. de Adm. tut.*) ſed etiam negligentia contutorum in doloſo aut negligenti collega accuſando admisſa, tutelae iudicio fuit vindicata, ſi a ſuſpecto indemnis ſervari non posſet pupillus, vid. *l.* 14, 46. § 6. *ff. de Adm. tut. l.* 1. § 15. *ff. de Tut. et rat.*

dis-

distrah. l. 26. *de Div. tut.*; tutori etiam honorario (de quo vid. *d. l.* 14. § 1. *ff. de Solut. l.* 3. § 2. *ff. de Adm. tut. l.* 26. § 1. *ff. de Test. tut.*) eique qui propter rerum notitiam datur, (vid. *d. l.* 14. § 1. *l.* 32. § 1. *ff. de Test. tut.*) idem officium fuit impositum, cum eadem negligentiae poena, (*l.* 1. *Cod. de Per. tut.* Conf. *l.* 9. § 8. *ff. de Adm. tut.*), ut igitur duplici ſtimulo diligentia tutorum administrantium augeretur, metu ſcilicet actionis tutelae, qua ipſi tenerentur, et diligentia etiam collegarum, quorum intererat pravum tutorem a tutela removeri.

SEC-

SECTIO SECUNDA.

DE CURA ROMANORUM IN BONORUM ADMINISTRATIONE TAM IMPUBERUM QUAM ADULTORUM.

Quum, quae in Sectione anteriori monuimus, de cura circa mores facultatesque tutorum et curatorum, referri posſint ad damna quae perſonae et bonis pupillorum immineant, iam magis ex profesſo de iis videamus, quae tendunt ad conſervationem bonorum, tam impuberum quam adultorum, etiam curatorum auxilio non utentium. Romanis enim perſuaſum erat, publica auctoritate ſupplenda esſe, quae aetas ipſis minoribus denegaret, et hinc non tantum a tutoribus curatoribusque boni patrisfamilias officium exegerunt (*l.* 33. *ff. de Adm. tut.*) ſed etiam in quantum fieri poterat, praecavere ſtuduerunt, ne damna, vel ex adminiſtratione tutorum et curatorum, vel etiam ipſorum adultorum naſcerentur. Ex his vero nemo non videt plurima esſe, quae per ipſam rei naturam praecaveri non potuerunt, nam Legislatoris pro-

providentiam excedit in antecesſum ſtatuere, quid minori ſemper et ubivis expediat, ſed neceſſario ea, quae ex re nata diiudicari debent (v. g. utrum expediat rem quandam emere aut aliquem contractum inire) arbitrio tutorum curatorumque, imo et adultorum curatorem non habentium, relinquenda erant, in quibus igitur nihil ſupererat, niſi ut post vulneratam cauſam remedia quaererentur; ſed ubi damna illa anteverti poſſe viderentur, hanc viam, et minoribus et reipublicae utiliorem, potisſimum ſequendam existimarunt Romani; hac igitur de re nunc videndum.

§ I.

De alienationibus.

Plurimae in Iure Romano prohibitiones reperiuntur alienationum rerum pupillarium, et quidem imprimis bonorum immobilium, non tantum quoniam in his fortasſe maior cadere poſſet affectio, ſed etiam quod domini haec conſervare vario modo intereſſe poſſet; ante Severum tamen nulla talis prohibitio occurrit (1), ſed rata habebantur quae a tutoribus aut

(1) Fortasſe tamen dicendum, iam ante Severum procu-

aut curatoribus bona fide gesta essent (*l.* 12. § 1. *ff. de Adm. tut. l.* 17. *eodem.*), ut etiam res mancipi, quarum tamen Ius Civile quam maxime rationem habuit, auctoritate tutoris alienare possent (Ulp. *tit.* 11. § 27. ibique Schult. *n.* 83.), sed salvis tutelae actionis et restitutionis in integrum remediis; Imp. Severus demum tutoribus curatoribusque, patri etiam si hoc munere fungeretur, facultati interdixit praedia rustica et suburbana (i. e. intra 100 lapidem sita, vid. Gothofr. *ad l.* 2. *Cod. Th. de in integrum restit.*) alienandi, nisi pater hoc testamento iussisset, aut Praetor, vel Praeses decreto interposito significasset, alienationem illam sibi non obstare videri utilitati pupillorum, *l.* 1. 6. § 2. *ff. de Rebus eor. l.* 2. *C. si adv. don. l.* 3. 10. *C. de praed. minor.* (1), ipsam alienationem sine de-

tutoribus omnem facultatem alienandi fuisse denegatam, vid. *l.* 2. *ff. de Eo qui pro tut. l.* 8. *pr. ff. de Rebus eorum etc.* Sed ipsis tutoribus hoc licuisse colligi potest, ex *l.* 47. § 1. *ff. de Minor. l.* 5. § 9. *ff. de Adm. tut.*

(1) Tale decretum etiam requiritur in qualiumcunque rerum donatione, quae sine hoc ipso iure nulla est secundum, *l.* 1. § 2. *ff. de Tut. et Rat. dist. l.* 22, 46. *ff. de Adm. tut.* sed an etiam hoc ius Severo acceptum referemus? Non videtur; etenim Iuris Consulti Roma-

decreto factam, aut si Praetori in interponendo decreto fuisset obreptum, ipso iure nullam esse voluit, ut rem vindicare posset pupillus aeque ac si nulla alienatio intervenisset, *l.* 1. § 2. *l.* 5. § 15. *ff. de Reb. eor.* — Haec prohibitio vero tam de emphyteusi, usufructu, hypotheca et servitute in iis bonis, constituendis, deque repudiatione hereditatis aut legati quo talia bona relicta essent, quam etiam de mancipiorum rusticorum alienatione fuit intellecta, *l.* 3. § 4.

mani hoc ex regula illa derivant, quod tutor domini loco habeatur cum administrat, non cum spoliat, (*l.* 7. § 3. *pro Empt. l.* 12. § 1. *l.* 27. *ff. de Adm. tutor.*) quae forte ipsis debetur, ne fictio in pupillorum favorem introducta, iis noceat, et cuius applicatio iudicis arbitrio maxime relinquenda est, diiudicaturo v. g. utrum novatio aut transactio deminuendi causa fuerit facta, et utrum iusiurandum fuerit delatum, cum nondum aliae omnes probationes deficerent, quod si iudicatum fuisset, ipso iure nullum esset, quod tutor gesserat, aeque ac si donavisset, (*l.* 22. *ff. de Adm. tut. l.* 20. § 1. *ff. de Novat. l.* 46. § 7. *ff. de Adm. tut. l.* 54. § 5. *l.* 56. § 4. *ff. de Furtis. l.* 17. § 2. *l.* 35. *pr. ff. de Iureiur.*) aut pro pupillo pacti essent ne petat, (*l.* 28. § 1. *ff. l.* 22. *C. de Pactis*,) quoniam sc. non censetur tutor fuisse, ubi haec gereret. Certe quod in *L* 12. § 1. *ff. de Adm. tut.* docetur rata haberi quae tutor *bona fide* gessit, non ita interpretari nos debere ac si, quae *mala fide* gessisset, semper ipso iure nulla essent, mihi probatione indigere non videtur.

4. 5. *l.* 5. § 8. *l.* 7. § 3. *ff. de Reb. eor.* *l.* 13. *Cod. de Praed. min. l.* 22. *Cod. de Adm. tut.* quare vero in tanto ſtudio praedia rustica minoribus conſervandi, nulla praediorum urbanorum mentio fiat, ingenue fateor me non videre, niſi dicendum ſit rationem differentiae in eo ſitam esſe, quod loca aedificiis vacua minoribus magis utilia ſint, quippe non tantis ſumptibus obnoxia, quae tamen vix ſufficere videtur, inprimis cum obiici posſet, ideo magis urbanorum praediorum alienationes debuisſe prohiberi, quoniam haec imprimis irreparabali detrimento posſent affici, ut ne quidem per in integrum reſtitutionem indemnis ſervari posſet minor. — Sed quomodocunque ſit, hoc certum Conſtantino etiam viſum fuisſe, Severum minorum utilitati non ſatis proſpexisſe, cum praedia Urbana et mobilia pretioſa etiam ex lege *vendi* deberent, (*l.* 22. *Cod. de Adm. tut. l.* 3. *C. de Peric. tut.*) quod ipſi minorum utilitati maxime adverſum videbatur, ideoque harum etiam rerum alienationi tutoribus curatoribusque interdixit, (*d. l.* 22. cui iung. *l. ult. Cod. ſi adv. vendit.* et Gothofr. *ad l.* 3. *Cod. Th. de Contr. empt.*) relicta tantum facultate, ſupervacua mobilia et animalia, aut quae nullius fere pretii esſent, nec ſervando ſervari posſent, ſine decre-

creto alienandi, *l.* 4. *C. Th. quando decr. opus*, *l.* 28. § 5. *Cod. de Adm. tut.* — At ne his quidem contenti Arcadius et Honorius, aurum et argentum minorum, quaeque praeterea servando servari possint, in tutissima custodia collocari voluerunt, facto eorum inventario et impositis sigillis; praedia vero, si in eorum patrimonio non invenirentur, comparari ex pecunia aliisque mobilibus, aut si minor praedia haberet, periculo tutorum curatorumque pecuniam foenori collocandam iusserunt, *l.* 4. *Cod. Th. quae est l.* 24. *Cod. I. de Adm. tutor.* Conf. *l.* 5. *pr. ff. eod.* Sed utrum periculum, ex foeneratione auri et argenti minorum, Iustiniano non tantum fuerit visum, ut porpterea satius videretur eos usurarum augmento carere, an etiam aliae rationes eum impulerint, vix constat: at certe constitutionem illam Arcadii, ita transformavit Tribonianus, ut omnium mobilium etiam pretiosorum foeneratio tutoribus curatoribusque, suo periculo (1) fuerit

(1) *Suo periculo:* id est, ut ipsi usuras solvere cogantur si pecuniam v. g. vacuam reliquissent, nam etiam tutor ipso iure ad usurarum praestationem obligabatur, usque ad diem sc. latae sententiae, vel restitutionis tutelae, *l.* 1. § 3. *ff. de Usuris l.* 7. § 15. *ff. de Adm. tut.* imo legitimae usurae (id est centesimae Iure Pandec-

rit iniuncta, nisi tamen expediret praedia iis comparare, (*d. l.* 24.); sublata rursus fuit foenerationis necessitas *Nov.* 72. *c.* 6. — Iure igitur novissimo defunguntur administratores pecuniam eadem conditione et quantitate restituendo qua acceperunt,, aut rationes reddere debent alienationis, etiam redituum, earumque rerum quae servando servari non possunt, sed nec mobilia pretiosa, nec immobilia eorum alienari possunt, sive a tutoribus curatoribusque, de quibus SCtum nominatim loquitur, sive ut videtur ab adultis curatorem non habentibus arg. *l.* 8. § 1. *l.* 11. *ff. de Reb. eor.* Vid. P o t h i e r, *ad d. l.* 8. *tom.* 2. *p.* 587. *not.* 7. (in 4to).

Sed quid si nihilominus res immobiles aut mobiles pretiosae essent alienatae, et ab aliis possessae per tempus ad implendem usucapionem, vel praescriptionem requisitum? Ut constet quinam damni praevertendi modi, quaenam remedia hac in re a Romanis fuerint adhibita, omnino distinguendum est, inter ius ante Iustinianeum, et ius novum. — Iure antiquo cum usucapio per legem XII Tab., sine ulla restrictione, tam de rebus mancipi quam nec

dectarum) ab eo peti potuerunt si pecuniam pupillarem in suos usus convertisset, *l.* 7. § 3. 4. *ff. de Adm. tutor.*.

hec mancipi (Ulp. *tit.* 19. § 8.), adeoque de omnibus rebus corporalibus intra Italiam ſitis, introducta ſit, (vid. Cic. *Top. c.* 4.) pertinuiſſe eam etiam ad bona minorum dubitari nequit, imo, licet alii diſſentiant, ad tempora usque veterum ICtorum, ex quorum fragmentis Pandectae ſunt compilatae, hoc ius non tantum contra adultos, (*l. un. Cod. ſi adv. uſuc.*) ſed etiam contra impuberes obtinuiſſe, mihi quidem ſatis conſtat, ex *l.* 45. *ff. de Min. l.* 2. *ff. de eo qui pro tutore*, *l.* 13. § 2. *ff. de Publiç. act. l.* 2. § 15. *l.* 7. § 3. *ff. pro empt. l.* 4. § 24. *ff. de Doli mali et metus except.* nec adfirmare dubito, ad Iuſtinianum usque uſucapionem tam ad res minorum, quam maiorum pertinuiſſe; cum nullibi civilis ille modus adquirendi dominii abrogatus fuerit favore minorum, quod nec Praetor potuit, licet, ut infra videbimus, contra impletam uſucapionem reſtitutionem conceſſerit, *d. l. un. Cod.*

Idem obtinet in praeſcriptionibus; cum enim Principum Conſtitutionibus (forte etiam Edicto perpetuo) proſpiciatur, ne cui longa poſſeſſio (immobilium provincialium) auferatur, vid. § 2. *I. de uſucap.* Praetoris etiam Iurisdictionem excedere debuit, curſum temporis praeſcriptioni ſtatuti contra minores impedire; at iam ab initio

D tio

tio in introducenda praescriptione placuisse videtur, ut contra impuberes non curreret, saltem in *l.* 48. *pr. ff. de Acquir. rer. dom.* (1) legimus, horum bona non potuisse longo tempore capi, et ex *l.* 3. *Cod. de Praescr.* 30 *vel* 40 *ann. l.* 1. *C. Th. de Act. certo temp. fin.* constat, ne longissimam quidem praescriptionem contra eos potuisse impleri, nec ergo locum esse restitutioni in integrum contra praescriptionem, si res *impuberum* agatur; sed licet exempla sint, quibus praescriptio etiam ante Iustinianum non curreret contra adultos, uti iam Valeriani tempore contra eos non impleri potuit quinquennium, quod querelae inofficiosi inservit, (*l.* 2. *Cod. in quibus caus. in int. rest.*) nec quinquennalis praescriptio, qua is, qui a fisco rem alienam emisset, tueri se poterat, (§ *ult. I. de Usuc. l.* 3. *C. si adv. fiscum*) nequaquam tamen hoc de omnibus praescriptionibus est intelligendum, sed temporales etiam praescriptiones, de quibus hoc non nomi-

(1) Propter hanc legem vulgo negant Iure Pandectarum *usucapi* potuisse res pupillares, sed ex verbis *longo tempore capi* satis probari videtur ibi de rebus provincialibus impuberum agi *praescriptioni l. t.* non obnoxiis; quid enim per *l. t. usucapionem*, tempore Pauli intelligi potuerit, non video, nec emblema Triboniani admittendum est, ubi satis sanus est sensus.

minatim sancitum erat, contra minores currebant, salvo tamen in integrum restitutionis auxilio, vid. *l. 5. Cod. in quibus causis in integrum restit.*

Ita iure antiquo; at Iustinianus in *d. l. 5.* et *l. 6. Cod. de Rep. hered.* „ in omnibus „ causis, in quibus vetera iura, currere quidem temporales praescriptiones adversus *minores* concesserant, per in integrum restitutionem autem iis subveniebant, has praescriptiones ipso iure non currere" sancivit; longissimam vero praescriptionem non tantum in suo statu manere voluit, sed nec rescindi per restitutionem in integrum (1), quae igitur sola differentia etiamnum inter impuberes et adultos obtinet. — Sed quid de usucapionibus dicendum, an per eam etiam iure novo, extraneo adquiri possunt immobilia Italica et mobilia minorum? Non videtur; Iustitianus enim in *l. unic. Cod. de Usuc. transf.* totum Ius Civile antiquum circa usucapiones transformavit, et in locum modi adquirendi dominii per posses-

(1) Uti igitur haec restitutio denegatur quoniam publica utilitas ei obstare videretur sic etiam, in *l. 37. ff. de Minor.* exemplum est restitutionis contra temporalem praescriptionem denegatae, actionis sc. iniuriarum quae nimis odiosa videbatur.

ſesſionis continuationem, temporis lege definiti, ſubſtituit exceptiones, propter posſesſionem 3, 10, 20, 30 annorum competentes, quibus bonae fidei posſesſor res mobiles immobilesque, ita firmo iure (ut ait) posſideat quaſi per uſucapionem acquiſitas; abolevit itaque veterem uſucapionem, aut ſaltem (nam de nomine non laboro) praeſcriptionis naturam ei indidit, quoniam non amplius ipſo iure dominium per posſesſionem transit, ſed domino tantum, post non interpellatam posſesſionem cum animo ſibi habendi, actio denegatur ſtricto iure competens, aut exceptio obiici potest, quod praeſcriptioni proprium est; ut iure novo dicendum ſit, non tantum bona minorum uſucapi non posſe, ſed nec bona corporalia aut incorporalia amittere eos potuisſe per praeſcriptionem, niſi longisſima ſit quae contra adultos currit.

§ II.

De ſolutionibus accipiendis.

Abſolvimus curam circa conſervationem bonorum tam impuberum quam adultorum, cum vero etiam ad boni patrisfamilias officium pertineat, debitores ſuo tempore ad ſolvendum debitum interpellare, rurſus proſpexerunt Roma-

mani ne incuria administratorum aut adultorum curatores non habentium, minoribus noceret; sc: Divus Severus, cum olim minores contra omissam debiti interpellationem in integrum possent restitui, quasi hanc restitutionem ipso iure concederet, in re moram esse voluit circa pecuniaria fideicommissa, quae minoribus relicta essent, (vid. *l.* 26. § 1. *de Fidec. libert. l.* 3. § 2. *ff. de Adim. leg.*) eo effectu, ut ipso iure debiti usurae currant, (vid. *l.* 87. § 1. *ff. de Leg.* 2. quam recte huc refert Noodt, *de Foen. et usuris lib.* 3. *c.* 10. *p.* 212.) quod cum aequitati satis convenire videretur, ICtorum fortasse interpretatione etiam de fideicommissariis libertatibus fuit intellectum, ut ingenui nascantur ex matre, quae licet libertatem nondum petiisset, eam tamen petere potuisset vi fideicommissariae libertatis ipsi datae, *d. l.* 26. § 1. imo ulterius adhuc processisse Romanos patet ex rescripto Dioc. et Max. in *l.* 3. *Cod. in quib. causis in int. rest.* ubi docetur in bonae fidei contractibus et legatis, debitorem minoris, aeque ac in fideicommissis, sola tarda solutione moram nectere, ut si forte emptor partem tantum pretii, pro fundo a minore empto debiti, solvisset, alteram cum usuris (1) mi-

(1) Aestimari debuerunt hae usurae a iudice ex bono

minori praestare obligaretur, *l.* 5. *Cod. de Act. empt. vend.* Conf. Noodt, *l. l.*

Ne quis tamen putet, quod in *l.* 87. § 1. *ff. de Leg.* 2. docetur, has usuras, si semel intervenerint, perpetuo deberi, ita intelligendum esse, quasi debitor, per quem forte non stabat, quominus obligationi satisfaceret, omni casu eas solvere cogeretur; hoc enim negatur in *l.* 28. § 1. *ff. de Adm. tut. l.* 17. § 3. *ff. de Usuris*, ubi usurae deberi dicuntur non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium, id est: non ut minores ex alieno damno lucrum quaererent, sed tantum, ne per omissam interpellationem, destitueretur minor usuris, quas petere potuisset debitorem in mora constituendo; de modo tamen, quo debitor minoris si forte obligationi principali satisfacere impediretur, liberare se posset ab usurarum praestatione, dissentire videri possent Marcellus

no et aequo, ut dicitur in *l.* 12. § 9. *ff. Mand.* id est vel quincunces, vel trientes, vel leviores etiam pro more Provinciae, *l.* 7. § 10. *l.* 53. *ff. de Adm. tutor.*, ita ut iure Pandectarum etiam ad legitimas sive centesimas posset condemnari debitor, (*d. l.* 7. § 4. 7. 10. *d. l.* 54. *l.* 38. *ff. de Neg. gest.* et Alexander, *l.* 1. *Cod. de Usur. pup.*) non vero Iustinianeo Iure, quo ultra semisses non obligatur, vid. Noodt, *de Foenor. et usuris lib.* 2. *c.* 14. *in fine. l.* 26. § 1. *Cod. de Usuris.*

lus et Ulp, cum prior debitorem ab usurarum augmento liberet, ex quo totum debitum obtulit, (*l.* 28. § 1. *ff. de Adm. tut.*) Ulpianus vero non tantum oblationem, verum etiam obsignatam depositionem debiti requirat (*l.* 1. § 3. *ff, de Usuris*), ut illa liberatio contingat. — Sed recte observavit Noodt, *de Foen. et usur. lib.* 3. *c.* 15. Marcellum, qui sub D. Pio vixit, ignorasse Severi Constitutionem, potuisse igitur, cum nondum sola tarda solutione mora necteretur, de *praecavenda mora* agere, ne usurae currere inciperent, et hac de re eum re vera sollicitum fuisse ex ipsius verbis videre est; dicit, enim debitorem minoris, qui *conventus* est ad debitum solvendum, usurarum praestatione (quae interpellatione etiam ante Severum in bonae fidei iudiciis currere incipiebant) liberari, si per eum non stetit quo minus solveret, id est: non incipere cursum usurarum propter interpellationem, si mora ipsi imputari non possit, cuius generis est si debitum obtulit, quoniam oblatio satis declarat debitoris voluntatem obligationi satisfaciendi, *l.* 17. § 3. *ff. de Usuris.* — Sed cum Ulpiani tempore usurae ipso iure favore minorum currere inciperent in bonae fidei iudiciis, necessario in *d. l.* 1. § 3. de *sistendo usurarum cursu* intelligendus est, ubi docet usuras semel

cur-

currentes non sisti, nisi oblatione, obsignatione et depositione totius debitae pecuniae; nec mirum, cum eo tantum modo liberatio contingat, (*l. 9. Cod. de Solut.*) et obligatio principalis simul cum accessoria, aeque ac per solutionem, tollatur, *l. 7. § 2. ff. de Min. l. 7, ff. de Usuris.*

Egregie igitur prospectum fuit inconsulto minorum iudicio in bonae fidei iudiciis; (in iudiciis stricti iuris secus est, quoniam ibi per interpellationem debitor non obligatur ad usuras, *l. 122. § 5. ff. de Verborum oblig.* Noodt, *de Foen. et usur. l. III. c.* 15.) videmus enim, damna ex omissa interpellatione, non tantum ipso iure praecaveri, ut contra hanc negligentiam minores sponte tuti sint, sed auxilium etiam illud sine ulla adversariorum iniuria iis largiri, qui defungantur modo obligationi accurate satisfaciant, imo semper etiam cursum usurarum sistere possint, ut si hoc omiserint, damnum patiantur sua culpa, quod pati non intelliguntur, *l. 203. ff. de R. I.*

Caeterum quod in *l. 25. 27. Cod. de Adm. tut.* sanxit Iustinianus, solvi non posse tutoribus curatoribusque nisi accedente sententia iudiciali, magis spectat commodum debitorum minorum, ut restitutionis auxilium evitare possint quam ipsorum minorum, etenim Iusti-

tinianus ita non videtur mutationem fecisse in illa regula, qua stricto iure liberetur debitor per solutionem tutoribus aut curatoribus factam (*l.* 46. § 7. *ff. de Adm. tut. l.* 49. *ff. de Solut.*) uti omnia bona fide gesta a tutoribus vel curatoribus rata habentur, vid. *l.* 12. § 1. 17. *ff. de Adm. tut.* — Hoc tamen monendum, adulto curatorem non habenti recte solvi non potuisse, ut debitor liberetur, sed aeque ac impuberi tutoris, sic adultos curatoris auxilio indiguisse, hinc enim debitor ad curatoris petitionem hanc in rem eum cogere potuit, vid. *l.* 7. § 2. *ff. de Minor.*

§ III.

De defensionibus.

Sentention in minorem indefensum lata ipso iure nulla est, ut ait Paulus, *Sent. lib. I. tit.* 13. § 4. *l.* 54. *ff. de Re iud.* (1) et non

(1) Quoniam tamen quod in alicuius favorem est introductum, non ita interpretandum est, ut ipsi fiat damnosum, hinc sustinetur sententia quae minori expedit; hoc saltem colligi potest, ex *l.* 14. *Cod. de Procur.* ubi sustinetur sententia pro minore lata, qui sine curatore causam suam alteri agendam mandavisset, cum tamen non magis procuratorem in litem dare possit, quam ipse litem

non tantum minor, nisi veniam aetatis impetravisset, (*l.* 1. *Cod. Th. de Tutor. l.* 11. *Cod. qui dare tut.*) ad curatorem sibi petendum cogi potuit initio litis, (§ 2. *Inst. de Cur.*) sive actoris, sive rei partes sustineret, sed nec solus litem coeptam ad finem perducebat, *l.* 1. *C. Th. de Denunciat. l.* 6. *Cod. Th. unde vi, l. ult. Cod. qui leg. pers.* Hac igitur in re nulla differentia est inter impuberes et adultos sed uterque in iudicio vel a tutore, vel a curatore defendi debuit, *l.* 30. *ff. de Adm. tut.* Distinguitur tantum inter infantes et infantia maiores; pro illis enim soli tutores litem suscipere debuerunt, sed pro infantia maioribus auctoritatis praestatione defungebantur, *l.* 1. § 3. *ff. eod.* aut si mallent, soli defendere poterant, nam iam veteribus placuerat pro populo, pro libertate et pro tutela, potuisse alieno nomine agi, vid. § 2. *I. De iis per quos agere poss.* Sed haec attigisse sufficiat, ut et quod a tutoribus curatoribusque etiam hac in re boni patrisfamilias diligentia fuerit exacta, (*l.* 10. 20. *ff. l.* 14. *Cod. de Adm. tut.* Conf. *l.* 10. § 1. *ff. de Alien. iud. mut. causa*) cui ne quidem puberes sufficere censerentur; magis ex re

tem suscipere, *l.* 2. *Cod. qui leg. pers. stand. in iud. l.* 1. *Cod. qui pet. tut.*

re nostra est, quod in iudiciis ita coniunctae habitae fuerint, et quasi in unam transformatae personae defendentium cum impuberibus et adultis, ut eadem iura, quae iis in iudicio competerent, etiam in pupillos transferrent, sic enim si tutor aut curator esset magistratus maior (1), Hadrianus sanxit eos μήτε εἰσιέναι δίκην ἰδίαν, μήτε διωκόντων, μήτε φευγόντων· μήτε περὶ ὧν ἐπίτροποι ἢ κουράτορες εἶεν κρινέτωσαν, (*l.* 48. *ff. de Iud.*) id est: nec debent, sive actorum, sive reorum nomine, propriam caussam agere in iudicio, nec eorum quorum tutores aut curatores sunt. — Aliud exemplum est, in *l.* 26. § 6. *Cod. de Episc. aud.* secundum quam si tutor immobilia bona possideat, cautio iuratoria iudicio fisci in causa pupilli sufficit, conf. *l. ult.* § 1. *Cod. de Sportulis*, iunct. *l.* 15. § 5. *ff. qui satisd. cog.* — Et in *lege unic.* § 2. *ff. si ius dic. non obtemp.* ubi ipsi tutores et curatores, in Edictum si ius dicenti non obtemperavit incidere dicuntur, non pupilli, quae omnia ex litis dominio derivanda sunt, quod in procuratorem, litis contestatione demum transibat, quoniam huic contractus for-

(1) *Magistratus maior.* Hi enim ἀρχόντων nomine intelligendi sunt in hac constitutione Hadriani. Vid. Schult. *Diss. de Rec. iudicis c.* 6. § 10. Noodt, *ad tit. ff. de Iudic. p.* 117.

forma erat indita, sed tutoribus et curatoribus ipso iure erat proprium, etiam ante litis contestationem, quoniam factum tutelae vel curae suscipiendae, etiam futurarum litium eos dominos faciebat, conf. *l.* 28. § 3. *Cod. de Adm. tut.* — Caeterum quod Iustinianus sibi persuasit se paratiores redditurum turores curatoresque, ad defensionem pro minoribus suscipiendam, si in scriptis hoc expressissent ante susceptam tutelam, (*l.* 28. § 4. *C. de Adm. tut. Nov.* 155. *c.* 1.) licet in utilitatem minorum tendat, valde tamen dubito an magis efficax fuerit, quam quod *Nov.* 72. *c.* 8. iureiurando de fideli administratione cavere administratores iusserit. Conf. Clar. G. de Wal, *Over den invloed der Wetb.* etc. *Bijv.* p. 188 *seqq.*

SEC-

SECTIO TERTIA.

DE IIS QUAE ADULTIS PROPRIA SUNT.

Cum, quae superioribus Sectionibus monuimus, praecipua sint quibus Romani personis bonisque impuberum et adultorum consuluerunt, ad praevertenda eorum damna, iam ad remedia iis concessa progredi possemus, nisi adhuc peculiaria quaedam de minoribus essent sancita, et in quibus ab impuberibus differunt; nos non morabuntur quae, ut supra vidimus, propter maturescens sensim iudicium iis fuerunt tributa, quod v. g. ad personam suam tuendam sufficere viderentur, nec ad nuptias contrahendas auctoritate indigerent, quod possint testamentum facere patresfamilias, ad testimonium in testamento praebendum admittantur, imo et ad alia, si plenae pubertatis terminum explevissent, quae vel eius naturae sunt, ut ipsis detrimentum adferre non possent, vel propter ipsorum, vel ob publicam utilitatem, iis concedendae erant, nam in his, si lubrico aetatis laesi essent, per in integrum restitutionem (v. g.

con-

contra accusationem, (vid. *l.* 1. § 2. *ff. de Bonis libert. l.* 15. § 6. *ff. ad leg. Iul. de Adult.*) subveniri iis sufficiebat. — Sed alia res est, si minores aetatis veniam impetravissent, quod si temere esset factum, insigni et irreparabili iis detrimento esse poterat, cum non tantum ipso iure curatoris auxilio destituerentur, sed et omnia gerere posse censerentur (1), quae alias curatori tantum concederentur, (nam quae alienationes praediorum et rerum mobilium curatoribus interdictae fuerunt, nec veniam aetatis impetranti concedebantur, *l. unic. Cod. Th. l.* 2. 3. *Cod. I. de His qui ven. act.*) sed restitutionis etiam eximium remedium iis denegaretur, (*l.* 1. *Cod. eod.*) quo tamen indiguisse fortasse probari possent. Huic igitur rei, cum antea a Consulibus et Praetoribus, saepe in praeiudicium ipsorum impetrantium, venia aetatis concederetur, prospexerunt Severus et An-

(1) Habuisse enim illos personam standi in iudicio certum est, ex *l.* 1. *Cod. Th. de Tutoribus*, *l.* 11. *C. I. qui dar. tut.* nec eorum debitores ipso iure in mora fuisse constitutos satis probatur, si attendamus hoc ius ex restitutione ipso iure competente, contra omissam interpellationem derivari. Caeterum historiam prohibitionum qua, qui veniam aetatis impetravissent, suarum rerum alienationi interdicti fuerunt exponit Noodt, *ad tit. ff. de Min. p.* 89.

Antoninus, facultatem illam solis Imperatoribus reservantes, qua ipsi perraro usi fuerant, (*l.* 3. *pr. ff. de Min.*) ne, facilitate veniam aetatis impetrandi, efficeretur, ut talibus etiam tribueretur, qui tamen per aetatem boni patrisfamilias officio sine auxilio fungi non possent; ulterius etiam hoc confirmavit Constantinus in *l. unic. Cod. Th. l.* 2. *Cod. de His qui ven. aet.* ubi hanc veniam maribus concedi noluit ante annum aetatis 20, nec foeminis ante 18, imo ne his quidem nisi, advocatis testibus honesta dignitate praeditis, morum institutum, probitatemque animi indubitate probavissent.

Tutelam Sexus, cui non tantum mulieres adultae sed maiores etiam suberant, et quae igitur proprie ad nostrum institutum non pertinent, silentio praeterire possemus, nisi ratione iuriumi mulierum minorum inprimis dubitationi ansam praeberet Cicero *in Top. c.* 11. quae mihi tanti momenti visa fuit, ut plane non sine negligentiae labe praetermitti posse videretur. — Cicero sc. mulieribus sub tutela sexus constitutis, adeoque et minoribus, recte sine tutore auctore solvi potuisse docet; Ulpianus vero in *l.* 7. § 2. *ff. de Min.* innuit adultum sine curatore non potuisse debitorem liberare, quae cum parum sibi consentanea sint, quia sic dicendum esset, mulieri minori plus lice-

cere quam masculo, quod tamen contrarium est, non tantum moribus, sed etiam iuri recepto (1) Romanorum, hinc igitur Schult. *ad Ulp. fragm. tit.* 11. *not.* 3. et ad *Paulum Lib.* 2. *tit.* 19. *not.* 34. his casibus mulieribus, minoribus saltem, praeter tutorem sexus etiam curatorem datum fuisse existimat; at cum ex Ciceronis loco pateat, *solam* mulierem potuisse solutionem accipiendo debitorem liberare, Schultingii sententiae accedere nequeo, sed potius dicendum videtur iuris mutationem post Ciceronem hac in re obtinuisse, inprimis si ad verba Caii, (*in Comm. lib. II.* § 85. *lib. III.* § 141.) attendam, quibus probatur, eius tempore (quo tamen tutelae sexus vis maxime erat fracta, vid. *ibidem lib. I.* § 190. *lib. II.* § 122. iunct. Ulp. *tit.* 11. § 25.) mulierem non potuisse debitores suos acceptilatione liberare; Ciceronis sc. aetate cum pubertatis tempus impleri adhuc censeretur circa annum aetatis 17, nulla tan-

(1) Sic v. g. sola mulier testamentum facere non potuit Ulp. *tit.* 20. § 15. Caii *Comm. lib.* 2. § 118. *lib.* 3. § 43. nec nubere poterat sine tutoris auctoritate, Cic. *pro Flacco c.* 34. Livius, *lib.* 4. *c.* 9. sed masculo minori nulla talis auctoritas necessaria fuit, *l.* 8. *C. de Nupt.* Aliud exemplum vid. in *l.* 3. *C. Th. de Contempt.*

tanta cura minorum necesſaria fuit quam postea, ubi tutela aetatis anno 14 vel 12 finiretur, imo nec mirabimur, ſi attendamus mares eo tempore non niſi propter iustas rationes tamquam per beneficium curatores potuisſe accipere, potuisſe igitur eos ſi vellent ſolutionem accipere, et ſic debitorem liberare, mulieribus etiam minoribus nonnulla concesſa ſuisſe in bonorum ſuorum administratione, quae mutato dein pubertatis termino et efformato in diem Iure Civili, potius ipſis deneganda viderentur. Sed uti in maribus, ſic in foeminis maior dein cura extitisſe videtur Romanorum, puberibus etiam ſubveniendi, quo magis pateret cura illa non tantum mares, ſed foeminas etiam indigere, et huic igitur tuto iuris illam mutationem referre mihi videor, ut dicendum ſit Ciceronis aetate mulierem etiam minorem aeque ac mares potuisſe recte ſolutionem accipere, ſed adoptato principio minori non posſe recte ſolvi niſi accedente curatore, (quod post Claudium invaluisſe videtur) facultatem illam non tantum mulieribus minoribus, ſed etiam maioribus ſuisſe ademtam.

CAPUT SECUNDUM.

DE EMENDANDO DAMNO IMPUBERIBUS ET ADULTIS DATO.

§ I.

De personis quae pupillis, et adultis curatorem habentibus, obligantur.

Explicato modo, quo Romani minorum personis bonisque, tum in dandis et removendis tutoribus et curatoribus prospexerunt, tum in praecavendis damnis ex bonorum administratione imminentibus, proximum est, ut de remediis quae pupillis competant moneamus. Sed relatio illa quae moderatores inter eosque quorum bona administrantur, ex iure locum habet, paulo altius repetenda videtur.

Ab initio sc. Romanis propositum fuit omnes obligationes, in quantum fieri posset, ex voluntariis factis personarum quae se obstringunt, repetere, cum libertati personali videretur contra-

trarium, cives Romanos aliis vinculis teneri nisi quibus ipsi se alligavissent; huius enim studii documenta non tantum v. g. in litis contestatione, adoptione et testamenti factione per aes et libram, reperimus, quibus omnibus contractus forma fuit indita, (vid. Weber, *über die Nat. Verb.* § 8.) sed inprimis in obligationibus quasi ex contractu et quasi ex delicto, ubi ne sola lex videretur obligationem imponere, contractus et delicti defectum a lege compensatum videmus, eo colore quasi ex his obligatio nasceretur, quae tamen, certe plurimis in casibus, revera a sola lege propter aequitatem aut utilitatem publicam imponeretur, vid. Weber, *l. l.* § 9. *p.* 25. Conf. *l.* 1. *ff. de Relig.*

Sic si tutor educationem et bonorum moderamen pupilli suscepisset, non quidem dici poterat cum eo contraxisse, cum tamen ex contractu tantum civilem obligationem admitterent, Romani, (vid. *l.* 1. *ff. si mensor. falf. mod. dix.*) nec ab altera parte ferendum esset, ex administratione bonorum pupillarium, nullam aliam obligationem et actionem nasci praeter personalem illam ex legibus XII Tabul. quae dolum tutoris rationes tutelae distrahentis coercebat, (*l.* 55. § 1. *ff. de Adm. tut.*) excogitata fuit civilis obligatio, quasi ea quae

publica auctoritate tutori mandata fuisſent, gesſisſet mandato ipſius pupilli, ut lex defectum contractus fulciens, aequitatis momento ſimiles ex tutela gesta obligationes utrimque nasci iuberet, ac ſi mandatum intervenisſet, quo tutor boni patrisfamilias officium ſusciperet; et ſic igitur defectum Iuris Civilis hac in re ſupplere conati ſunt Romani, antequam cognita esſet Praetorum iurisdictio, qui deinde in Iure Civili adiuvando maximam operam poſuerunt.

Non tamen omnia, quae mandati *actioni* propria esſent, ad directam tutelae actionem extenſa fuerunt, quod pati non videbatur publica utilitas; in mandatario enim *inprimis* turpis est culpa, quae duas res ſanctisſimas violat, amicitiam et fidem, ſed tutor invitus fortasſe merum onus ſuscipit in commodum pupilli de quo igitur merito mitius fuit conſultum, et exacta tantum fuit eadem quae in rebus ſuis diligentia *l.* 1. *pr. ff. de Tut. et rat. dict.*, ut ubicunque officia boni patrisfamilias, minori in rebus pupilli cura implevisſe iudicaretur, quam in ſuis, aut plura ex eorum patrimonio erogasſe, quam ipſe pupillus honeste erogavisſet, actione tutelae indemnitas ei praeſtaretur (1). — At haec de fundamento tutelae actio-

(1) v. g. ſi tutor fundum intercedente decreto aliena-

tionis directae et contrariae sufficiant, quae deinde ICtorum interpretatione ad curatelam sunt extensae, *utilium* actionum nomine. Non tamen omittendum est, ipsos magistratus maiores has iudicare debuisse non datis arbitris, sive iudicibus pedaneis (*l. un. C. Th. de Litig.* ibique Gothofr.) ex quo colligi potest, Romanos non nisi summos in republica viros, admittere voluisse ad iudicium ferendum, ubi minorum res ageretur; nam et Valentinianus, spreta iudicis ordinarii cognitione, minoribus ad altiorem iudicem ire permisit, quod tamen maioribus interdixit *l.* 10. *Cod. Th. de Iurisd. l.* 4. *Cod. de Iurisd. omn. iud.* — Quamvis favorabilis igitur sit haec actio, si tamen filiusfamilias tutelae aut curae munere functus esset, ex huius gestione patrem non ultra peculium conveniri posse placuit, (*l.* 37. § 2. *ff. de Adm. tut. l.* 11. *ff. de Tut. et Rat. dist.*) nisi tutela a patre esset agnita (*l.* 7. *ff. de Tut.*); sic enim ex omni causa praeter delictum (*l.* 58. *ff. de R. I.*), filiusfamilias patrem de pecu-

navisset sine necessitate *l.* 10. *ff. de Reb. eor.* Si non distraxisset quae servando servari non possent *l.* 7. § 1. *ff. de Adm. tut. l.* 3. *Cod. de Per. tut.* Si canones praedii emphyteuticarii non solvisset *l.* 20. *Cod. de Adm. tut.* Si conditionem donationis omisisset, aut insinuare neglexisset *l.* 2. *C. Th. l.* 21. *C. eod.* et sic porro.

culio obligare potest *l.* 57. *ff. de Iud. l.* 3. § 9. *ff. de Pec. l.* 3. § 4. *l.* 5, 6. § 2. *ff. rer. amot. l.* 1, *Cod. ne fil. pro patre.* — Ipse quidem filius in solidum obligatur, (*d. l.* 57. *l.* 44. *ff. de Pec. l.* 39. *ff. de Oblig. et act.*) sed, post emancipationem aut exheredationem propter status mutationem, conveniri demum potest in quantum facere posset *l.* 37. § 2. *ff. de Adm. tut. l.* 11. *ff. de Tut. et rat. dist. l.* 3. § 4. *ff. de Min.* Hac igitur in re strictum ius commune, propter valida omnino utilitatis publicae momenta fuit servatum, cum in tutoris curatorisque datione satis prospici potuisse videretur utrum pupillus ab administratoribus filiisfamilias indemnitatem consecuturus esset, deinde etiam praeter actionem tutelae, plurima eaque egregia ipsi supererant remedia; de quibus nunc videamus.

Inter haec ante omnia recensenda est actio de rationibus distrahendis, quae cum legibus XII Tab. introducta sit, (vid. *l.* 55. § 1. *ff. de Adm. tut.*) adeoque iam per tria et quod excurrit saecula invaluisset, antequam Aquilius Gallus de dolo vindicando cogitaret, quo pubes laederetur, egregie probat, in ipsa infantia iurisprudentiae, id egisse Romanos, ne dolus tutorum iis noceret qui sine Legislatorum auxilio se contra fraudes fallaciasque tueri non pos-

posſent. — Caeteris, ut et actioni protutelae, quae ſatis cum actione tutelae convenit, ſuperſedere poſſe mihi videor, et potius ad obligationes eorum veniamus, qui fidem pro tutore vel curatore interponerent.

In eo enim pupillorum favor egregie elucet, quod non tantum ſi ſatisdedisſet tutor aut curator, pupillus ex ſtipulatu agere posſet contra fideiusſores in ſolidum, ſed quod eadem etiam obligatio iis imponeretur, qui nulla ſtipulatione interveniente, nudo tantum conſenſu, ſignificasſent ſe obligationi tutoris curatorisve accedere (1) vid. *l.* 4. § *ult. ff. de Fideiusſ. et nom.*, imo quod maius adhuc est, nominatoribus etiam et affirmatoribus, qui cum tutores esſent dati, potiorem nominavisſent, (Paulus, *Lib.* 3. *tit.* 28. § 1 *ſeqq.*) aut hunc vel alium idoneum ad tutelam curamve gerendam praedicasſent, (*d. l.* 4. § *ult.*) qui omnes periculo tutelae, ſingulari omnino iuris diſpoſitione, obſtricti ſunt, et civili actione ſtricti iu-

(1) Utrum mater ſi „ ſpecialiter eius periculo tutorem dari" decreto fuerit comprehenſum, ex hac intercesſione teneatur, disquirit Schult. *ad Paul. lib.* 2. *tit.* 1. § 2. Conf. *l.* 9. *Cod. arb. tut.* et Paulus, *lib.* 1. *tit.* 9. § 4. Obſtat enim SCtum Velleianum ſi nude intervenerit.

iuris conveniri posfunt, quamvis vel nulla, vel plane non sufficiens causa obligandi adfuisset, et forma ordinaria contractus omnino deficeret. — At cum praeterea ne his quidem beneficium concedatur divisionis contra ipsum pupillum, si omnes pro uno intervenerint, (*l. ult. ff. rem pup. sal. fore*) tutores vero honorarii, id est, qui non administrant, de gestis administratorum tantum teneantur si hos suspecti non accusaverint (1) (*l.* 2. *C. de Div. tut.*), aut pupillus ab administratoribus suum consequi non posfit, hinc quaeritur quaenam sit huius differentiae ratio? Papinianus in *d. l. ult.* circa tutores honorarios respondet: „ aequitas „ arbitri et officium boni viri, videtur illam „ formam iuris desiderasse", quod, ut intelligatur tenendum est, beneficium divisionis, ex epistola Divi Hadriani, non ipso iure divisisse obligationes sua natura solidarias, sed officio iudicis tantum, nonnullis debitoribus solidariis,

(1) Imo hoc casu, si omissa fuerit suspecti accusatio, non tantum fideiussores, sed et magistratus qui suspecti criminis reum dedissent, ante cotutorem posfunt conveniri, *l.* 1. § 15. *ff. de Tut. et rat. distr. l.* 46. § 6. *de Adm. tut.* quoniam his imputari potest quod non inquisiverint in mores tutorum, qualis culpa cotutori non incumbit.

is, propter aequitatem concesſiſſe exceptionem, ſi creditor unum ex debitoribus conveniret contra aequitatem; iam vero Romanis viſum fuit, pupillum quidem contra aequitatem tutorem honorarium convenire ante administratorem, ideoque huic exceptionem ordinario dederunt, ſed ex mente tamen Hadriani exceptionem denegandam putarunt fideiusſoribus, ea ut videtur ratione ducti, quod hi ſponte in ſe ſusceperant ſolidariam obligationem tutoris, et proinde ante introductum beneficium ordinis, de iniquitate quaeri non posſent, ſi huic obligationi etiam ante tutorem aut confideiusſores ſatisfacere cogerentur, cum tamen aequitatis ratio honorarium tutorem defenderet, ne eius cauſa deterior fiat ex alieno facto. — Sed haec quaestio tantum pertinet ad fideiusſores ab uno eodemque tutore datos, nam profecto cum fideiusſorum cauſa gravior esſe non debeat principali, idem beneficium quod ſingulis contutoribus tribuitur, etiam ad ſingulorum contutorum fideiusſores pertinet, ut nempe fideiusſores tutoris honorarii, non magis de gestis tutoris administratoris, ante huius excusſionem, conveniri queant, quam ipſe tutor honorarius *l.* 6, 7. *ff. de Fidei. et nom.* — Antequam igitur Iustinianus in *Nov.* 4. *c.* 1. fideiusſo-

foribus beneficio ordinis confuluit (1), ut cum effectu conveniri nequeant ante debitores principales, electionem habuerunt pupilli, utrum vellent ipfos tutores curatoresve, an vero fideiusforum, nominatorum, aut adfirmatorum quemcunque convenire in folidum, quorum posteriores nulla exceptione eum repellere potuerunt, modo actiones cederet quibus a correis indemnitatem posfent confequi *l. ult. ff. rem pup. falvam fore.*

Cum vero fic iam egregie pupillorum indemnitati profpectum videri posfet, non tamen fubftitit Romanorum fertile ingenium, in excogitandis beneficiis quibus aetatis indigentiae confuleretur, fed fi etiam fic pupillus fuum confequi non posfet, ipfis eorumque heredibus fubfidiaria, quam dicunt, actione ex SCto Traiani (*l. 5. Cod. de Mag. conv.*) indemnitatem praeftare conati funt a magistratibus minoribus, qui probare non posfent, fe fatis diligenter tutores curatoresve dedisfe, et ab iis fatisdationem exegisfe (*tit. ff. de Mag. conv.*), hoc fortasfe principio nixi, quod vi mandati fe-

(1) Cum in *Nov. citata* nulla fideiusforum distinctio fiat, nec etiam caufa videtur adesfe, quare non etiam beneficium ordinis concedendum fit fideiusforibus, in fecuritatem pupillorum a tutoribus vel curatoribus datis.

ſecundum quod tutores curatoresve dedisſent, (mandatum enim in magistratu minore requirebatur ad tutoris dationem) cenſeantur obligati fuisſe ad idoneos tutores curatoresve dandos (1), ut non tantum ipſi eorumque heredes conveniri posſent ſi huic mandato non obtemperavisſent, nullosque administratores dedisſent, ſed etiam de damno pupillis dato, ex eo quod parum idoneos dedisſent; quod ſi recte comiciam, exemplum hic habemus mandati, ubi actio non ipſi mandanti competit, ſed ei in cuius utilitatem mandatum intervenit, eodem modo, ut etiam ex contractibus tutorum ſuo nomine initis, aliquando utilem actionem pupillis dari, infra videbimus.

§ II.

(1) Vulgo docetur ſubſidiariam actionem esſe actionem tutelae directam, quae extendatur ad magistratus minores, tum propter *l.* 9. *de Mag. conv.*, tum quoniam eadem eius natura est, quae detur etiam in heredes, et quod *utilis* actionis nomine aliquando veniat; ſed cum ex *d. l.* 9. hoc non ſatis probari videatur, et ex nostra etiam doctrina ſequatur eam debuisſe in heredes transire, et utilem vocari, ſententiam meam ideo magis probabilem puto, quod ex ea ratio reddi queat, quare in magistratus maiores non detur, quare teneantur magistratus ſi omnino tutores non dederint, et denique quaenam ſit cauſa quod magistratus tantum in ſubſidium teneantur, hoc unico caſu excepto quo tutor datus ſuſpectus fuerit remotus, vid. *pag.* 72. *in nota.*

§ II.

De pupillorum iure in rebus sibi obstrictis.

De personis quae impuberibus et adultis propter tutelam vel curam erant obligati, satis ni fallor exposuimus, restat ut de iuribus realibus quae iis concedantur quaedam addamus. Sc. notum est obligationes proprie sic dictas, nullum creditori ius apud Romanos tribuisse in bona debitorum, sed ut haec a quocunque possessore repeti possent, debuisse aliud accedere, v. g. ius pignoris vel hypothecae; cum igitur plures adhuc casus existere possent, quibus pupilli mero casu fortuito suum consequi non possent, (forte dato idoneo tutore a patre vel a magistratu maiore qui dein bonis lapsus esset), ut melius adhuc minoribus consuleretur quam omnibus illis actionibus personalibus, lex bona tutorum, curatorum et protutorum pignoris iure obligata voluit, a tempore susceptae administrationis. — Valde tamen disputatur quo tempore hoc ius fuerit ortum, et plurimi statuunt, ICtos quorum fragmenta in Pandectas fuerunt relata, hoc ignorasse, sed eorum tempore privilegium tantum personale pupillis fuisse tributum inter creditores chirographarios tutorum curatorumque;

sed

ſed quamvis ex Ulpiani *l.* 19. § 1. *ff. de Reb. auct. iud. poſſ.*, nihil ulterius probari poſſit, nec ex ſpeciali caſu in *l. 7. pr. ff. qui pot. in pig.* poſſit concludi ad generale pignus tacitum iam tunc conceſſum, (vid. Gothofr. *ad l.* 1. *Cod. Th. de Adm. et per. tut.*) nec *lex un. Cod. rem al. ger.* ſatis evincat Severi et Antonini tempore hoc pignus iam invaluiſſe, (Huber, *ad l.* 20. *tit.* 2. *ff.* § 4.) mihi tamen illa ſententia ſatis probabilis videtur; etenim hoc ius non introductum fuiſſe a Conſtantino *lege* 20. *Cod.* quae est *l.* 1. *C. Th. de Adm. tut.*, ſed iam ante eum obtinuiſſe, ſatis certum est, tum ex ipſis legis verbis, tum ex aliis rationibus a Gothofredo allatis *ad d. l.* 1.; Hermogenianus igitur qui Conſtantini tempore vixit in *l.* 25. *ff. de Tut. et rat. diſtrah.* de pignore legali egiſſe videtur ſub nomine *privilegii in bona tutorum* (1), quae eadem locutio cum inveniatur apud Paulum *l.* 44. § 1. *ff. de Adm. tut.*, dici potest etiam huic pignus legale in bona tutorum innotuiſſe, ſaltem quomodo privilegia *in bona* interpretari queamus, privilegium *inter credito-*

(1) Privilegii enim nomine aliquando etiam pignus denotari certum est, ex *l.* 24. § 1. *l.* 34. *ff. de Reb. auct. iud. poſſ. l.* 12. § 1. *in fine Cod. qui pot. in pign.*

tores chirographarios, non video. Praeterea si hanc sententiam admittamus optima ratio reddi potest, quare sub poena legis Corn. de falsis tutores curatoresve, vectigalia aut alias res de patrimonio Caesaris conducere, pro hibiti fuerint a Severo (vid. *l.* 49. *ff. locat. l.* 1. § 9. *ff. ad l. Corn. de Fals. l. un. Cod. ne tut. vel cur. vect.*) ne sc. fiscus pignus legale in eorum bona nasciscatur, quod cum *omnibus* aliis pignoribus praeferatur, inutile redderet pignus pupillorum, profecto enim *huic* conductioni tutoribus interdictum fuit in utilitatem pupillorum, sed si utilitas illa in eo tantum quaerenda est, ne privilegium inter creditores chirographarios inutile fieret, poenae magnitudini parum respondere videtur commodum pupillorum; inprimis vero me movet *l.* 9. *ff. rem pupillum salv. fore*, ubi ea quae tutor in patrimonio habet in tutelae iudicium venire dicuntur, ex quo mihi saltem satis probari videtur, iam Pomponii aetate tutorum curatorumque bona obligata fuisse pupillis, ut si adhuc in possessione essent tutores. actione tutelae ea petere possent, quod ordinaria actione tutelae, quae quasi ex contractu oritur, non potuissent. Sed quidquid sit hoc certum est, Constantinum in *l.* 1. *Cod. Th. de in int. rest. l. ult. Cod. si adv. vend.* interdicto fraudatorio minoribus

con-

confuluisse contra commentitias, id est dolosas, tutorum curatorumque venditiones rerum suarum, quibus fraus fieret tutelae, et pignus legale eluderetur, conf. Goth. *ad d. l.* 1.

Ulterius quaeritur, an hoc pignus legale etiam heredibus pupillorum fuerit datum? Quod affirmant Huber, *Prael. ad Pandectas Lib.* 20. *tit.* 2. § 4. Voet, *ad eund. tit.* § 18. Walch, *Introd. in ius cont.* § 25. *p.* 107., his fere rationibus moti; Iure Pandectarum personale tantum fuisse privilegium quod pupillis daretur in tutores, curatores et protutores, non vero heredibus, quoniam personae non causae succurritur *l.* 42. *ff. de Adm. tut. l.* 19. § 1. *ff. de Reb. auct. iud. poss.* Conf. *l.* 196. *ff. de R. I.*, sed introducto pignore legali, heredibus etiam illud ius concedi, eodem modo uti, cum olim privilegium dotis personale mulieribus daretur, (*l. un. C. de Priv. dot. l.* 12. § 1. *C. qui pot. in pig.*) iure novo, pignus legale in bona mariti etiam ad heredes transire, certum est ex *l. un.* § 4. 6. *Cod. de Rei uxor. act.* — Tota vero haec quaestio ex eo pendet utrum privilegii nomine in *d. l.* 42. et 19. § 1., intelligendum sit pignus legale, quod si verum est, sine dubio soli pupillo hoc pignus conceditur, nam a pignore legali mulierum, non valet consequen-

tia

tia ad pignus minorum, praeter quam enim quod multo serius sit introductum, et quidem a Iustiniano (in *l. un. Cod. de Rei uxor. act.*) ad exemplum pupillaris hypothecae; (*d. l.* § 1.) ratio quare ius, quod ibi mulieri datur, etiam ad heredes transeat, ex indole actionis ex stipulatu cum rei uxoriae actione confusae est derivanda, quae uti actiones ex contractu, ad heredes transit; nec huic sententiae contraria est *l.* 33. § 2. *ff. de Adm. et per. tut.*, ubi tantum docetur: si plures tutores curatoresve sint, eandem electionem heredibus, quam ipsis pupillis dari *in quo consistant*, id est, quemnam ex tutoribus convenire velint, potius enim illa verba ad anteriora sunt referenda, quam ut dicamus absolute ea posita esse. Caeterum duo hic monenda, sunt: I°. quod cum dubitaretur utrum pignus legale ab initio administrationis nasceretur, an demum ex quo male aliquid gestum esset, Iustinianus hanc quaestionem in favorem pupillorum deciderit, ut a suscepta administratione tutorum, curatorum vel protutorum, bona eorum obligata censerentur *l.* 6. § 4. *C. de Bon. quae liberis*, cui igitur consequens est si locupletes eo tempore fuerint, nec privilegiato pignore eorum bona fisco v. g. obligata essent, parum metuendum fuisse, ne possent pupilli suum consequi,

qui, cum etiam durante administratione, tutores curatoresque, ut vidimus, prohiberentur vectigalia conducere. II°. Tenendum est; non tantum bona administratorum rerum pupillarium obligata fuisse, sed etiam tutorum honorariorum eorumque qui propter rerum notitiam dantur *l.* 20. *C. de Adm. tut.*

Hisce igitur omnibus remediis, quam egregie impuberibus, et iis adultis fuerit prospectum quorum bona ab aliis administrarentur, vix est, ut moneam; at quoniam etiam sic metuendum erat ne tutores curatoresque leges eluderent, omniaque agitaturi essent quo se subtraherent rationum redditioni, et in efficacia remedia redderent pupillorum, his etiam fraudibus obviam iverunt Romani; spectat enim huc prohibitio illa nuptiarum, quondam pupillam inter et tutorem eiusve filium, ex SCto Marci Aurelii, vid. *l.* 67. § 3. *ff. de Sponf. l.* 59 *ff. de R. N.*, quod non tantum tale matrimonium ipso iure nullius momenti esse voluit, sed infamiae etiam poenam irrogavit tutori eiusque filio, addita extraordinaria coercitione *l.* 66. *ff. de R. N.* Paulus, *Lib. II. tit.* 19. *in fin. l.* 7. *Cod. de Interd. matr.* Imo hoc SCtum non tantum ad curatores, (vid. Schult. *ad Paul. l. l. n.* 34.) sed etiam ad extraneos heredes tutoris curatorisque (*l.* 64.

§ 1. *ff. de R. N.*) fuit extensum, eosque ad quos praeter fideiussores et magistratus pertinet periculum administrationis (*l.* 60. *pr.* § 1. *ff. eod.*) ne quocumque modo circumscribantur pupillae, ab his qui rationes reddere tutelae gestae compelluntur (*l.* 64. § 1. *l.* 67. § 4 *et* 5. *ff. de R. N.* — Cessante tamen ratione legis, id est: si minoribus nullum amplius remedium supererat, post elapsum sc. restitutionis tempus, cessare etiam prohibitionem placuit, vid. Paulus, *l. l.* 7. *ff. ad Leg. Iul. de ad.*

Aliud tale exemplum habemus in prohibita arrogatione impuberum, (sc. post Div. Pium) et adultorum a tutoribus aut curatoribus *l.* 17. *pr. ff. de Adopt.*, quae etiam fraudibus ansam praebere videretur, sed privignum tamen adoptare T. Antoninus tutori permisit, vid. *l.* 32. § 1. *ff. eodem.* — Caeterum duarum harum prohibitionum in uno casu coniunctarum elegans exemplum habemus in *l.* 67. § 3. *ff. de Ritu nupt.*, secundum quam non valet adoptio aut arrogatio eius, qui cum quondam pupilla nuptias contraxit vid. Averanius, *Interp. Iuris lib.* 4. *c.* 22. *num.* 10. — Sed haec monuisse sufficiat cum graviora nos maneant, quibus ut accedamus iam necesse est.

PARS

PARS ALTERA.

DE VI ET NATURA IURIUM QUIBUS ROMANI IMPUBERIBUS ET INCONSULTAE AETATIS ADOLESCENTIBUS PROSPICERE STUDUERUNT IN INEUNDA OBLIGATIONE.

Vidimus quibus modis in genere defectum aetatis, tam impuberum quam adultorum, Romani studuerint supplere, cum non tantum damna eorum, in quantam fieri potuit, ante vertere conati fuerint, sed impuberibus etiam adultisque, qui curatores sibi petere non dedignassent, egregiis remediis prospexerint, quibus, si tutores curatoresque boni patrisfamilias officio, quod pro pupillis susceperant, non recte functi essent, hos indemnes servare cogerentur; sed nequaquam sic exhausta est Romanorum cura, nec in damnis praecavendis, nec in iis emendandis; de effectibus enim eorum, quae pupilli sine tutoribus aut curatoribus gessissent, nihil adhuc monuimus, nec de remediis

vidimus quibus adultis curatorem non habentibus fuerit consultum, haec igitur exponamus in parte sequenti. Sed quum in doctrina de contrahendis obligationibus specialiter de iis agendum sit, quae pupillis in suarum rerum administratione concedantur, hanc materiam uno tenore hac in parte absolvi posse putavi; licet enim haec disputatio proprie ad superiora pertineat, cum etiam in contractibus tutores curatoresque boni patrisfamilias officio fungi debuerint, et tutelae iudicio tenerentur *si* non recte munere functi essent, supra tamen iam monui in eo inprimis conspici Romanorum sapientiam, quod *curaverint* ne pupilli in obligationibus ineundis, sive directe, sive indirecte laederentur, simulque prospexerint ne auxilium his praestitum aliorum civium iniuriam sequelam haberet; hoc igitur *speciali explicatione* indiget.

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE OBLIGATIONIBUS IMPUBERIBUS ET ADULTIS ADQUIRENDIS.

Generalis iuris est regula, inventas fuisse stipulationes ad hoc ut unus quisque sibi acquirat, quod sua interest, (§ 18. *I. de Inut. stip. l.* 38. § 17. *ff. de V. O.*) quoniam contractus innitantur duorum pluriumve consensui in idem placitum, nec pro alio consentire nos posse, generaliter verum sit, hinc emere vendere aut alium contractum cum effectu inire non possumus, nisi ex nostra persona obligationis initium sumamus *l.* 11. *ff. de O. et A.*; stricto igitur iure ne tutor quidem pro pupillo contrahere potuit, nec aliquid obligationis huic adquirere, quod tamen, quoniam in ipsa notione tutelae et curae ita inest, ut ab ea separari non possit, profecto etiam simul cum ipsa tutela et cura fuit introductum, ut non tantum pactum tutoris prosit pupillo, (*l.* 15. *ff. de Pact.*) et possit tutor in eius utilitatem novare et rem in iudicium deducere,. (vid. § 2.

I.

I. de Iis per quos ag. poss. l. 22. *ff. de Adm. tut.*) sed etiam utilis actio pupillo detur ex pacto, vel contractu tutoris (*l.* 5. § 9. *ff. de Const. pec. l.* 2. *ff. de Adm. tut. l.* 4. *pr. ff. rem pup. salv. fore l. 6. ff. l.* 4. *C. quando ex fact. tut.*) quamvis forte tutor ex rebus pupilli sibi fuerit stipulatus, (*l.* 2. *ff. l.* 2. *Cod. quando ex fact. tut.*) nisi malit pupillus legitimas ab eo usuras petere *l.* 3. *Cod. arb. tut.* Quid enim si pupillus infans esset (1), qui non multo a furioso distat, ut pacisci non posset, nec stipulatione alium sibi obligare, (vid. § 9. *I. de Inut. stip. l.* 14. *ff. de Sponf. l.* 18. *Cod. de Iure delib. l.* 70. *ff. de V. O.*)? hoc sane casu necessarium omnino erat, ut tutor domini loco haberetur, et pupillo posset adquirere tamquam sibi, semel vero introducta hac dominii fictione, quae etiam ad tutores pupillorum infantia maiorum, et curatores adultorum pertinuit, consequens videri posset, *debuisse* etiam tutoris curatorisve auctoritatem accedere, ad obligationem pupillis adquirendam,

(1) De definiendis infantiae annis forte aeque ac de pubertate fuit disputatum, hoc tamen certum, 7 annorum terminum iam definitum fuisse sub Arcadio et Honorio in cretione, vid. Hugo, *H. I.* § 343 *et* 403. *l.* 1. § 2. *ff. de Adm. tut.* l. 18. *Cod. de Iure delib.*

dam, ne is qui ad obligationem contrahendam sufficere non videretur, satis voluntatis determinatione valere censeretur, ut alios sibi obligaret, et sic aliam nunc, aliam post hac personam indueret. — Sed praeterquam quod, quae in favorem alicuius introducta sunt, nunquam ita interpretari debeamus, ut ipsi fiant damnosa, sciendum est etiam conventiones ab infantia maiori sine tutore vel curatore initas, nequaquam eo sensu Romanis ipso iure nullas fuisse habitas, quasi nihil gestum censeretur, sed personali tantum beneficio (quod infra latius patebit) iis fuisse prospectum, sc. cum infantes et infantiae proximi eo loco habeantur, ut nulla omnino sit eorum facultas consentiendi, secus tamen obtinet in ea aetate maioribus; hi enim licet vim obligationis non capiant, ideoque etiam inviti a tutore regantur, discernere tamen posse videntur quid sibi expediat, per obscurum quemdam commodorum suorum sensum. Durum itaque visum fuit facultatem iis denegare huic sensui satisfaciendi et obligandi eos qui plenam obligationis vim intelligere possent, sed uti neminem offendere potest quod Legislatores, levem illum et fallacem utilitatis sensum, non sufficere voluerint ad comprobandas alienationes et obligationes

ab

ab impuberibus solis contractas, sed validum per omnia consensum requisiverint, sic inius-tum etiam esset, propterea quod inconsulto iudicio prospexerint Romani tali modo, qui ipsis impuberibus et adultis maxime expediret, (quo sc. ratione sui suorumque heredum ipso iure nullum dicerent, quod sine tutore vel curatore gessissent), hoc beneficium etiam ad adversarios minorum extendere, iisque facultatem concedere contractum summo iure validum rescindendi, qua rescissione beneficium *minoribus* praestitum tolleretur. — Hoc cum viderent Romani, servari voluerunt contractum sine auctoritate initum, a parte adversariorum, nec labefactari eo quod a sua parte pupillus obligationis eximeretur, nisi essentiali conventionis requisito deficiente; puta si admodum impubes (*l.* 3. § 1. *ff. de Sep. viol.* Ioh. Cannegieter, *Obs.* c. 2.), qui furioso comparatur, contraxisset, quo casu etiam a parte adversarii nullus esse debuit contractus; sed etiam sic, benigniore iuris interpretatione, receptum fuit, ut infantiae proximi alios sibi obligare possent, (§ 9. *I. de In. stip.*) ne lex ulteriorem terminum statuens, praeiudicaret iis, qui forte fortuna iam hac aetate, commodorum suorum sensu gauderent. — Quicumque

que igitur hunc terminum egressi sunt, sive tutores curatoresve habeant, sive non, tam soli quam horum auctoritate nixi, validam paciscendo aliis imponunt obligationem, omniaque sibi acquirere possunt, aeque ac maiores, vid. *l.* 4. § 2. *ff. de Usurp. et usuc.*

CAPUT SECUNDUM.

DE OBLIGATIONIBUS AB IMPUBERIBUS ADULTISQUE INEUNDIS.

Modo iam verbo monui, impuberes adultosque, tutorem aut curatorem habentes, alienare non posse nec se obligare, nisi horum auctoritate interposita; quoniam tamen plurimae dantur obligationes, quae iis sine auctoritate illa incumbant, ut intelligatur vis et natura iurium quibus impuberibus adultisque in ineunda obligatione consulitur, ante omnia eruenda mihi visa fuit indoles obligationum, quibus tutores aut curatores habentes, sine his obstringi possent, et earum ad quas tutor aut curator accedere debuit. Primo itaque videamus de obligationibus quas contrahere possint tam pupilli quam adulti, qui curatores habeant, ut deinde, conclusione ex his ducta, de vi et natura eius iuris constare possit.

§ I.

De obligationibus mere legalibus.

Prae caeteris nobis illae obligationes spectandae veniunt, quas sola lex imponit, nullo facto antecedente; quaeque, ut recte vidit Glück, *Ausf. Erl. d. Pand. T. I. p.* 26 - 32. omnino separandae sunt ab iis, quas lex sequelas facit facti cuiusdam, sive liciti, sive illiciti; his vero mere legalibus obligationibus, impuberes et adultos, etiam sine auctoritate teneri vix est ut moneam, cum auxilio et indulgentiae locus non sit, ubi non adest laesionis periculum, nec laedi censeatur minor, qui iure sit usus communi *l.* 9. *Cod. de In int. rest. min. l.* 51. § 4. *ff. de Fideiuss. l.* 116. *ff. de R. I.* Huc (ut exemplo utar) refero obligationes, quae pupillo propter solam aequitatem imponuntur, ad restituendum in quantum locupletior factus est, ex gestis sine tutore aut curatore; ex alieno enim dammo lucrum captare, nec pupillis concedendum est, *l.* 13. *ff. de Rebus eorum l.* 206. *de R. I.* — Scilicet in dubitatum est, impuberes saltem (de adultis postea videbimus), omni obligatione ex contractu v. g. liberari, quem sine tutoribus iniverunt, et quidem ita quasi nullus contractus ab iis esset

ſet initus (1), nullus igitur ex facto ſuo effectus in ipſis conſpicuus est, ſed obligatos tamen habent adverſarios, eosque convenire posſunt, ut a ſua parte obligationi ſatisfaciant, quoniam ab uno latere (ut ait Ulp. *l.* 13. § 29. *ff. de Act. empt. et vend.*) conſtat contractus; cum tamen iam antea, ſi hoc pupillus peteret contra aequitatem naturalem, ei obſtaret exceptio doli, D. Pius demum, ſi forte a parte adverſarii obligationi iam esſet ſatisfactum, aut ſi alio quo libet modo lucrum percepisſet pupillus cum damno alterius, ex tali cauſa in qua ipſe civili obligationi ſubduceretur, adverſario etiam actionem dedit ad lucrum ei auferendum, vid. *l.* 3. § 4. *ff. de Neg. gest.* Noodt, *ad d. t. ff.* (2).

Haec

(1) Haec non pugnant cum iis quae ſupra monuimus, contractum eorum qui infantia maiores esſent, non eo ſenſu ipſo iure nullum fuisſe habitum, quaſi nihil gestum cenſeretur; verum enim est licet talis contractus plures effectus habeat, ratione tamen pupillorum pro non inito fuisſe habitum.

(2) Per totum Ius Romanum obligationem illam pupillorum reperimus ad reſtituendum in quantum locupletiores facti ſunt, vid. *l.* 6. *pr. ff. de Neg. gest. l.* 27. § 1. *l.* 34. *ff. de Min. l.* 10. *ff. de Inſt. act. l.* 1 *ſeq. ff. commod. l.* 3. *ff. quando ex fact. tut. l.* 5. *ff. de auct. praeſt. l.* 32. § 4. *ff. de Adm. tut. l.* 8. § 14. *ff. ad SCtum Velleianum l.* 13. § 7. *ff. de Act. empt. et vend. l.* 4. *ff. de*

Ex-

Haec igitur obligatio quam pupilli sine tutore aut curatore contrahere possunt, cum non oriatur ex contractu, sed tantum sequela sit lucri ex contractu aut facto obligatorio pupilli percepti, ex sola lege repetenda videtur. — Praeterea nonne etiam sola lex suos heredes, sine discrimine tutores curatoresve habeant an minus, repraesentare iubet personam defuncti in cuius potestate fuerant (*l.* 177. *ff. de Reg. I.*), et in infantes etiam obligationes ipso iure transire, a defuncto rite contractas, (*l.* 11. *pr. ff. de Inst. act. l.* 2. *Cod. de Pact. int. empt.*), ut beneficio abstinendi aut restitutionis in integrum indigeant, quo his liberari possint? Nonne ut videamus usucapio et praescrip-

Except. l. 47. *ff. de Sol. l.* 15. *ff. de Nov. l.* 1. 2. *C. si adv. cred. l. un. C. de Reput. l.* 16. *C. de Praed. min* Pauli, *Sentent. l.* 1. *tit.* 4. § 2. *Tit.* 9. § 4. — Locupletior vero factus censetur pupillus, si lucrum dolo possidere desiit, (*l.* 1. § 15. *ff. Depos. l. un.* § 3. *C. de Reput.*) aut in rem eius versum est *l.* 7. § 5. *ff. de Min. l.* 4. § 26. *ff. de Dol. mal. et met. exc. l. pen.* § 1. *ff. l.* 10. 14. 16. *Cod. de Reb. eor. l.* 3. *Cod. quand. ex fact. tut.* — Sed huius tamen rei probatio adversario minoris incumbit, ratione habita temporis quo lis fuit contestata, vid. Paulus, *Sent. I. tit.* 4. § 2. *l.* 37. *ff. de Negot. gest. l.* 32. § 4. *ff. de Adm. tut. l.* 1. 2. *Cod. si advers. cred.* Conf. Perez. *ad lib.* 2. *tit.* 38. *Cod.*

scriptiones nonnullae solius legis vi etiam contra minores currebant? Imo nisi dicamus, omnibus obligationibus, quae ex sola lege oriuntur, tam impuberes quam minores sponte fuisse obstrictos, sequeretur nec v. g. prohibitione sua bona alienandi, in ipsorum utilitatem facta, eos teneri, quod igitur nulla ulteriori probatione indigere videtur.

§ II.

De obligationibus ex delicto.

Quo ad obligationes ex delicto distinguendum est, inter delicta publica, eaque quae poena civili privato solvenda coercentur, de prioribus enim constat ne quidem impuberes teneri, (*l.* 23. § 2. *ff. de Aedil. edict. l.* 10. *ff. de quaest. l.* 1. § 33. *ff. ad SCtum Silan. l.* 1. *C. de Falsa mon.*), sed in civilibus pubertati proximum etiam doli capacem habuerunt Romani, (§ 18. *I. de Obl. quae ex del. l.* 13. § 1. *ff. de Dol. mal. l.* 4. § 26. *ff. de Dol. mal. et met. exc. l.* 111. *ff. de Reg. iur.*), ut v. g. lege Aquilia et furtis teneatur, vid. *l.* 5. § 2. *ff. ad leg. Aq. l.* 23. *ff. de Furtis.* Scilicet cum hae obligationes non ex sola lege oriantur, sed ex facto voluntario ipsi-

ſius obligati, cui lex illum effectum tribuit; conſequens est eos qui nullam voluntatis determinationem haberent iis obſtringi non potuisſe, ſed Legislatores definire debuisſe, qua demum aetate doli quis capax cenſeretur, ut de delictis teneri posſet; iam vero terminum illum in delictis publicis, ubi civitas poenam exigit, quae caeteris exempli loco ſit, in pubertate poſuerunt Romani, ſed pubertati proximos etiam, de poena teneri placuit qua lex civilis, dolum et fallaciam eorum coercens, qui directe uni ex civibus detrimentum attulisſent, ſimul eorum indemnitati proſpicit. Differentia enim in eo ſita videtur, quod ſi nimis faciles esſent in venia danda delictorum civilium, metuendum erat ne ita iniuria aliis civibus fieret, ſed recte fortasſe ipſa civitas faciliorem ſe praeſtitit ad ignoscendum fragili aetati. Nemo tamen non videt, plurimum hac in re iudicis arbitrio debuisſe relinqui, cui perſpiciendum est, (ut ait Marcianus, in *l.* 11. *ff. de Poen.*) „ ne quid aut durius aut remisſius „ conſtituatur, quam cauſa depoſcit, cum nec „ ſeveritatis nec clementiae gloria affectanda „ ſit, ſed perpenſo iudicio prout quaeque res „ postulat, ſtatui debeat". Quamvis igitur ſtricto iure puberes aeque ac maiores de omni delicto tenerentur, pro conditione tamen mino-

norum, dicendum est moderatas fuisse poenas, ratione habita gravitatis delicti, (*l.* 16. § 3. *ff. de Poen. l.* 37. § 1. *ff. de Min.* Paulus, *lib. I. tit.* 9. § 1.), et utrum ad animi flagitiosam indolem concludi posset ex frequenti maleficio, (*l.* 3. § 9. *ff. de Re milit.* Plin. *Epist. lib.* 10. *ep.* 79.), an vero iuvenili libidine et temulantia delictum esset perpetratum, *arg. l.* 41. *C. de Transf.* add. Kleinf. *Entw. d. Grundw. d. P. R.* § 84, 85, 88.

Imo etiam in civilibus poenis irrogandis aetatis ratio habetur, nam matri, quae tutores liberis non petiit, ignoscitur si minor fuisset, (*l.* 3. *Cod. ad SCtum Tert. l.* 2. *Cod. si adv. del.*) et aliis etiam minoribus, qui mortem testatoris inultam reliquissent, (*l.* 1. *Cod. de His quae ut ind. iunct. l.* 6. *C. eod. l.* 1. *C. in quib. caus. in int. rest.*), aut eius testamentum falsum vel inofficiosum dixissent, (*l.* 5. § 9. *ff. l.* 2. *C. de His qui ut indign.* Paul. *l.* 5. *tit.* 12. § 4.), quibus nihilominus ius succedendi salvum est, quod si maiores fuissent, ut indignis fuisset ablatum. — Sed quid an has obligationes pupillorum ex delicto, cum Hubero, *ad tit. I. de inut. stip.* § 2, ad eas referemus quas re contrahi dicit Paulus, et pupillis incumbere sine auctoritate tutorum aut curatorum, *l.* 46. *ff. de O. et A?* Non

vi-

videtur; Paulum enim eas obligationes denotare voluisse, quae sine ulla voluntatis determinatione ipsius obligati, contrahantur, ex eo satis liquet quod furiosos etiam, et proinde etiam infantes, re obligari dicat, qui tamen de delictis non tenentur *l.* 46. *in fin. ff. de Adm. tut.*, nec obstat quod in *princ. I. de Oblig. quae ex del.* docetur, omnes obligationes ex maleficio nasci *ex re*, hac locutione enim Iustinianus eodem sensu utitur ac *in Tit. I. quib. mod. re contr. obl.*, et innuit ipsum *factum* contrectationis v. g. obligationem furti producere, uti factum traditionis ad obligationem ex mutuo requiritur. Sed quaenam igitur ex sententia Pauli obligationes ex re natae dicuntur? Mihi ex exemplo in ipsa lege allato, quod nempe pupillus ex rerum communium administratione a socio facta obligetur, et actione communi dividundo teneatur, dicendum videtur, Paulum significare voluisse, pupillos, uti obligationibus mere legalibus tenentur, sic etiam aeque ac maiores iis obligationibus teneri, quas lex sine voluntate obligati, id est sine conventione, sequelas facit facti alieni.

§ III.

De obligationibus quasi ex delicto.

Vidimus de duobus obligationum generibus, quae sine tutore et curatore, et proinde multo magis ab adultis curatorem non habentibus contrahi possunt; veniamus nunc ad obligationes quasi ex delicto. Inprimis scilicet dubitari posset, utrum minor iudex curatorem habens, per imprudentiam aut imperitiam male iudicans litem suam facere possit. . Cum enim sola aequitatis ratio fictionem illam (ut ita dicam) introduxisset, qua censeretur iudex qui per imperitiam male iudicasset aeque obligatus esse ac si revera delictum perpetravisset (1) (vid. Weber, *l. l.* § 10 *seqq.*), dixerit quis, tolli debuisse hoc ius per minorennitatis favorem, et aequitatis valida momenta, quae etiam adultos curatores habentes defenderent, ideoque le-

(1) Fictio illa necessaria erat in iudice, non in medico, qui ex vero delicto etiam de levi culpa posset conveniri, (*l.* 7. § 8. *ff.* § 7. *I. ad leg. Aquiliam*) prior enim versabatur in arte liberali, cuius nulla locatio conductio est, ut Iure Civili non nisi de dolo et lata culpa posset conveniri, (*l.* 1. *ff. si mens. fals. mod. dixerit*), sed medicorum opera conduci poterat, ut egregie observat Weber, *l. l.* § 12 *seqq.* Glück, *l. l. p.* 34.

levem culpam iis imputari non debere, nec universe eos teneri quasi ex delicto, non magis quam ex contractu. — Mihi tamen secus videtur, licet enim non negem aequitatis illam rationem, quae fundamento est obligationi quasi ex delicto iudicis, fortasse compensari et tolli per eam, quae minoribus auxilium ferri suadet, sexcenties tamen observatum est, sublata ratione legis non ideo tolli legem (1), nisi simul pateat etiam voluntatem Legislatoris fuisse, ut lex eo casu cessaret; iam vero lex generaliter scripta est, et incongruum esset, si minor, qui munere fungatur publica auctoritate ei delato, et cui publice sufficere videretur, ab incommodis ex illo munere forte oriundis se immunem servare non posse, censeretur, vid. Weber, *l. l.* § 64. *not.* 7. Imo cum ad caeteras obligationes quasi ex delicto, ne quidem requiratur, ut civiliter obligato moralis obligatio incumbat (Weber, *l. l.* § 10. 19 *seqq.*) nostra sententia egregie firmatur, sic enim liquet solam legem, propter communem utilitatem, has obligationes introduxisse, nulla ratione

ne

(1) Vid. Thibaut, *Theor. der Log. ausleg. des R. R.* § 22 *seq.* (Altona 1806.) qui post a Walchio citatas *ad Eckhardi Herm. Iur.* 1. *c.* 1. § 33. *p.* 29. egregie hoc probavit.

ne habita personarum obligatarum, nec ergo indulgentiae hic locum esse propter defectum aetatis, aut impeditam voluntatis determinationem (1).

§ IV.

De obligationibus quasi ex contractu.

Disputationis ordo nunc ad obligationes ex contractu nos vocaret, sed quoniam facilior ab his, ad disquisitionem generalem de natura obligationum ab impuberibus adultisque ineundarum, erit via, satius duxi, doctrinam Iuris Romani de obligationibus quasi ex contractu in ante cessum exponere; et quidem in negotiorum gestione nullum dubium est quin pupilli, sine tutore et curatore, sive aliorum bona sine mandato administraverint, sive alii ipsorum negotia gesserint, teneantur tantum in quantum facti fuerint locupletiores, vid. *l. 6. pr. l. 37. pr. ff. de Neg. gest. l. 3. § 4. ff. eod.* Conf. Schult. *enarr. ad d. t.* § 2.; sed quid de tutela dicendum? cum enim constet, non tantum adultos, sed impuberes etiam ante *l. ult. Cod. de Leg. tit.* tutores esse potuisse, (conf. § 13.

(1) In fine huius Partis hanc sententiam latius probabimus.

§ 13. *I. de Exc. tutor.* Ulp. *tit.* 11. § 20. 22. ibique Schult.) elegans disquisitio est quaenam iis obligatio incubuerit, de qua sollicitos videmus Vinnium, *ad d.* § 13. *I.* et Huberum, *in Digress. l.* 3. *c.* 24., sed quorum neuter, quod cum verecundia dixerim, mihi rem acu tetigisse videtur. — Si attendamus ad doctrinam nostram huc usque propositam, videri posset nihil obstare, quo minus dicamus, etiamsi pupilli, tutores dati, tutelam administrare non possint, (vid. *l.* 10. § *pen. ff. de Excus.* § 2. *Inst. qui test. tut. dar.*) nec auctoritatem praestare (Caii *Comm. lib.* 1. § 179.), tamen tutorum honorariorum loco obligari eos potuisse in subsidium, quoniam illa obligatio non oritur ex facto voluntario obligati, sed ex facto alieno. Videamus igitur an haec sententia legibus conveniat: et nihil videtur magis congruum quam ratio in *l. ult. Cod. de Leg. tut.* a Iustiniano reddita, quare minores a tutela prohibuerit, „ ut cuique pro sua „ tantummodo administratione periculum im- „ mineat, nec alieno onere alius praegrave- „ tur", quae ipsa etiam suffecisse videtur ad minores propter solam minorennitatem a tutela excusandos, quod ait Theoph. *ad d.* § 13. *I.* Hoc si admittamus, non opus est, ut cum Vinnio Tribonianum incusemus, qui periculo tute-

lae

lae, etiam minorem adstrictum fuisse docet, quamvis administratio ei non fuerit concessa, et nihil vitii in *dicta lege ult.* quaerenda est, quasi minores dativi tutores esse non potuerint, cum ex eo, quod magistratus tutorem dare non potuerint sub conditione, non sequatur, iis concessum non fuisse minorem honorarium tutorem dare, et ipsam tutelam pure, administrationem vero sub conditione deferre. Nec magis ex altera parte cum Hubero Tribonianum defendentes, doctrinam amplectemur disertis verbis Theophili contrariam, inprimis *legi ult. Cod. cit.* in qua Huber, nescio quomodo, doceri putat, ante Iustinianum minorem non obstrictum fuisse tutelae sibi delatae, sed quam alius pro eo gereret. Sed haec sufficiant de tutela. De obligationibus socii minoris, quando in re communi aliquid a socio impensum esset, idem fortasse dicendum ac de obligatione domini, cuius negotia per alium gesta sunt (arg. *l.* 40. *ff. de Neg. gest.*), ut scilicet teneatur tantum in quantum locupletior factus est, hoc enim innuit *l.* 46. *ff. de O. et A.*, et idem etiam iuris est si indebitum pupillo sine tutore vel curatore fuerit solutum § 1. *I. quib. mod. re cont. obl.* Quod vero ad hereditatis aditionem attinet, nemo dubitat quin cum factum sit voluntarium, cui tutor

auc-

auctoritatem praestare potest, aditio solius pupilli, nullum ius legatariis et fideicommissariis tribuere possit (1), sed tantum ex iuris universi indole, si postea pupillus hereditatem missam faceret, ablatum ei fuisse lucrum quod inde per-

(1) Uti impuberibus et adultis curatorem habentibus non conceditur hereditatem adire, sic nec olim hoc potuit filiusfamilias nisi iussu patris, § 3. *I. per quas pers. l.* 133. *ff. de Reg. iur.* introducto tamen peculio adventitio, si filiofamilias delata esset hereditas, aditio ipsi concedebatur si maior esset, sed minor si pater auctoritoritatem praestare nollet, curatorem tam ad actum aditionis (*l.* 8. *pr.* § 1. *Cod. de Bon. quae lib.*) quam ad eius administrationem petere poterat, vid. *Nov.* 117. *c.* 1. et gaudebat iisdem privilegiis ac minor paterfamilias, *d. l.* 8. § 6. ex quibus dicendum videtur, nec filiofamilias minori, peculium castrense habenti, huius ratione curatorem fuisse denegatum. Caeterum commode hic mentio fieri potest illius privilegii quod memoratur in *l.* 7. *ff. de Iure del.*, ubi docetur, Praetorem speciali edicto pupillis heredibus ius deliberandi concessisse, quo bona interea deminui vetarentur, conf. *l.* 21. § 11. *Cod. eod.* Aliud speciale in hereditatis aditione pupillis delatae, in eo conspicitur, quod cum ordinario defungantur tutores curatoresque auctoritatem pupillo infantia maiori praestando, sed electio sit utrum soli gerenda gerere velint, soli tamen hereditatem adire nequeant (*l.* 5. *C. de I. delib.*), nisi pro infante *l.* 18. § 2. *C. eod.* Conf. *l.* 65. *ff. ad SCtum Treb.* quod fortasse ex solemni hereditatis cretione repetendum est, de qua vid. Gothofr. *ad l.* 1. *C. Th. de Cret. vel bonorum poss.*

percepisſet. — Hinc vero. cum generalis ſit illa obligatio in quantum locupletior factus est pupillus, quaeri posſet an igitur ſine tutore et curatore nulla iis obligatio quaſi ex contractu incumbat, praeter obligationes ex tutela gesta, et an non dicendum ſit ex conſtitutione D. Pii (de qua § 1. vidimus) adverſariis tantum actionem fuisſe concesſam ad lucrum pupillis auferendum? Valde ſic confuſa et indistincta esſet obligationum quaſi ex contractu notio; hoc enim notandum, non eandem esſe *diverſarum* harum obligationum naturam, alias enim factum voluntarium obligati praecedit, in aliis ſola lex ex facto alterius, alteri imponit obligationem; Prius obtinet ſi pupillus aliena negotia gesſerit, hereditatem adierit, aut ſolutionem indebiti acceperit, his ſc. caſibus, cum ſtricto iure omnino non teneatur (§ 1. *I. quibus modis cont. obl.*), conſtitutione illa D. Pii opus erat, ut posſet ei lucrum perceptum auferri; ſed longe alia res est ſi pupilli negotia fuerint gesta, aut a tutore vel ſocio administrata, aut ſi pupillus tutor honorarius, ſecundum moda propoſita in ſubſidium teneatur de tutelae administratione. Hae enim obligationes, cum a ſola lege imponantur tamquam ſequela facti alieni, ſine voluntate obligati, pupillis etiam ante Divum Pium incumbere debue-

buerunt, cum nulla hic indigentia spectetur cui subveniendum esset, quamvis verum sit etiam in his (ICtorum fortasse interpretatione) aliquantum pupillis fuisse prospectum, ordinario enim is, cuius negotia gesta sunt, indemnem servare debet gestorem, qui *utiliter* gessisset, in pupillos tamen illa actio tantum datur, in quantum locupletiores facti sint, et excusatione, minores a tutelae iis delatae periculo, liberare se potuisse (1) supra vidimus. Sic igitur concludo, nec directam negotiorum gestorum actionem, nec actionem ex testamento, aut condictionem indebiti, contra pupillos, sive impuberes sive adultos potuisse dari, nisi tutor aut curator negotia aliena gerenti, hereditatem adeunti, aut solutionem indebiti accipienti auctoritatem praestiterit, sed post D. Pium demum lucrum iis auferri potuisse; contrariis tamen actionibus negotiorum gestorum et tutelae, obstrictos eos fuisse, ut et actionibus communi dividundo, et directa tutelae cum hae omnes sine voluntate obligatorum oriantur, et proinde in furiosos etiam et infantes, multo magis in maioris aetatis pupillos, tamquam ex

re

(1) Dicendum igitur est tutores et curatores potuisse tutelae actione conveniri, si excusationem illam non allegassent.

re ortae, dari debuerint; sed iudicis tamen arbitrio nonnihil hic fuit tributum, aetatis rationem habituri Aver. *Int. Iuris l.* 2. *c.* 7. § 5.

§ V.

De obligationibus ex contractu.

Venimus nunc ad amplissimam illam disputationem, de effectibus factorum voluntariorum licitorum, tam impuberum quam adultorum, in quibus principem locum tenent contractus et alienationes. — Ratione impuberum certe monere necesse non est, eos nec alienare, nec se obligare potuisse, sed voluntatis defectum debuisse suppleri a tutore, cuius igitur auctoritate (nisi in quibus huius etiam potestas lege circumscripta esset, vid. *P. I. c.* 1. *sect.* 2.) omnia recte gerere potuerunt, aeque ac maiores, alienare, contrahere, negotia gerere etc. Sed quae sine auxilio gessissent nullos omnino civiles effectus ratione pupilli produxerunt (1), qui rem alienatam vindicare potuit, sine discrimine eam donavisset, an vero vi contractus sine tutore initi tradidisset, et in quem nec actio con-

(1) Sola exceptio in quam incidi est in *l.* 14. § 15. *ff. de Relig.*

concedebatur nec exceptio, *l.* 29. 41. *ff. de Cond. ind.* modo non dolus aut lata culpa, quae etiam in civilibus supplet aetatem, (vid. *v. g. l. un. C. de Reput.*) ei imputari posſit. — Haec de impuberibus ſufficiant, nam pluribus auctoritatibus firmare, quae omnibus innotescunt, inutile videtur; ſed aliud est in adultis, hos enim vidimus non niſi volentes curatores accipere, posſe igitur ſi velint ipſi ſuarum rerum administrationem ſuscipere, et omnia ea gerere, quae impuberibus auctoritate tutorum nixis conceduntur, (vid. *v. g. l.* 3. § 2. *ff. ad SCtum Maced. l.* 43. *ff. de O. et A. l.* 3. *C. de in in int. reſt.*), ſed hinc inter Interpretes quaeritur, an ſi curatorem petiisſet et accepisſet, etiamnum civilis obligatio ei incumbat ex contractu ſine curatore inito? Quod ſi negetur, an non ſaltem naturalis obligatio, quae condictionem indebiti impedit ei incumbat?

Prima fronte, de priore illa quaestione vix dubitandum videri posſet, uti enim per ipſam rei naturam, ei qui curatorem ſibi petere noluerat, facultas tribuenda erat ſe obligandi, et ſaltem partem rerum ſuarum alienandi, ſic etiam notioni curae conſequens videri posſet, eum qui rerum ſuarum administrationem, ne damna pateretur, curatori reliquisſet, curatoris etiam auctoritate indiguisſe, non tantum ad earum alie-

alienationem, sed etiam ad obligationem contractu ineundam, qua forte magis etiam quam per rerum alienationem laesionis periculo obiiceretur conf. *d. l.* 3. *C. de in int. rest.*; at cum tamen huic sententiae obstare viderentur verba Modestini, in *l.* 101. *ff. de V. O.* docentis „ puberes sine curatoribus suis posse „ ex stipulatu obligari", varia excogitarunt Viri Docti, ut haec verba cum *dicta lege* 3. *Cod.* conciliarent; Noodt, *de pact. et transf. c.* 20. pro *obligari* legit *obligare*, Schult. *in Enar. tit. ff. de Pact.* § 21. docet. non neminem eam putavisse Modestini sententiam, ut puberes ex contractibus suis teneantur, quibus absens curator consensum interposuisset; Weber vero *l. l.* § 72. *p.* 292 *seq.* obligationes, quas adulti sine curatore inire possunt, intelligit de iis, quae ad solam eius personam pertinent, sic v. g. ad nuptias contrahendas eos obligari, si stipulanti hoc promisissent (cf. Voet, *ad tit. ff. de Min.* § 52), quam doctrinam eo firmat, quod curator bonis inprimis datur, et minores mares sua auctoritate nuptias contrahere potuerint, etiamsi curatores haberent, vid. *l.* 20. *ff. de R. N.* · *l.* 8. *Cod. de Nuptiis*, add. Ulp. *tit.* 11. § 21 *seqq.*; sed quomodocunque legem illam intelligamus, adfirmare non dubito, (cum tantos viros in eo consentire videam, ver-

ba

ba Modestini nihil docere quod nostrae sententiae contrarium sit, et taedeat eorum argumenta repetere) adultos curatorem habentes, non magis quam impuberes, suas res posse alienare, aut validam obligationem ex contractibus aut aliis factis voluntariis licitis contrahere, nisi consensu curatoris, vid. *l.* 3. *C. de in int. rest. min. l.* 21. *ff. de V. S.*, quae facultatem se obligandi iis demum concedit, qui veniam aetatis impetravissent, conf. *l.* 1. *C. Th. de Tutor.* ibique Gothofr. — U. Huberus vero in *Prael. ad l.* 3. *tit.* 20. *I.* § 5., aliam viam ingreditur ad placandum Modestinum; scilicet persuasum etiam ei fuit, curasse Romanos, ne adulti, qui curatorem sibi petierant, contractu sine auctoritate inito laederentur, sed alio modo hac in re eos processisse quam ratione impuberum existimat, nec, contractus illos ipso iure nullos fuisse, adfirmare ausus fuit. Hinc igitur quaesivit utrum argumentum quod pro ea sententia ex *d. l.* 3. *C.* ducitur, omni dubitatione maius esset, quo nimirum ex eo quod restitutio denegatur minori sine curatore contrahenti, tanquam non necessaria, concludatur, minorem hoc casu ipso iure non fuisse obligatum, utrum igitur ideo quod ibi minor ipso iure tutus dicatur, dici debeat nec in casu *d. l.* obligationem ei incubuisse? Hoc negandum

dum ei visum est propter *l.* 101. *ff. de V. O.*, eamque cum *d. l.* 3. conciliari posse putavit, si diceretur contractum a minore sine curatore initum, non quidem servandum esse durante cura, (ut necessarium non esset restitutionem concedere, si intra hoc tempus peteretur) sed minorem tamen obligatum fuisse, ut implementum contractus cum effectu peti posset si maior factus non fuisset restitutus (1). Sed an ex sententia Huberi dicemus, ipso iure nullum fuisse talem contractum tempore minorennitatis, postea vero reconvaluisse, et si tempus restitutionis petendae praeterlapsum esset, validum per omnia et irrevocabilem fuisse habitum? Nihil magis Iuri Romani contrarium videtur, quo obligatio ab initio vitiosa, nequaquam dicenda est propter solam mutatam conditionem obligati, convalescere posse *l.* 24. *ff. de Reg. iur.* Existimat itaque Huberus in suspenso fuisse obligationem ab adulto sine curatore contractam, usque ad annum aetatis 25, ideoque non tantum in *d. l.* 3. *Cod.*, sed etiam in *l.* 2. *C. si adv. don. l.* 2. 4. *Cod.*, *in* qui-

(1) Putat enim Huberus, in casu *d. l.* 3. restitutionem a minore fuisse petitam, quae si a maiore 25 annis, ante elapsum tempus quod restitutioni petendae conceditur, fuisset petita, tamquam necessaria fuisset concessa.

quibus causis in integ. restit. l. 2. 4. 8. *Cod. de Praed. min.*, denegatam fuisse restitutionem; sed ut sileam has omnes leges ex Huberi sententia debere intelligi de casu singulari egisse, cum tamen probabilius sit solum Modestinum in *l.* 101. *ff. citat.*, ius singulare exposuisse, praeterea mihi persuadere nequeo in omnibus illis rescriptis, tam captiosa et futili subtilitate usos fuisse Imperatores, qua ipso iure tutos dicerent minores, qui non ipso iure ab obligatione liberarentur, sed qui post aliquod tempus cum effectu possent conveniri, et qua eximio restitutionis remedio non indigere dicerentur adulti, quorum obligatio adhuc in suspenso esset; potius itaque dicendum videtur, iis in locis ubi adulti sine curatoribus suis alienantes, aut contrahentes, ipso iure tuti esse dicuntur, doceri, ipso iure nullum fuisse quod gessissent, eodem modo ac in impuberibus obtinere vidimus. — Caeterum quod de minoribus curatorem non habentibus dixi, alienare eos posse et validam obligationem contrahere, aliosque ab ea liberare, multo magis verum est in iis, qui veniam aetatis impetraverunt, hi enim, ut supra iam monuimus, in eo tantum a maioribus differunt, quod prohibitiones res suas alienandi, a Severo et Constantino factae, ad eos etiam pertineant, propter ipsorum uti-

li-

litatem, *l. un. Cod. Th. l.* 2. 3. *Cod. de His qui ven. aet.*, ſed omnia alia inſtituta, quibus Romani damna minorum praecavere et emendare ſtuduerunt, ad eos qui veniam illam nacti ſunt, non ſunt referenda *d. l. un. l.* 1. *Cod. Th. de Tutor.* ibique Gothofr.

CA-

CAPUT TERTIUM.

DE VI ET NATURA OBLIGATIONUM AB IMPUBERIBUS ET ADULTIS INEUNDARUM.

Exposuimus doctrinam Iuris Romani, in quantum defectum aetatis compensat et tutorum curatorumque datione, tam impuberum quam adultorum indigentiam in omni bonorum administratione fulcit, ut horum auctoritate interposita, eandem personam habere possent in civitate ac maiores, et aeque tuti essent ab aliorum fraudibus, tam in iurium acquisitorum moderatione, quam in eorum translatione, acquisitione et obligationibus contrahendis; ex quibus igitur dici posse videtur, omnibus his iuribus et privilegiis, de quibus nunc vidimus, satis simili in conditione fuisse positos minores cum maioribus, qui censeri possent boni patrisfamilias officio fungi. — Sed ut doctrinam Iuris Romani in obligationibus ab impuberibus et adultis ineundis, uno conspectu complectamur, breviter repetenda sunt quae superiori Capite attulimus. Vidimus scilicet nec impu-

beres, nec adultos, qui tutorum aut curatorum auxilio regerentur, potuisse ex sua persona obligationes contrahere, quae innitantur voluntati obligati, sed subductos illos fuisse ipso iure obligationibus quas lex nasci vult ex contractu, negotiorum gestione, hereditatis aditione etc., ut et damnis ex factis voluntariis licitis, alienationibus nimirum, sive rerum, sive obligationum, cum tamen de obligationibus mere legalibus, iisque quas lex, sine conventione, sequelas facit facti alieni, aeque teneantur ac de damnis casu fortuito datis, et obstricti etiam sint, tam in delictis quam in conventionibus iisdem obligationibus quibus in maioribus dolus vindicatur, habita licet aetatis ratione; videamus iam quodnam sit huius iuris fundamentum: et videor mihi hoc reperire in *l.* 189. *ff. de R. I.*, ubi dicitur pupillus „ nec velle nec nolle posse sine tutore, „ nam (ut additur) quod animi iudicio fit in „ eo tutoris auctoritas necessaria est", quod quamvis a Celso impuberum tantum ratione dicatur, Romanis tamen adultorum etiam curatores habentium ratione placuisse, mihi quidem ex eo satis probari videtur, quod et huius obligatio sine curatore inita ipso iure nulla sit, ut supra vidimus. Scilicet licet adolescentes suis rebus gerendis satis idonei fuerint habi-

biti, ut, si beneficio curatorem petendi uti contemsissent, validam per omnia voluntatis determinationem habere censerentur, ad suas res alienandas et obligationes ineundas, si tamen sibi parum fidentes, curatoris auxilio regi petiissent, et eo ipso significassent, velle se renuntiare liberae annuendi et abnuendi facultati, simul cum concessione beneficii illius, quo curator adultis promitteretur, declarasse videtur civitas, se confirmare renuntiationem illam, et iam adultum qui petitionem pertulisset, similem habere ei, cui a Praetore, curatore dato bonis interdictum est (*l.* 3. *Cod. de in int. rest. minor.*).

Voluntatis igitur defectum in contractibus et alienationibus, per auctoritatis praestationem supplere, ad praecipua tutorum curatorumque munera pertinet, uti iudicii defectus inprimis suppletur in educatione et bonorum pupillarium moderamine, hinc nisi auctoritas pure expressa, et in ipso negotio fuerit interposita, pupillus consensisse non videtur et nullum proinde erit quod consensui inniti debuisset. — Sed cum nullus voluntatis defectus conspiciatur in obligationibus legalibus, iisque quae ex delictis aliisque factis dolosis oriantur, in quibus malitia supplet aetatem, ut nulla alia compensatio desiderari possit, consequens esse debuit, pu-

 pil-

pillos etiam per se his obligationibus ineundis sufficere. Iam vero licet constet quomodo et quo fundamento Romani etiam in ineundis obligationibus inconsulto iudicio prospexerint, ad vim et naturam eius doctrinae recte percipiendam, omnino necessarium videtur, ut magis ex professo in indolem huius beneficii minoribus praestiti inquiramus. — Non enim sufficit monuisse, ea quae pupilli sine tutoribus curatoribusque gessissent ipso iure nulla habita fuisse, nisi simul innotescat quomodo hoc receptum fuerit, quo cum effectu, et quaenam etiamnum subsistat relatio pupillum inter et adversarium? quae ultima quaestio (nam ex hac caeteras definiri posse videtur), vulgo ita instituitur: an etiam impubes et minor ex contractu sine tutore aut curatore inito naturaliter obligetur?

At vero huius quaestionis intellectus multis dubitationibus ansam praebere videtur, cum inter ipsos Romanos, de notione naturalis obligationis non constiterit (vid. *v. g. l.* 25. § 11. *ff. de H. P. l.* 10. *ff. de O. et A. l.* 16. § 4. *ff. de Fideiuss.*) non magis quam de iure Naturae a iure Gentium distinguendo (vid. Cl. de Wal, *oven den invloed der Wetboek, p.* 41 *seqq.*) et valde metuendum sit ne moralem imputationem, cum naturali obligatione ex men-

te

te Romanorum confundamus. — Non mirum igitur, si Interpretes Iuris Romani in eo desudantes videamus, ut varia hac de re loca concilient, quae tamen cura, ut mihi videtur, magis ad verba quam ad placita Iuris Romani refertur; quid enim, cum in *l.* 41. *ff. de Cond. indeb. l.* 95. *ff. de O. et A.*, docemur pupillos ne quidem naturaliter obligari ex contractu sine tutoribus curatoribusve inito, quod tamen adfirmatur in *l.* 42. *ff. de Iureiur. l.* 25. § 1. *ff. quando dies leg. cedat.*, aliisque plurimis, an ideo cum Walchio, *ad Eckhard. Herm. Iuris lib.* 1. *c.* 4. § 158. *p.* 336. dicemus, Iurisconsultos inter se dissensisse, cum maxime verisimile sit de re ipsa eos convenisse, sed tantum obligationis naturalis indistinctam notionem, aliam ex his aliam ex aliis, scripturam elicuisse? cum idem fortasse ICtus, rogatus an pupillo obstaret exceptio repetenti solutum sine tutore, respondisset pupillum ne quidem naturaliter obligatum fuisse, qui tamen contrarium dixisset, si consultus fuisset utrum fideiussor contractui pupilli sine tutore inito accedens obligaretur? Mihi nulla hic antinomia temere admittenda videtur, sed quae nobis melior visa fuit ingrediamur viam, quaerentes utrum contractus ab impubere aut adulto sine tutore aut curatore initus, ita

nul-

nullus sit, ut ne tenue quidem iuris vinculum subsistat inter pupillum eiusque adversarium; an vero, licet huic nec actio nec exceptio detur contra pupillum, conspiciatur tamen quidam ex tali conventione effectus? Et hoc quidem adfirmare nullus dubito, generalis enim et sanae rationi omnino conveniens est regula, cum principalis causa non consistit ne ea quidem quae sequuntur locum habere (*l.* 128. *ff. de R. I.* Weber, *l. l.* § 104. Averanius, *Int. Iur. lib.* 2. *cap.* 12.), ex qua igitur fideiussoria obligatio, obligationi a pupillo sine tutore contractae, accedere non potuisse dicenda esset, si nulla huius conventionis ratio haberetur; iam vero in *l.* 42. *ff. de Iureiur.* *l.* 127. *ff. de V. O.* (ad *l.* 5. *ff. de Pign. et hypoth.*) docemur, fideiussorem pro pupillo intervenientem valide omnino obligari, licet secus sit si pro prodigo aut furioso intervenisset *l.* 6. *ff. de V. O.* — Vanum etiam esset Iurique Romano omnino contrarium, quod docetur in *l.* 1. § 1. *ff. de Novat.* obligationem illam pupilli potuisse per novationem in aliam transferri, aut contrahi in locum validae obligationis (*d. l.* 1. § 3. *I. quib. mod. cont. obl.*), nisi revera obligationis quaedam umbra a pupillo fuisset contracta, et relatio quaedam intercederet pupillum inter, eumque quocum sine tu-

tutore contraxisset, quae fundamento sit obligationibus accessoriis et novationi vim tribuat. — Sed qualis igitur est illa relatio? Ut videamus quaenam hac de re ex fragmentis veterum ICtorum elici possint, ante omnia hic memorandae veniunt *l.* 21. *ff. ad leg. Falc.* et *l.* 44. *ff. de Solut.* Scilicet quoniam heres in quartam Falcidiam imputare necesse non habet, quae ex *conditione*, Legatario imposita, forte ad illum pervenerunt, debeat vero imputare *debita* a creditoribus hereditariis ipsi soluta, tamquam bona hereditaria, hinc quaesitum fuit, si forte Testator pupillo aliquid legasset, ea conditione, ut heredi solveret, quae ex contractu sine tutore inito testatori debebantur, utrum heres si pupillus solvisset, solutum in quartam imputare necesse haberet, an minus; i. e. utrum pupillus censendus sit tamquam debitor id solvisse, an vero adiectio illa habenda esset conditio legato adiecta? Sed Paulus et Marcianus in *dd. ll.* conveniunt: *censendum esse pupillum hoc debuisse*, et quae solverit in Falcidiam esse imputanda, ne scilicet beneficium pupillorum, ubi ipsorum non interest, heredi prosit, in praeiudicium Legatariorum et Fideicommissariorum.

Secundo huc pertinet *l.* 95. § 2. *ff. de Sol.* cuius casus hic est. Titius pupillo cuidam

100 credidit, sine tutoris auctoritate, quae non in totum, sed pro parte tantum, in rem eius versa sunt; cum itaque pupillus moreretur, relicto herede eodem Titio, quaerebatur: quid de debito illo statuendum esset, utrum Titius illud ex hereditate posset retinere, nec eius nomine molestari posset a Legatariis, an vero tantum praecipere posset, quibus locupletatus erat pupillus, et quorum ratione, ipse etiam pupillus civiliter fuisset obligatus? Sed Papinianus respondet „ *in solidum* creditum „ suum ex hereditate retinet"; ubi igitur rursus exemplum habemus, quo beneficium pupillare cessat; et censetur pupillus obligatus fuisse de mutuo sumpto, quod tamen in rem eius versum non fuerat.

Tertium exemplum habemus in *l.* 64. *ff. ad SCtum Trebell.*, quae docet heredem pupilli solutum non repeturum, si vi mutui quod pupillus sine tutore ceperat, creditori solverit, imo ipsi pupillo obstare exceptionem, si solutum heredi eius quocum sine tutore contraxisset, repeteret, ex quo intelligi debet *l.* 25. § 3. *ff. quand. dies leg. ced.*, quae docet non quidem valere legatum, eius quod pupillus testatori debet, ex contractu sine tutore inito, si *praesens debitum* inspiciatur, recte tamen illud

re-

relictum conferi, si naturalem obligationem et *futuram solutionem* cogitavit testator, quasi legavisset spem eius quod pupillus forte soluturus erat; nisi enim sciamus heredem adversarii pupilli exceptionem habere, ex illius contractu sine tutore inito, intelligere non possemus, quare non aeque nullum esset legatum, quod condictione indebiti repetere posset pupillus si solvisset, quam eius quod legatarius numquam petere potuisset; cum nihil intersit ipso iure quis actionem non habeat, an vero actio per exceptionem peremptoriam infirmetur, (*l.* 112. *ff. de Reg. iur.*) nec quisquam capere videatur, qui per exceptionem a petitione removetur *l.* 13. 51. *ff. eod.* (1).

Cum vero haec omnia evincant, beneficium pupillorum quo liberantur, saltem ratione eius quo cum contraxerunt, omni obligatione ex contractibus, ab iis solis initis, cessare, ubi ipsorum non amplius interest, non sine ratione adhuc: Quartum exemplum mihi afferre videor, ex quo

(1) Nemo non videt; rationem quare exceptio contra ipsum pupillum detur, heredi eius quocum pupillus contraxit, in eo sitam esse, quod mitius de eo consulendum putaverint Romani, cui non imputari potest culpa, quod in conditionem minoris non inquisiverit, quae tamen ipsi adversario minoris incumbit.

quo probatur, cessare etiam beneficium illud, quo dicatur pupillus solutionem accipiendo debitorem liberare non posse, si liberatio ipsi pupillo non noceat; colligitur enim hoc ex *l.* 11. *ff. de Sol.*, ubi Pomponius docet: si extraneus solutionem in personam pupilli contulerit, et stipulatus fuerit „ mihi aut pupillo „ dare", solutione pupillo sine tutore facta, liberari debitorem, atque ac si solutio in personam maioris esset collata, (conf. § 4. *I. de Inut. stip. l.* 12. § 3. *ff. de Sol.*) cuius ratio est, ne beneficium pupillare, extendatur ad maiorem; ipsi enim pupillo, stipulatione illa aliena, nullum ius fuit tributum, nec igitur eius ratione beneficio locus erat, quo praecavetur ne iura sua temere amittat, sed si igitur nec hoc casu debitor extranei liberaretur, per solutionem pupillo factam, et posset etiam nunc, si pupillus locupletior factus non esset, debitum exigi, dicendum esset, maiori extraneo prodesse beneficium minorennitatis, quod Romanis minime fuit propositum.

Hisce itaque satis ni fallor probatur beneficium pupillorum, quo ipsorum ratione tolluntur omnes effectus nocituri (1), tam contractu-

(1) *Effectus nocituri.* Scilicet tenendum est, subductionem illam factam fuisse ipso iure, tam ratione damno-

tuum sine tutore aut curatore initorum, quam alienationum, sive rerum sive obligationum, non tantum personale esse, ut ad heredes tantum transeat, qui eorum personam sustinent, sed tantam etiam abesse, ut quod cum pupillo gestum esset pro non gesto habeatur, ut potius dici posse videatur: omnes externos effectus, factorum voluntariorum pupillorum subsistere, et contractus sine tutore initos recte omnino contractos censeri, nisi quod ipse pupillus eiusque heres, *subducatur* eorum obligationibus, ratione tamen habita personarum, contra quos beneficium illud detur, uti ex *l*, 64. *ff. ad SCtum Treb.* vidimus;

At quum tamen subductio illa locum habere nequeat, nisi obligatio quaedam exstiterit, ex

norum ex alienatione, quam ratione omnium obligationum voluntate contractarum, sine discrimine revera noceant, an tantum nocere posse videantur, sic v. g. aditione hereditatis non obligatur pupillus, quamvis obligationes locupletis hereditatis dici non possent ei detrimentum afferre; nec magis ex emptione venditione obligatur ideo, quod commodis forte conditionibus contractus esset initus, quoniam voluntas Legislatoris etiamnum subsistit, quae est, ut omnia ex facta voluntaria licita pupillorum, quae eos laedere possent, ipsorum ratione nulla habeantur. Conf. Voorda, *Int. et Em. lib.* 1. c. 1.

et saltem dicendum sit pupillo, qui ita obliga-
tioni civili subducatur; debere obligationis
quandam umbram incubuisse; quae fundamen-
to sit obligationibus accessoriis et omnes illos
effectus civiles producat, quos ratione extra-
neorum, aeque obtinere vidimus ac si contrac-
tus a maiore esset initus, superest, ut videa-
mus, quando ex sententia Romanorum, pupil-
li subducti censeantur obligationibus suis, quan-
do vero ab initio conventio illa nulla habita
fuerit, ut nullos omnino effectus producat. —
Et mihi hac in re nulli dubitationi locus vi-
detur adesse, pubertati enim proximus obliga-
re se potest voluntate sua in delictis, ut vidi-
mus *c.* 2. § 2., infans et infantiae proximus
vero, furiosis similes dicuntur, et iure tantum
singulari, receptum fuit, ut etiam infantiae
proximus, alios sibi obligare posset, (vid. *c.*
1.) ex quibus igitur tuto colligere mihi vide-
or, pubertati proximos naturalis, ut ita di-
cam, obligationis, capaces fuisse habitos, sed
subductos fuisse obligationi civili, ita tamen
ut caetera omnia subsistant, et v. g. fideiussor
pupilli ad solutionem pretii possit cogi, quam-
vis principalis obligatio effectu destituatur (1),
ut

(1) Sed an igitur dicemus, fideiussorem hic teneri,
quamvis in duriorem causam sit adhibitus, contra regu-
lam

ut debitor extranei liberetur per solutionem pupillo factam, si haec a creditore in pupilli personam esset collata, secundum *l.* 11. *ff. de Solut.* etc.; sed ab altera parte cum stricto iure, infantiae proximus ne quidem alium sibi obligare possit, hinc sequitur: iis quae huius aetatis pupilli gessissent, nullos omnino effectus a lege fuisse tributos, non magis quam ex gestis furiosorum, ut nulli subductioni locus esset (1).

Caeterum quamvis difficile sit de origine et extensione huius subductionis ad adultos curatorem habentes, cum quadam certitudine aliquid

lam in *l.* 8. § 7. *ff. de Fideiuss.* propositam? Non videtur, ex sententia Romanorum, sic fideiussoris causa durior esse quam principalis, cum enim fideiussor accedere etiam possit naturali obligationi, ut non tantum exceptione repellatur, si solutum repetere velit, sed etiam ex stipulatu posset conveniri, (*l.* 16. § 3. *eod.*) sequitur: salva dicta regula, *magis validas* esse potuisse fideiussoris obligationes; adeoque eum tantum fideiussorem, habitum fuisse in duriorem causam adhibitum, qui v. g. promiserat se plus soluturum, quam principaliter obligatus. Vid. *d. l.* 8. § 7.

(1) Dicendum videtur nec infantiae proximum filiumfamiliam, potuisse patrem de peculio obligare contractu suo, sed ea aetate maiores, licet impuberes, hanc obligationem contrahere potuisse, imo ex mente Romanorum patres illi obligationi subductos non fuisse, ex monitis satis apparet.

quid definire, probabile tamen videtur eam iuri non scripto deberi, cum liberatio illa iam initio notioni tutelae cohaerere debuerit; sed ICtorum fortasse interpretationi, ea quae modo monuimus accepta referenda sunt, ut hi contractibus aliisque factis voluntariis pubertati proximorum et adultorum, vulgares effectus tribuerent, si hi effectus ipsum pupillum non spectarent nec eum nocere posse viderentur.

Atque his quidem subsistere posse mihi viderer, nisi adhuc dubitatio esset tollenda, quae circa obligationes quasi ex delicto, nasci posset, cum ibi, sine eo, ut malitia suppleat aetatem, valida per omnia obligatio pupillis imponatur, sine tutoribus aut curatoribus suis; sed de singulis videamus. — Obligatio eius, ex cuius aedibus deiectum aut effusum quid est, quod detrimentum dedit, aut qui periculose positum, aut suspensum quid habuit, haud dubie inhabitanti incumbit, sine discrimine ipse obligationi causam dederit, an minus; quod si igitur pupillus inhabitaverit, et ipse v. g. periculose aliquid posuisset, dicendum videri posset, eum ex facto suo voluntario obligari; sed notandum aliam plane rationem esse, inducendarum harum obligationum, quam earum quae ex facto voluntario, v. g. negotiorum gestione veniunt; inhabitanti enim obligatio quasi

ex

ex delicto incumbit, quamvis ipse omnino culpa careat, (vid. Huber, *ad l. 4. tit. 5. h.* § 1. Weber, *l. l.* § 10.) et Legislator proinde nullam rationem habuit voluntatis determinationis obligati, sed in habitanti qua tali, obligationem imponit publice utilem, quod factum cum aeque in infante ac in maiore cadere possit, eodem modo pupillos hic obligari ac ubi sola lex obligationem imponit, mihi satis consequens videtur. — Idem est in obligatione exercitoris, ex furto vel damno dato, ab iis quorum opera utitur, si enim semel pupillus auctoritate tutoris aut curatoris navem exercuisset (vid. *l.* 1. § 16. *ff. de Exercit. act.*), obligatio rursus, quae propter utilitatem navigantium exercitori imponitur ex facto alieno, maiori non magis quam pupillo incumbere debuit, quamvis enim *l.* 16. § 1. *ff. de Rei vind.*, ratio eius obligationis introducendae reddatur; „ quoniam culpa est malorum hominum opera „ uti", et sic saepe aequitas illius actionis probari possit, nequaquam tamen dicendum in eo consistere eius fundamentum, cum haud dubie etiam actio exercitoria in eum detur, cui ne moraliter quidem imputari possit furtum a famulis factum. — Sed quid dicendum si iudex minor, secundum supra monita, litem suam fa-

ci-

ciat? Haec obligatio ex aliis principiis derivanda videtur, adest enim hic factum voluntarium quod minori etiam moraliter imputari possit, cuius igitur obligationi videri posset debuisse subduci; sed ne repetam quae supra de hac obligatione scripsi, nullus dubito, ex hoc solo exemplo exceptionem admittere, ut enim malitia supplet aetatem in dolo gestis, quare non publica aestimatio defectum iudicii in iudice supplere possit, cum in neutris curator possit accedere? et nonne cum ratione *dicemus*, iudicem, licet in ineunda obligatione ex contractu, vel aliis factis licitis, si curatorem habeat nec velle nec nolle posse intelligatur, in iis tamen quae tanquam iudex gerit, obligationem posse contrahere ex facto voluntario illicito? Ita sane videtur, quoniam hic sublata omnino est ratio propter quam voluntatis defectu laborare censeatur adultus, licet enim in bonorum administratione, renuntiatio liberae annuendi et abnuendi *facultati*, *publice* confirmata fuerit per curatoris dationem, Legislatio tamen sibi obloqueretur, et inconsequens fieret, si fictionem deficientis voluntatis etiam in iudicis persona servaret, ad quam renuntiatio illa non pertinet, aut pertinet fortasse, sed publica confirmatione caret. — Et ex his igi-

tur

tur de ratione etiam conftare posfe videtur, non tantùm: quare adultus curatorem habens folus posfit nuptias inire, fed etiam quare de l. Aquilia teneantur doli capaces, five dolo, five culpa damnum dederint, conf. *fupra cap.* 2. § 2.

PARS TERTIA.

DE VI ET NATURA IURIUM, QUAE IMPUBERIBUS ET ADULTIS IN IUDICIO COMPETUNT.

CAPUT PRIMUM.

DE HISTORIA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

Initio huius disputationis diximus, nos per iura quae minoribus in iudicio competunt, intelligere restitutionem in integrum, quae causa cognita a magistratibus maioribus, impuberibus adultisque laesis conceditur, sed antequam ad eam veniamus de progressu iuris hac in re, quaedam praemonenda videntur. — Ante omnia huc pertinet lex Plaetoria quae, ut ait Cicero, *de Nat. Deor. l.* 3. *c.* 30, rei privatae iudicium fecit publicum si minor 25 annis cir-

circumscriptus esset, conf. *de Off. l.* 3. *c.* 15, licet enim iam XII Tab. sanxerint, tutorem finita tutela furtum duplione luere (vid. Pothier, *ad XII. Tab. 7. c.* 8.), et in b. f. iudiciis etiam doli ratio haberi deberet, quoniam eorum formula, quantum aequius melius et, ut inter bonos bene agier oportet, laxiorem iudici potestatem concedebat, in stricti iuris iudiciis tamen, (nisi stipulatio dolum malum abesse interposita esset, quae scilicet sua vi actionem produceret contra dolosum adversarium), ante Aquilium Gallum, et multo magis igitur ante legem Plaetoriam, tam maiorum quam minorum ratione, civili et Praetorio iure subsistebant, quae dolo gesta essent, vid. Noodt, *de Form. em. dol. mal. c.* 5. (1), ut non tantum in omnibus stricti iuris iudiciis aliisque negotiis praeter contractus, per dolum adversarii, sed etiam per dolum non contrahentis, in omnibus conventionibus impune (2) laederentur minores, qui si togam virilem nondum sum-

(1) Noodtius hoc de formula Aquiliana, qua actio doli fuit introducta, recte affirmat, sed Aquillii Galli tempore iam per aliquod tempus invaluerat lex Plaetoria, quae non tantum eius coaevo Ciceroni fuit cognita, sed Plauto etiam qui ante Ciceronem vixit.

(2) *Impune* nisi scilicet Censoria nota afficeretur.

ſumſisſent, auxilio tutoris ſe contra aliorum fraudes ſatis tueri posſe cenſerentur, uti huic rei ſufficere existimabantur, qui post hanc ſolemnitatem ſuam tutelam receperant. — Sed lex Plaetoria omnia haec mutavit, et non tantum 25 annis minoribus redditis probatisque cauſis curatorem dari iusſit, ſed publico iudicio etiam coercuit eos, qui ſive in contractibus, ſive in aliis negotiis, impuberibus adultisque, dolo ſuo damnum dederant, quos (ex ſententia Cuiacii, *Obſ. l.* 19. *c.* 29.) exceptione etiam doli repulit, ſi ex contractu doloſe inito minorem convenirent, vid. *l.* 7. *ff. de Except.* Schult. *in Enarr. tit. ff. de Minor.* § 1. Aquilius Gallus postea, formulam excogitavit ex qua tam maior quam minor actionem illam doli posſet inſtituere, quae explicatur in *lib.* 4. *tit.* 2. *Pandectarum*, ſed cum neutro iudicio ſatis tuti viderentur minores, nec ferendum esſet laedi illos lubrico aetatis, huic etiam rei proſpexit Praetor „ animadverſurus uti quaeque res erit, in ea quae „ cum minore 25 annis gesta esſe dicerentur", ſecundum Edictum quod proſtat in *l.* 1. § 1. *ff. de Min.* ſcilicet quamvis egregie omnino, in quantum fieri posſet, damna minorum praecavisſent et emendasſent Romani, in iis tamen quae per ipſam rei naturam arbitrio administrato-

torum, aut etiam adultorum curatorem non habentium erant relinquenda, nondum ſatis proſpectum viſum fuit; quid enim ſi tutor aut curator eandem quam in ſuis rebus adhibuisſet diligentiam? Nunc actioni tutelae locus non erat, et pupillus tamen ſine ſua culpa damnum pati poterat; aut quid ſi a patre dati, ſine ſatisdatione esſent confirmati? Nunc ſi tutor locuples non esſet et bona pupillorum dilapidasſet, fruſtra minor tutelae aut hypothecaria actione experiretur; denique ſaepisſime fieri poterat, damnum pupillis allatum eius generis esſe, quod emendari non posſet a tutoribus eorumve fideiusſoribus, quibus igitur et ſimilibus caſibus, cum deterior conditio esſet minorum ſine ſua culpa laeſorum, quam maiorum, praetor medere voluit; inprimis tamen laeſionibus minorum curatores non habentium, quibus nullum ordinarium remedium largiretur ſi non dolo ſed lubrico aetatis laeſi esſent, et hinc igitur redintegrationem amisſae cauſae promiſit, cum nimis durum videretur, his ideo tantum nullam opem ferri, quod curatoris petitionem omiſisſent; hac igitur de re nunc accuratius erit videndum, et quidem primo: quibus in cauſis et quo modo reſtitutio intervenerit, ut deinde: fundamentum huius remedii, et viam quam in eo ſecuti fuerunt Praetores, exponamus.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM CONCEDENDA.

Ipsa Praetoris verba „ quod cum minore gestum esse dicetur", indicant prae caeteris ei curae fuisse, ne minores laederentur per facta voluntaria licita, sive ipsorum, sive tutorum curatorumve, ante omnia igitur restitutio pertinet ad alienationes, solutiones, aliasve liberationes, et contractus.

Primo: conceditur *contra alienationes* si tutor aut curator intercedente decreto, praedia aut mobilia pretiosa, v. g. vili pretio alienavisset, vid. *l.* 11. *Cod. de Praed. min.* quae docet minoribus, hoc casu, remedium illud superesse, quod non datur si sine decreto, contra SCtum Severi alienatio esset facta, aut si Praetori obreptum fuisset in interponendo decreto, quoniam his casibus mero iure tutus est (i), ut nullo extraordinario remedio opus es-

(i) Ex constitutione Iustiniani talis alienatio sine decre-

esſet, *l.* 5. *Cod. eod. l.* 5. § 15. *ff. de Reb. eor.* Conf. *l.* 16. *ff. de Minor.* Praeterea mulier reſtitutionem impetrare poterat ſi auctoritate tutoris (lex enim Iul. P. Pop. huic rei tutorem dedit, vid. Ulp. *tit.* 11. § 20. ibiq. Schult.) dotem dedisſet, vid. *l.* 9. § 1. *l.* 48. § 2. *ff. de Minor. l.* 1. *Cod. ſi adv. dot.* Paulus, *l.* 1. *tit.* 9. § 5. Is etiam qui auctoritate tutoris hereditatem, bonorum posſesſionem aut legatum repudiaverat, reſtitutus ad eius aditionem admittebatur (ſecundum *l.* 7. § 7. *ff. de Min. l.* 1. 2. *Cod. ſi ut omisſ.*), modo hereditas non distracta esſet, (*l.* 24. § 2. *ff. de Min. l.* 14. § 2. *ff. ad SCtum Treb.* Conf. Bynckersh. *Obſ. L,* 6. *c.* 21.), quo caſu reſtitutio in praeiudicium cederet creditorum hereditariorum, eorumque qui bona fide ab his res haereditarias emisſent, quod pasſi non ſunt Romani (1); ſed ubi hoc ſine iniuria alio-

creto, potest ratihaberi quinque annorum ſilentio, post maiorennitatem computandorum, niſi res fuerit donata, quo caſu decem anni inter praeſentes, viginti inter abſentes requiruntur, *l.* 3. *Cod. ſi mai. fact. alien.*

(1) Aliud exemplum quo reſtitutio denegatur minori heredi, ne iniuriam adferat tertio est in *l.* 22. *ff. de Min.*, ubi docetur, reſtitutum contra repudiationem hereditatis, non reſtitui contra ea quae curator, hereditati interim a Praetore datus, gesſisſet.

aliorum fieri posse videretur, Praetor restitutionem etiam concessit contra repudiationem hereditatis, cui priore restitutione adversus aditionem potestas esset facta, *l.* 2. § 10. *ff. ad SCtum Tert.*; ex quibus iam satis probari videtur Romanorum diligentia in redintegrandis minorum alienationibus, modo non obstaret utilitas publica.

Secundo: restitutio pertinet ad *liberationes*, quibus laesus est minor, et conceditur non tantum contra solutiones ab ipsis recte factas, (*l.* 2. *C. si adv. solut.*) sed etiam contra solutiones quas alii iis fecerunt, auctoritate tutorum aut curatorum, vid. *l.* 1. *C. eod. l.* 98. § 2. *ff. de Solut.*, modo huic solutioni decretum Praetoris non intercessisset, nunc enim restitutio denegatur *l.* 7. § 2. *ff. de Minor. l.* 25. 27. *C. de Adm. tut.*; quod si quis miretur, cur tale decretum in venditione, ut vidimus, non obstet restitutioni, differentiae ratio in eo rursus quaerenda videtur, quod plures esse possint casus, quo in emptorem, qui a minore rem emisset decreto intercedente, minor sine iniuria restitueretur, ut igitur necessarium non videretur hoc beneficium indistincte denegare, sed contra in solutionibus cavendum erat, ne nimius favor minorum, quos decreti interpositio iam quodammodo securos

red-

reddebat, debitores angeret; cum enim durum videretur, hos nullo modo se tute ab obligatione sua liberare posse, satius duxerunt Romani, nullam restitutionem admittere contra solutionem cum decreto factam, nam restituitur etiam minor contra novationem (*l.* 27. § 3. *ff. de Minor.*), compromissum (*l.* 34. § 1. *eod.* Paul. *Lib.* 1. *tit.* 9. § 4.) et transactionem damnosam (vid. *l.* 96. § 1. *ff. de Solut. l.* 1. *C. si adv. solut.*), nisi haec restitutio contraria videretur utilitati publicae, vid. *l.* 11. *C. de transf.* Porro huc referri potest quod restitutio impetrari potest contra sententiam nocituram, sine discrimine, si sententia dividi possit; restitutio petatur contra totam sententiam, aut partem eius (*l.* 29. § 1. *ff. de Minor.*), et utrum sententia lata sit in ipsos, an vero in tutores curatoresque, *l.* 4. 5. *Cod. eod.* modo minorem spectet, non vero maiorem, *l.* 3. § 1. *ff. de Minor. l.* 1. *Cod. si adv. rem iud.* et modo tutor aut curator pupillum defenderint, alias enim ipso iure nulla est sententia, *l.* 4. *Cod. in quibus caus. in int. rest.* Hoc tamen verum magistratum minorem non posse restitutionem concedere, contra sententiam maioris *l. un.* § 2. *ff. de off. P. P. l.* 18. *pr. ff. de Minor.*, et sententia Praefecti Praetorio qui vice principis iudicat, (*d. l. un.* § 1.) per ipsum

ſum ferentem tantum, aut per Principem poteſt rescindi (*l.* 1. *C. ubi et apud quem l.* 3. *Cod. ſi adv. rem iud.*), qui gravisſimas etiam ob cauſas, reſtitutionem concedit contra ſuam ipſius ſententiam, *d. l.* 18. § 1.; ſed nemo non videt hac in re ius publicum non debuisſe mutari. Sic nec plus ſemel reſtitutionem concedere voluerunt Romani in eadem cauſa, ne perpetuae redderentur lites, et ludibrio forent leges, quae etiam cauſa est, quare minor non reſtituatur contra ſententiam quae *reſtitutionem* denegat (vid. *l.* 1. *C. l. ult.* C. *ſi ſaep. in int. reſt.*), contra quam appellari tantum licet, et de iniquitate iudicis quaerere, niſi tamen minor novas defenſiones praetendat, aut omisſas antea obligationes, nunc enim non amplius eadem cauſa est, contra quam reſtitutio petitur, vid. *tit. Cod. ſi ſaep. reſt. in int. pet. l.* 36. *ff. de Minor.* Paul. *Lib.* 5. *tit.* 12. § 4. — Uti vero hic utilitas publica, ſic ſavor etiam libertatis, quae ſemel recte data revocari non poterat, (niſi in caſu *l.* 10. *ff. de Minor.*) cauſa erat quare minor non reſtituatur adverſus ſententiam pro libertate latam, (*l.* 1. 4. *Cod. ſi adv. lib.*) ſed appellandi tantum facultas ſupererat, ſi iniquitate iudicis ſe laeſum quaereret minor. Hinc etiam denegatur reſtitutio contra manumisſionem et indemnitati

tan-

tantum consulitur, si tutori curatorive aut ipsi liberto; dolus vel culpa imputari possit, (*l. 1 seqq. Cod. eod. l.* 11. *pr. ff. de Minor.*) imo si emptor servi eum mala fide manumisisset, ut minor venditor restitutionem impetrare non posset, hic etiam minori indemnitatem praestare debuit (*l.* 48. § 1. *ff. de Minor.* Paul. *Lib.* 1. *tit.* 9. § 5.), et utili actione conveniri potuit, quoniam facto suo effecerat, ut minor sua iura integra recuperare non posset, conf. *l.* 7. *ff. de Dol. mal.*, ad quam vid. Noodt, *de Iurisd. et imp. l.* 1. *c.* 14. *de Form. emend. doli mal. c.* 14. His igitur iam satis constare videtur, quibus in casibus Praetor emendavit alienationes, sive rerum, sive obligationum minorum, recte factas, sed quibus domini laederentur, cum generalitas eius remedii iam elucescat, quod tantum denegatur propter valida omnino momenta; sed uti latius patet obligationum contrahendarum periculum, cum hic nullam fere normam tutoribus et curatoribus praescribere possent Legislatores, sic etiam contractus inprimis spectavit Praetor, quando animadversurum se promittebat, in ea quae cum minore gesta essent, videndum igitur nunc

Tertio: de restitutione *adversus contractus.* Sed quum supervacuum esset, omnes contractus

tus hic recenſere, et ſufficere videatur modo univerſe dicamus, vulgo emendatas fuisſe conventiones nocituras minorum, (vid. v. g. *l.* 27. § 1. *ff. de Minor.*) ita quidem, ut omnia ad pristinum ſtatum reducantur, et v. g. fructus ex re vendita percepti, reſtituantur aut compenſentur cum uſuris, pecuniae ab emptore debitae, (*d. l.* 27. conf. *l.* 24. § 4. *ff. eod.* Paul. *Sent. Lib.* 1. *tit.* 9. § 7. *l.* 1. *Cod. ſi adv. fisc.*) et eo effectu, ut minor venditor de evictione non teneatur, (*l.* 1. *C. de Fidei. minor.*) ſatius existimavi, et ad intelligendam vim et naturam huius remedii efficacius, ut caſus quosdam ſingulares recenſeamus, quibus reſtitutio concedatur aut denegetur.

Elegans tale exemplum habemus in *l.* 3. *Cod. ſi adv. fisc.*; ſcilicet duplici modo fiscus res privatorum acquirere potest, vel conventione, vel occupatione ſive propter debitum fiscale, ſive nullo iure, putans eas ad ſe pertinere; ſi emptione rem minorum nactus esſet, et minor laeſum ſe probare posſet, reſtitutio conceditur ſecundum *l.* 1. *Cod. eod.*, ſi vero nullo iure eas occupavisſet, iam D. Marcus testibus Diocl. et Max. in *d. l.* 3. *C.* ſanxerat, fiscum per vulgarem quinquennalem praeſcriptionem res minorum non potuisſe acquirere, contra quos haec

haec praescriptio non currebat, conf. § *ult.* *I. de Usuc.* (1). Sed quid si debiti causa res a minore esset ablata et vendita? Nunc sane publicae venditionis auctoritas, quae augebatur, quoniam iure fiscus bona minori abstulisset, non patiebatur restitutionem in integrum concedi contra tertium b. f. possessorem; haec igitur causa Valentinianum in *l.* 1. *C. Th. de Fide et iur. hast.*, movit ut „ si quando ali„ quid ex rebus minorum, pro fiscalibus de„ bitis, adiudicetur emptoribus, restitutionis „ facultatem in omnem aetatem intercipi" iuberet, imo Zenonem etiam et Iustinianum adegit, ut nullis omnino actionibus molestari sinerent eos, qui quid a fisco aut domo Augustali, quocumque titulo essent nacti, vid. *l.* 2. 3. *C. de quadr. praesc.*; quod si igitur res minoris debiti causa a fisco esset vendita, videtur quidem actionem habuisse ad indemnitatem, si res minori pretio esset vendita, sed praeter hanc, nullum ei remedium supererat, et

(1) Maxime favorabile erat hoc Edictum D. Marci, quia si ab ipso minore rem abstulisset fiscus, intra 30 aetatis annum eam vindicare poterat, cum tamen si haec praescriptio contra minores curreret, tempore Marci annum tantum utilem haberet post maiorennitatis annos, quo posset restitutionem petere.

et hic est casus nostrae legis; Laurentius enim quidam minorennis, Diocl. et Max. proposuit, fundum suum debiti causa fuisse venditum, sed nimis exiguo pretio, dolo procuratoris fisci, et sine solemnitate hastarum; nunc si aliter indemnis servari non posset, *de dolo* actionem instituere quidem potuit contra procuratorem, sed quum satius esset ipsum fundum recuperare, restitutionem in integrum petiit, eo argumento, quod quinquennalis praescriptio contra minores non curreret. Huic responderunt Imperatores quinquennalem illam praescriptionem tantum pertinere ad res nullo iure a fisco occupatas, et hanc igitur allegationem Laurentii desiderium non adiuvare, sed velle tamen se, hoc in casu restitutionem concedere propter dolum procuratoris, quod ius licet tamquam ius singulare, non sit ad exemplum trahendum, sed adhiberi tantum possit in plane simili casu, mutatum tamen non videtur per memoratam constitutionem *Zenonis* et *Iustiniani*, cum hoc non necessario ex eo sequatur, quod is qui a fisco vel domo Augustali emat, nunc statim tutus esse dicatur, sed quum tamen haec verba ita generalia sint, ut res minorum nullo iure a fisco occupatas etiam comprehendant, iure novo dicendum videtur hoc in casu debuisse eos ad restitutionis remedium confugere, abro-

ga-

gato edicto Claudii, quo ipso iure contra quinquennalem praescriptionem tuti essent; de dicta vero *lege* 3. *Cod.* haec sufficiant.

Alterum exemplum quod speciali attentione dignum visum fuit, est in *l.* 1. *C. si adv. vend.*, quae docet minorem non restitui contra venditionem iure factam, si eam iureiurando corporaliter facto, (id est tactis SS. Euangeliis vel sublata manu, vid. D. Gothofr. *ad d. l.*) confirmaverit, licet enim iusiurandum, sua vi validam reddere non possit obligationem invalidam, (vid. v. g. *l.* 5. § 1. *C. de Leg. l.* 16. *C. de Non num. pec. l.* 7. § 16. *ff. de Pact.* conf. Weber, *l. l.* § 119. *p.* 522 *seqq.*), sufficere tamen visum est, ad denegandam validae obligationis rescissionem, nam perfidiae et periurii minorum auctores esse noluerunt Legislatores, ut etiam si corporali iureiurando, confirmavisset minor maiorennitatis suae probationem, nullum ei auxilium praestari voluerint, *l.* 3. *C. si min. mai. se dix.*, sed simplex tamen iusiurandum minori non praeiudicat, modo palam et evidenter ex instrumentorum probatione, non per testium depositiones, ostenderit, se eo tempore minorem fuisse *d. l.* 3. (1).

Ali-

(1) Leges illae *prima Codicis si adv. vend.* et 3. *Cod.* *si*

Aliud exemplum restitutionis tantum non denegatae, est in *l.* 9. *pr. ff. de Minor. l.* 1. *Cod. si adv. vend. pign. l.* 2. *C. de Praed. min.*, etenim si creditores minoris rem sibi oppignoratam distraxissent, restitutio minori ob enorme tantum damnum conceditur, aut si fraudulenta venditione damnum ei esset inflictum; cuius ratio est ne bonae fidei emptori, rerum iure distractarum possessio auferatur, ignoranti eas ad minorem pertinuisse, conf. *l.* 13. § 1. *l.* 14. *ff. de Minor.*; sed de casu quo pater aut extraneus res suas oppignoraverat, eaeque cum ad minorem heredem pertinerent, a creditore essent distractae, contrariae sibi videntur *l.* 2. *C. si adv. vend. pign.* et Paul. *Sent.* 2. *tit.* 9. § 8. Ex *d. l.* 2. enim vulgo colligitur, contra talem distractionem nullam restitutionem concedi, sed tantum actionem dari *in m. f.* distrahentem, ideo quod cum ipso minore nihil gestum esset; sed Paulus ait eam fuisse concessam, si pignora, *non ita ut oportuit, fuissent distracta:* quod cum intelligi non possit (uti recte innuit Schult. *a. d. l.*

Pau-

si minor. se mai., quae sunt Alex. et Dioc., non male fortasse interpolatae dicuntur (vid. Weber, *l. l.* § 120. *n.* 6.), quoniam corporale iusiurandum, ante receptam religionem Christianam usu obtinuisse vix probabile est.

Pauli) de casu quo *nullo iure* pignora fuissent distracta, quo casu ipso iure nulla est alienatio (*l.* 5. *C. de. Dist. pign. l.* 2. *C. si vend. pign. ag.*), necessario intelligendum est de propria restitutione in integrum propter aetatem. Ipsam quaestionem non adtingit Schultingius, dicam igitur quid mihi videatur. — Ex loco Pauli satis probari videtur, non indistincte denegatam fuisse restitutionem contra distractionem pignorum a patre obligatorum; quid igitur si dicamus eum concedi solere, si creditor iure quidem, sed vili pretio v. g. pignora dixtraxisset, simili modo, ut supra restitutionem concessam vidimus in casu legis 3. *C. si adv. fisc.*; legem 2. *C. si adv. vend. pign.* vero, interpretemur de casu quo distractio pignorum facta est vivente patre? Ratio iuris nihil obstare videtur, nec enim in casu *d. l.* 3, ubi fiscus rem minoris vendiderat, dici proprie poterat aliquid cum minore *gestum* esse, sed cum tamen lubrico aetatis laesus intelligatur minor, restitutio ibi conceditur, quia si maior fuisset praecavisset fortasse ne vili pretio suae res a fisco distraherentur; idem obtinet in distractione pignorum, nec si pater sua bona oppignorasset, eaque post eius mortem essent distracta, minori filio magis denegari

debuit restitutio, quam si ipse obligasset, sola enim distractione laeditur, quae cum utroque casu communis sit, aequali in utroque iure, emendatione indiget. Patet tamen secus esse si vivente patre distractio facta fuerit, hic enim, si non satis diligens fuerit sibi imputare debet, nec minori eius personam sustinenti restitutio concedenda fuit propter negligentiam defuncti; quodsi igitur *dictam l. 2. C.* intelligere possemus de casu quo pignora *vivente patre* distracta fuissent, omnis dubitatio sublata fuisset, sed obstat quod ibi docetur, pupillum debere, potius tutores curatoresque convenire, qui omnino obligari non potuissent ex damno, quod ortum fuisset ante tempus delatae tutelae vel curae, nihil igitur superesse videtur, nisi ut statuamus, vel in speciali casu, de quo *consulti* fuerant Imperatores Diocletianus et Maximianus secundum *d. l.* 2, damnum minoris non fuisse satis magnum, ut restitutio concedenda videretur contra tertium possessorem, vel odium dolosi creditoris, sive negligentis tutoris curatorisve, Imperatores movisse, qui horum alterutrum conveniendum iuberent.

Monendum adhuc est, antequam de restitutione adversus contractus dicendi finem faciam, mi-

minorem qui per maiorem procuratorem contraxit, non restitui nisi aliter rem salvam habere non possit *l.* 23. *in f. ff. de Min.* Etenim ab una parte probabile est procuratorem maiorem aut negotiorum gestorem res minoris bene gessisse, ab altera vero aequum erat, procuratorem potius, qui cum minore contraxisset, quam eum qui bona fide cum procuratore contraxisset, damnum pati; quod si ipse minor procurator est maioris, non restituitur contra ea quae tamquam mandatarius gessit, Paulus, *l.* 1. *tit.* 9. § 2. *l.* 4. *ff. de Minor.* uti nec filius qui iussu patris egit, *l.* 3. § 4. *l.* 23. *ff. de Minor.*, quoniam nunc ipse mandans contrahere censetur, et omne periculum ad eum pertinet, secus tamen est si mandatarius effectu inspecto a domino indemnis servari non possit, (*d. l.* 23.) aut filius, de iis quae gessisset cum in familia esset, conveniretur emancipatus aut exheredatus, hoc enim casu restitutionem impetrare potest *d. l.* 3. § 4.

His vero exemplis subsistere posse mihi videor, ex quibus iam effici potest, non quidem indistincte denegari restitutionem contra eum quocum minor nihil gessit, sed multo tamen difficilius impetrari, et fere non nisi alio modo indemnis servari non possit; videamus nunc contra quas personas restitutio omnino denege-

 tur,

tur; scilicet si in pari causa versarentur contrahentes, cum utrique minores essent, Pomponius negabat restitutioni locum esse, (*l.* 11. § 6. *ff. de Minor.*) quoniam videbat neutri nocere debere alterius restitutionem, sed utrumque potius auxilio indigere, vidit tamen U l p i a n u s, *in d.* § 6., posse existere casum, quo haec regula nimis generalis esset, quamvis enim nemo non intelligat, ordinario quidem inter duos minores meliorem esse debere causam consumentis, (*l.* 34. *ff. eod.* P a u l. I. *tit.* 9. § 4.) sine iniuria tamen minor restitui posse videbatur contra minorem, in lucro versantem; quid enim si minor minori fundum v. g. locavisset vili mercede, ex quo multo plures fructus percepisset conductor, quam pro mercedis quantitate? Nunc si fructus illi non consumpti essent, sed conductor locupletior ex iis factus esset damno locatoris, videtur restitutio ei concessa fuisse secundum *d. l.* 11. § 6. *l.* 34. *ff. de Min.*, non quidem ut in integrum ius suum reciperet, sed eo tantum cum effectu, ut per speciem restitutionis, minori conductori lucrum ex contractu utrimque recte inito perceptum, auferretur, quod sine restitutione fieri non posset, ut dicendum sit ex bono et aequo emendatum etiam fuisse damnum, quod minor ex conventione cum minore, pateretur.

Sed an minori etiam restitutio conceditur contra filiumfamilias, cui contra SCtum Macedonianum mutuum dedisset? An ei etiam obstat exceptio SCti Velleiani, si mulier apud eum pro alio intercessisset? Prius adfirmat Ulp. *l.* 11. § 7. *ff. de Minor.*, quoniam maior aetatis quam SCti ratio habetur (1), sed Caius, in *l.* 12. *ff. eodem*, ordinario ei omne auxilium contra SCtum Velleianum denegat, cuius differentiae duplex ratio reddi potest. Prima enim in oculos incurrit, cum scil. mulieris intercedentis obligatio tantum accessoria sit, ut minor fortasse a debitore principali suum consequi possit, extra necessitatem infringere noluerunt Romani SCti Velleiani vim, sed praeterea secundo observandum est, Romanos sive ratione habita fragilitatis sexus, sive alias ob causas, SCto Velleiano magis favisse quam Macedoniano, nam etiam exceptio creditori denegatur, si mulier solutum propter intercessionem repeteret, filiusfamilias vero si paterfamilias factus creditori solvisset non repetit *l.* 40. *ff. de Cond. ind.*, et quamvis fideiussor, donandi animo pro fi-

(1) Quod si etiam filiusfamilias mutuum accipiens minor fuerit, cum in pari causa nunc versentur, restitutio rursus conceditur tantum, in quantum filiusfamilias locupletior fuerit factus, vid. *l.* 34. *ff. de Minor.*

filiofamilias mutuum capiente interveniens, cum effectu obligetur (*l.* 9. § 3. *ff. ad SCtum Maced.*), fideiusfori tamen mulieris intercedentis datur exceptio, etiamfi mandati actionem in mulierem non haberet, quoniam SCtum Velleianum totam obligationem improbat, *l.* 16. § 1. *ff. ad SCtum Velleian.*, quod fi teneamus, mirum potius videri debet, tantum fuisfe minorum favorem, ut mulier etiam ex intercesfione fua in fubfidium iis obligaretur, quam quod non aeque facile, remedium iis *daretur* contra SCtum Velleianum ac contra Macedonianum.

Quoad parentes et patronos, indubitati iuris est, nullam omnino reftitutionem contra eos potuisfe impetrari post Conftitutionem Iustiniani, in *l.* 2. *C. qui et adv. quos*, nifi in cafu *Nov.* 155. *c.* 1, imo nec Iure Pandectarum filiis aut libertis doli actiones et exceptiones *fuisfe* concesfas, fed in harum locum fubftitutam fuisfe in factum actionem et exceptionem, *l.* 11. *ff. l.* 5. *C. de Dol. mal. l.* 4. § 16. *ff. de Dol. mal. et met. exc.*, ne fcilicet laederetur obfequium parentibus patronisque debitum, propter donum vitae aut libertatis; fed quaeritur utrum etiam Iure Pandectarum prohibita in eos fuerit reftitutio, fi lubrico aetatis fe laefos quererentur liberi aut liberti, nec igitur allegatione doli eorum famam fuggillarent? Aperte hoc docetur in

in *l.* 27. § 4. *de Min.* ubi *specialis legis* mentio fit, qua restitutio contra parentes patronosque prohibetur, licet ea non denegetur contra omnes eos in quos actionem doli instituere non permittitur. Hinc igitur Bynckersh. *Obs. l. 7. c.* 12. iam ante Caium, specialem legem exstitisse putat qua restitutio illa denegaretur; sed licet Bynckersh. adsentiar contrarium non patere, ex aliis legibus a Cuiacio allatis, persuadere tamen mihi nequeo, fragmentum Caii nulla externa labe vitiari, quod praeter Cuiacium multi suspicati fuerunt; quid enim si specialis talis lex extitisset, an dubitatio illa locum habere potuisset de qua Iustinianus loquitur *in d. l.* 2. *Cod.*, cum alii existimarent concedendam non esse restitutionem in parentes nisi ex magna causa, vel propter turpem eorum personam, alii restitutionem denegarent, nisi minor eam peteret, quod se simplicitate sua deceptum, non dolo parentis aut patroni circumscriptum diceret? nec quis putet incertitudinem illam Caio antiquiorem fuisse, et eius tempore sublatam, constitutio enim Iustiniani indicat, eam ad sua tempora durasse sed sublatam fuisse *d. l.* 2. *Cod.* quae igitur videtur specialis illa lex esse de qua Tribonianus ad fragmentum Caii in *d. l.* 27. loquitur, add. Schult. *in notis ad d. l.* 27.

Vidimus de restitutione contra ea, quae cum mi-

minore gesta esſent, et iam ad disputationem de vi et natura eius remedii procedendum esſet, niſi adhuc quaedam monenda venirent de latiore Edicti Praetoris interpretatione; cum enim viderent Romani minores etiam fragilitate aetatis, et inconſulto iudicio posſe laedi, in iis in quibus tamen proprie dici non posſet aliquid cum iis gestum esſe, hinc uti contra distractionem pignorum a creditore, aut venditionem rerum, a fisco factam, ſic etiam reſtitutionem cauſa cognita concesſerunt contra lapſa fatalia appellationis, et eremodicium (*l.* 7. § *pen. et ult. ff. de Min. l.* 1. *Cod. ſi ſaepius in int. reſt.*) contra uſucapionem et praeſcriptionem uti ſupra vidimus, ſed inprimis etiam contra omisſam lucri quaestionem, *l.* 7. §. 8. *l.* 44. *ff. de Minor.*, et plura talia (1). — Huc etiam pertinent de quibus nunc videndum.

Quarto: reſtitutiones adverſus *obligationes qua-*

(1) Sic reſtituitur minor contra temere omisſam confesſionem debiti, quae dupli poenae reum facit *l.* 9. § 2. *de Minor.*, contra disſimulationem querelae inofficioſi, *l.* 1. *C. de in int. reſt.*, contra omisſam inſinuationem donationis, (*l.* 8. *C. Th. de Sponſ. l.* 17. *C. de Don. ante nupt.*) quamvis hoc nomine tutorem aut curatorem etiam potuisſet convenire, *l.* 2. *C. Th. de Adm. tut.*, et contra accuſationem testamenti, qua hereditatem amiſit, Paul. *l.* 5. *tit* 12. § 4. *l.* 5. § 9. *ff. de His quae ut ind.*

quasi ex contractu, et delictis.' — In his vero rursus separatae spectandae sunt obligationes, quas sola lex sequelas facit facti alieni, v. g. minoris tutoris honorarii aut cuius negotia gesta sunt, tutela aut cura administrata est, etc. Has enim quia sola lex, sine voluntate obligatorum moderatur, prouti generaliter aequum videatur, non magis restitutioni obnoxias esse quam obligationes mere legales, nemo non videt, tum quia Praetoris non est, ipsas leges evertere, tum quia laedi non censetur minor, qui iure sit usus communi. — Solae igitur illae obligationes ad nostrum institutum pertinent, quas lex sine conventione, facti ipsius pupilli auctoritate tutoris aut curatoris, vel adulti sequelas reddit, et in genere dici potest etiam in his restitutionem concedi; scilicet quod ad minorem negotiorum gestorem attinet, peculiare est eum non restitui contra dominum cuius rebus se immiscuit, (*l.* 24. *pr. ff. de Minor.* ibique Hub. *in Eun. Rom.*) non quasi non tantus favor esset minorum, qui sine conventione se obligaverant, ac eorum quibuscum aliquid gestum esset, (haud dubie enim restitutio etiam minori competit qui sine mandato pro alio fideiusserit, vel expromiserit, *l.* 7. § 3. *ff. de Minor. l.* 48. *ff. de Fidei. l.* 1. *C. de Filiof. min.*), sed uti hoc casu sufficit, et domino non praeiudicatur,

si

si idem ius in debitorem recuperet, quod habuisset ante intercessionem minoris, eo ignorante factam (*d. l.* 48. *pr. l.* 50. *in f. ff. de Min. l. un.* § 1. *C. de Reput.* Paul. *Lib.* 1. *tit.* 9. § 5.), sic si minor alicuius bona ignorantis administraverat, illius quidem indemnitati prospexerunt Romani, sed simul aequum visum fuit domino auxilium ferre; denegarunt itaque exceptionem contra directam negotiorum gestorum actionem, sed tamen defungi eum voluerunt, si petita restitutione contra eos *quibuscum* tamquam negotiorum gestor contraxisset, negotia reddat uti post restitutionem se habent, aut si facultatem restitutionem petendi cedat, ut dominus licet maior in suam utilitatem restitutionem posset petere, ex persona minoris, eodem modo et eadem aequitatis ratione, qua etiam in casu *l.* 25. *ff. de Adm. tut.* et *l.* 20. *ff. de Tut. et rat. distr.*, curatoribus restituitur actio tutelae directa in tutores, qua hi antea in minorem summam essent condemnati, in praeiudicium curatorum, a quibus pupillus indemnitatem petierat utili tutelae actione; Magistratus scilicet Romani, ut ait Caius in *l.* 1. *ff. de Alien. iud. mutandi causa*, id omnibus modis agunt, ne cuius deterior causa fieret ex alieno facto, prospiciendum igitur erat ne dominus, cuius minor negotia gereret, sine sua

cul-

culpa a minore laederetur, cum damnum illud potius ei incumbere deberet, qui cum minore contraxisset; prospiciendum erat ne curatores eo damna paterentur, quod tutores quocunque modo obligationi suae non satisfecissent, qui licet stricto iure per sententiam liberati erant, etiamnum tamen naturales pupilli debitores erant, eius in quod amplius potuissent condemnari, ut aequum esset curatori concedere ius quod minor in tutorem habebat, per restitutionem scilicet contra latam sententiam, tutori auferendi quod minus solvisset (*l.* 1. *C. si adv. rem iud.*) potius quam ut curatori detrimento esset, quod pupillo duplex via pateret indemnitatem consequendi, quarum illam elegerat, quae aequitati minus conveniret. — Quamvis igitur Paulus, in *l.* 24. *pr.* *ff. de Minor.*, nullam restitutionem concedat contra eum cuius negotiis minor se sponte immiscuerat, patet tamen; effectu inspecto, eum non magis laedi, quam si restitutus esset, cum etiam species restitutionis dici possit, quod cum ordinaria negotiorum gestorum actio, ad rationes reddendas et reliqua praestanda tendat, minor petere possit, ut defungatur restitutionis petitionem cedendo; nemo enim non videt pro varia obligationum natura, variis remediis minoribus potuisse consuli, quorum igitur electionem Praetor sibi reservavit,

si-

simul cavens ne aliorum iura per minores laederentur; sic si v. g. minor aliena bona mandatu domini administravisset et dilapidasset, dominus sua culpa damnum patiebatur si minor mandati actioni subduceretur, sed non nisi summa cum iniuria, domino in minorem omni iuri interdiceretur, qui ignorantis bona administravisset; hunc igitur eo modo indemnem servare studuerunt Romani, quo meo quidem iudicio sapientior excogitari non posset, cum simul minorem liberarent, damno quod *inconsulto* iudicio pateretur, et remedium quod huic liberationi ordinario inserviret, in eum transferrent, qui lubrico aetatis minoris, sine sua culpa laederetur, ita tamen, ut nec is qui cum negotiorum gestore contraxerat, et adversus quem restitutio conceditur, de iniuria queri posset, qui, quia adversarium minorem haberet, *scire* potuisset id quod gessisset restitutioni obnoxium esse.

In restitutione adversus aditionem hereditatis (1), idem elucet studium Romanorum, ne no-

(1) Proniores fuisse Romanos, ad concedendam restitutionem contra aditionem hereditatis, quam contra eius repudiationem, patet ex *leg.* 8. § 6. *C. de Bon. quae lib.* nec latet causa, qui enim contra repudiationem hereditatis restitutionem petit, *lucrum* quaerit, et merito igitur eius

noceat iis quibuscum minor, cum adhuc heredis personam sustineret, aliquid gessisset, cum enim unaquaeque restitutio sic facienda sit, ut non tantum minor sed adversarius etiam ius suum in integrum recipiat, ideoque proprie, contra aditionem restitutus reddere debeat bona hereditaria, uti ad eum pervenerunt, *l. un. pr. C. de Reput.* (1), legata tamen et libertates quas secundum voluntatem defuncti ex hereditate erogasset rata manent *l.* 22. 31. *ff. de Minor.* et videor mihi hoc adfirmare etiam posse, de om-

eius causa favorabilior est, qui per restitutionem contra aditionem hereditatis, obligationibus hededitariis se *liberare* studet, vid. Ranch. *Var. Lect. II. c.* 8. (Thes. Otton. T. V.)

(1) Vulgo docetur minorem, restitutione in integrum impetrata, reddere tantum debere, in quantum locupletior factus est; sed quamvis in *l.* 7. § 5. *ff. de Minor.*, doceatur: eum restituta hereditate non teneri de iis, quae per aetatis imbecillitatem forte periissent, et fructus ex re empta perceptos, post restitutionem restituere tantum cogatur, in quantum iis locupletior factus esset *l.* 27. § 1. *ff. eod.*, mihi tamen hae potius exceptiones videntur a regula, quam ipsam regulam statuere arg. *l.* 40. § 1. 47. § 1. *ff. de Minor. l. un. pr. C. de Reputat.* et quoniam hoc magis convenit curae Romanorum, minoribus cum minima aliorum iniuria auxilium ferendi; sed plerosque forte in hanc sententiam duxit, quod saepe obligationem illam minorum reperirent, in quantum locupletior factus esset, quae tamen, ut vidimus, pupillis incumbit de iis quae sine tutore gessissent.

omnibus bona fide gestis ante restitutionem. De solutionibus enim, a minore creditoribus hereditariis factis, hoc expresse docetur in *l.* 31. *ff. de Minor.*, et in simili casu, nempe si filius impubes haereditati paternae se immiscuisset, postea abstineret, hoc etiam *in contractibus* verum esse, patet ex *l.* 44. *ff. de Adquir. hered. l.* 6. §. 1. 2. *ff. de Rebus auct. iudicis possidend. l.* 24. *ff. ne in fraud. l.* 90. *ff. de Solut.*, ut recte censeantur initi; quod quare ad ea, quae ab extraneis heredibus, contra aditionem hereditatis restitutis, gesta sunt, extendi non possit, nullam causam video, nec quis dicat singulare hoc fuisse in minore filiofamilias, ut rata habeantur quae antequam se abstineret aut restitutus esset gessisset, ius enim illud non introductum est ratione habita personae heredis, sed tantum eorum qui cum eo, personam heredis sustinente, contraxerant, et censendum igitur est legislatorem idem etiam voluisse si extraneus per restitutionem, qualitatem heredis amisisset, quoniam salva minorennitatis cura, ius commune servare eum studuisse, iam ex doctrina de ineundis a pupillo obligationibus, satis constare potuit.

Quod ad obligationem ex solutione indebiti, quae in solidum minoribus incumbit, si auctoritate tutoris aut curatoris solutionem acceperint,

rint, quamvis quod sciam, nominatim definitum non sit, adfirmare tamen non dubito, eam etiam, si minor se laesum probare posset ex bono et aequo fuisse moderatam. — Nunc vero transeamus ad restitutionem contra indebiti solutionem, a minore factam, licet enim haec nullam obligationem rescindat, occasione tamen obligationum quasi ex contractu de ea hic commode agere posse videmur. — Neminem scilicet latet iure ordinario potuisse repeti, quae per errorem facti fuissent soluta, (*l.* 10. *Cod. de Iur. et fact. ign. l. 6. C. de Cond. indeb. l.* 25.*pr. ff. de Minor.*), sed mulieribus etiam et minoribus, si iuris errore indebitum solvissent, restitutionem in integrum, vel utilem actionem (1) fuisse datam *l. 9. pr. ff. de Iur. et fact. ign. l.* 25. *ff. de Minor.*, quoniam innumeris auctoritatibus constat, ut aiunt Arc. et Honor., minoribus et mulieribus in iis quae ignoraverint, vel praetermiserint, subveniendum es-

(1) De hac utili actione monendum, quod cum ordinario minor restitutionem petens, se laesum probare debeat, et ei qui indebitum repetat idem onus incumbat, (excepto casu in *l.* 25. *pr. ff. de Prob.*) neutra tamen probatio a minore exigatur, qui si de indebito soluto queratur, onus debitum probandi in adversarium transfert. *d. l.* 25. § 1.

esse *l.* 8. *C. de in rest. l.* 3. *C. Th. eod.;* omnino tamen cavendum est ne hic mulierum iura cum minorum restitutione confundamus, nec enim loco minoris circumscripti per omnia habenda est mulier, *l.* 42. *ff. ad SCtum Velleianum*, sed Papiniani et Pauli tempore iuris error in compendiis mulieri non proderat, (*l.* 7, 8, 9. *pr. ff. de Iur. et fact. ign.*) quod confirmavit Constant. *in l.* 3. *Cod. Th. de Sponsal. l.* 11. *Cod. de Iuris et facti ignorantia*, minores vero restituuntur etiam contra omissum lucrum; quamvis igitur in dicta Constitutione Arcad. et Honor. coniungantur minorum et mulierum personae, restitutio tamen quae his conceditur, tendit tantum ad rescindenda quaedam damna, quae per iuris ignorantiam passae essent, qua in re cum plurimum magistratuum arbitrio relinquendum esset, Leo et Anthemius, ne ulterius hi progederentur quam patiebatur utilitas publica, (contractus earum v. g. temere rescindendo) horum potestatem praeteritarum legum auctoritate circumscripserunt, (*l.* 13. *C. de Iur. et facti ign.*) imo Tribonianus, cum Constitutionem Arcadii in Codicem referret, mulierum mentionem ex illa tollere maluit, (vid. *l.* 8. *C. de in int. rest.*) quam nimis generali enuntiatione dicere, etiam mulieribus in iis quae ignoravissent

ſent vel praetermiſiſſent ſubveniri, ex quo licet non pateat eum omnem reſtitutionem mulierum ſustulisſe, v. g. contra indebitum ſolutum per ignorantiam iuris, de ſumma tamen minores inter mulieresque differentia conſtare poteſt. — Ex eo quod minoribus contra ignorantiam iuris ſubveniri dicatur, derivari etiam poteſt, quod reſtitutio etiam *contra delicta* concedatur, modo non ex animo ſed extra veniant *l.* 1. *l.* 2. *C. ſi adv. del. l.* 1. *l.* 4. *C. ſi min. ſe mai. dix.*, nam qui dolo egisſe fuerit convictus, uti iuris ignorantiam praetendere non poteſt, ſic et in civilibus et in criminalibus a reſtitutionis auxilio excluditur, quoniam errantibus non fallentibus ſuccurratur, et non ſit aetatis excuſatio, adverſus praecepta legum ei, qui dum leges invocat contra eas committit, ut egregie monet Tryphoninus, in *l.* 37. *ff. de Minor.* conf. *l.* 9. § 2. 4. *l.* 32. *ff. eod. l.* 13. § 1. *ff. de Dolo malo. l.* 36. *ff. de Adult. l.* 23. *ff. de Furt. l.* 14. *in f. ad SCtum Silan. l.* 111. *ff. de R. I.* Paul. *Sent. Lib.* 1. *tit.* 9. § 1. ad. Klein ſ. *Entw. d. Grundw. P. R. I.* § 88.

Quod ad obligationes *quaſi ex delicto* attinet, ſponte patet reſtitutionem contra eas non potuisſe concedi, ſi lex nulla ratione habita perſonae obligatae, propter utilitatem publi-

 cam

cam eas imponeret. Hoc vero obtinet in obligatione de deiectis et effusis, de periculose positis vel suspensis, et in obligatione exercitoris propter furtum, vel damnum a famulis datam. — Sed quid de iudice qui litem suam facit? Weber, *über die Nat. Verbindl.* § 64. *p.* 223. *not.* 7., restitutionem omnino ei denegat, quoniam putat Legislationem sic sibi contrariam fieri, si 17 annis maiorem ad iudicium admitteret, sed restitutionem concederet contra damna ex hoc munere publice delato, *oriunda.* Mihi tamen secus videtur, et nihil hac in re inveniri quod ex sententia Romanorum sibi repugnet (1); vidimus enim pupillos auctoritate tutorum curatorumque, omnia recte gerere potuisse, et nihilominus restituuntur si laesi fuerint; vidimus masculis 14 annis maioribus publice facultatem tribui suas res administrandi, 17 annis maiori facultatem accusandi concedi et procuratoris munere fungendi, quibus tamen omnibus casibus, causa cognita, damna minorum fuerunt emendata; at nihil aliud est in minore iudice, cui si per imprudentiam litem de

(1) Supra tamen iam vidimus Legislatorem sibi oblocuturum fuisse, si maiorem 17 annis ad iudicis munus admitteret, nec tamen, sine curatore, 25 annis minorem litem suam facere sineret.

de qua male iudicasset suam fecisset, non magis denegari debuisse videtur restitutio, quam contra delicta sine dolo perpetrata, quoniam omnis restitutio pertinet ad ea quae summo iure recte gesta censentur, sic enim etiam iudex compromissarius, cui publice haec facultas anno 20 tribuitur, restituitur si temere auditorium receperit, *l.* 41. *ff. de Recept.*; ex quibus mihi satis probari videtur, vel in toto restitutionis remedio sibi contraria statuisse Legislatores, vel si nulla alia ratio obstaret, potuisse etiam restitutionem in integrum minori iudici concedi.

CAPUT TERTIUM.

DE IIS, QUAE IN EXTRAORDINARIO RESTITUTIONIS REMEDIO COMMUNIA SUNT.

Ex allatis satis ni fallor patet, maxime generale et favorabile fuisse auxilium, a *Praetore* minoribus 25 annis promissum, nullam vero certam formam, restitutioni fuisse inditam, sed aliquando primario, aliquando etiam in subsidium, concessum fuisse remedium quodcumque Praetorium (1), quo minor sive eadem conditione reponeretur ac si nihil gessisset, sive indemnitatem consequeretur, in totum *vel* pro parte, prouti publicae utilitatis ratio, imo et commodum ipsorum minorum pateretur. — Cum igitur tam *indefinite* hac in re versatus fuerit Praetor, et inprimis tot sint casus quibus restitutionis petitioni non annuatur, aut pen-

(1) Profecto falluntur igitur qui putant, iudicium rescindens et rescissorium in restitutione debuisse intervenire. Conf. Schult. *Enar. tit. ff. de Min.* § 10. Noodt, *ibidem p.* 91.

pendeat a fortuito casu, (v. g. si utrimque minores fuerint), desperandum prima fronte videri posset, utrum vis et natura restitutionis in integrum unico conspectu posset comprehendi, sed quum tamen pateat, esse quaedam, quae in omni restitutione propter aetatem fuerunt observata, haec recensere lubet, quoniam exinde interiora quaedam de remedio illo innotescere poterunt.

Ante omnia huc pertinet studium Romanorum, cavendi ne restitutio ei noceat, qui cum minore nihil gessisset, sed, ut tantum in eius praeiudicium cedat, qui sciret aut scire debuisset, rescindi posse quae cum minore gesta essent; sic enim nequaquam Romani pepercerunt ei, cui minor v. g. rem suam tradidisset, sed quamvis fortasse a tutore vel curatore indemnis servari posset, tamen restitutionem ei concesserunt contra alienationem, cum satius esset eum rem ipsam recuperare, aut contractum v. g. rescindi, quasi non esset initus, quam postea indemnitatem quaerere; et hoc in casu igitur magistratuum restituentium potestas tantum per valida omnino utilitatis publicae momenta fuit circumscripta, puta si adversarius esset minor, aut mulier, parens aut patronus, aut si huius causa dolo, vel iureiurando minoris favorabilior fieret, aut si restitutio petere-

tur

tur contra manumissionem, vel solutionem intercedente decreto factam, vel contra praescriptionem actionis iniuriarum et sic porro. — Sed quamvis igitur ordinario, Praetor minorum damna emendaret contra eos, quibus ea damna imputari possent, (nam nec contra minores et mulieres indistincte restitutio fuit denegata), et quidem eo modo qui minoribus maxime expedire videretur, tamen multo cautiores videmus Romanos in casu, quo restitutio contra eos peteretur, quibuscum minor nihil gessisset, et qui igitur ignorare poterant rem minoris agi; quid enim si quis rem emisset ex hereditate a minore repudiata, aut pignus a creditore minoris distractum, aut rem minoris a fisco debiti causa venditam, si inscius eas ad minorem pertinuisse, emisset, non sine iniuria videbantur posse ei rursus abstrahi, ideoque denegata fuit restitutio, contra distractae hereditatis repudiationem, et ordinario etiam contra venditionem a fisco factam, et distractionem pignorum; sed etiam sic praevalere aliquando vidimus favorem minorum, ut si magno in damno versentur (1), restituantur eti-

(1) In restitutione ordinaria non attenditur ad damni magnitudinem, sed cavetur tantum, ne maiori rei vel summae praeiudicetur per restitutionem adversus satis minimam

etiam contra tales venditiones, imo et contra ea quae a procuratore maiore essent gesta, si ab hoc indemnis servari non posset, *l.* 13. § 1. *l.* 14. *ff. de Minor.*; ex quibus licet ingens eluceat minorennitatis favor, constat tamen magistratuum restitutionem concedentium facultatem, per iura aliorum civium fuisse circumscriptam. — Aliud tale exemplum habemus in *l.* 13. *pr. l.* 29. § 2. *ff. de Minor. Nov.* 119. *c.* 6; ubi docetur restitutionem minoris eius adversariis non praeiudicare, si nec praesentes fuerint, nec legitime evocati, ne nimio favore minorum, forte etiam mala fide, magistratus temere rescinderent contractus minorum; conf. *l.* 39. *ff. de Adopt. l.* 47. *pr. ff. de Re iud.* Nam et hinc Romani restitutionem concedi noluerunt nisi ipse minor aut procurator speciali mandato instructus (1) eam peteret, *l.* 25. 26. *ff. de Minor.* — Inprimis tamen hoc velle

mam rem, vid. *l.* 4. *ff. de in int. rest.* Conf. *l.* 13. 21. *ff. de Except. l.* 1. *C. si adv. don.* Schult. *En. tit. ff. de Rest. in int.* § 7.

(1) Hac in re differentia est a petitione veniae aetatis, quae fieri non potest nisi ab ipso minore, *l.* 2. *C. de His qui ven. aet.*, ut scilicet ex habitu corporis, de aetate et impleto vigore, tam animi quam corporis, constare possit, vid. *l. un. C. Th. eod.* Arntzenius, *in Actis Soc. Traiect. I. p.* 147.

se videntur *l.* 26. § 1. *ff. ad Munic.* et *l.* 3. *C. ubi et apud quem*, secundum quas licet magistratus maiores, tam per se quam mandatarios, restitutionem concedere possent, haec facultas tamen, omnino denegatur magistratibus municipalibus, et *iudicibus pedaneis*, conf. Scipio Gentilis, *de Iurisd. l.* 1. *c.* 32. *Op. Tom.* 3. *p.* 96. Nec immerito sane rem tanti momenti, quaeque tam accuratam causae cognitionem requirebat, ut ex re nata, nunc haec nunc alia remedia adhiberentur, in qua igitur magistratus integritati tanta fides erat habenda, summis tantum in Republica viris commiserunt, ne non tantum Reipublicae sed imo ipsis minoribus, (vid. *l.* 24. § 1. *ff. de Minor.*) perniciosa fieret temere concessa restitutio, et hinc igitur etiam antea solus magistratus maior, tam de facto quam de iure cognoscere debuit, vid. Schult. *En. tit. ff. de Rest. in int.* § 8. *Thesium contr. dec. XI.* § 1. *seqq.* Vinnius, *Select. Quaest. lib.* 1. *c.* 10. Caeterum quamvis ex antecedentibus iam constare potuerit, quam generale sit hoc remedium, quantoque cum studio, minorum damna emendaverint Romani, quaedam tamen addenda videntur, ex quibus ulterius de hoc favore constare poterit, scilicet cum dubitari posset utrum naturalis an civilis temporis computatio, in de-

definienda maiorennitate esset adhibenda, electa fuit naturalis, quae minoribus maxime prosit, eo effectu, ut dies incoeptus non habeatur pro completo, sed restitutioni obnoxia sint, quae ante momentum, quo minor 25 annorum terminum complevisset, ab eo essent gesta; vid. *l.* 3. § 3. *ff. de Minor.* — Huc etiam pertinet quod in *d. l.* 3. § 2. ait Ulpianus, non censendum esse maiorem comprobasse quae minor gessisset, nec ergo in integrum restitutioni renuntiasse (1), si quid fecisset, quod consequens esset gestorum intra minorennitatem; nimirum si maior solutionem debiti hereditarii accepisset, omnes obligationes hereditariae in eum transferebantur; videri igitur etiam poterat, hoc factum sufficere ad comprobandam hereditatis aditionem a minore factam, sed rursus mitior hic placuit sententia. — Minori etiam heredi minoris singulare aliquod ius conceditur, quod ulteriori explicatione indigere videtur; scilicet indubitatum est minorem he-

(1) Semel enim monuisse sufficiat, ratihabitionem maioris, tollere restitutionem adversus ea quae quis minor gessisset, vid. Paul. *lib.* 1. *tit.* 9. § 3. *l.* 3. §. 1. *l.* 20. § 1. *ff. de Minor.* eaque ratihabitio tacite fit, per silentium, continuatum per tempus restitutioni petendae concessum, aliud exemplum vid. in *l.* 30. *ff. de Minor.*

heredem, si contra aditionem hereditatis restitui nolit, hoc remedium impetrare non posse contra ea, quae a defuncto maiore damnose fortasse gesta erant, quoniam his non laedatur inconsulto iudicio *l.* 38. *ff. de Minor.*, sed uti minoris heres maior, contra laesiones defuncti, ex eius persona restitutionem impetrare potest, sic etiam si heres minor esset, dicendum esset eum ex persona defuncti debuisse restitutionem petere, adeoque idem tempus ad hanc petitionem ei concedendum fuisse *post aditam hereditatem*, quod ipsi defuncto superesset (*l.* 19. *ff. de Minor. l.* 2. 4. *C. de Temp. in int. rest.*), i. e. quadriennium post aditam hereditatem (vid. *l.* 5. § *ult. C. de Temp. in int. rest.*), quoniam nunc iure communi restituitur minor. Paulus tamen in *Sententiis lib.* 1. *tit.* 9. § 4, minorem heredem minoris ex sua persona restitui docet, id est si defunctus lubrico aetatis laesus esset, heredem eius minorem, cui forte novem anni supererant ad restitutionem contra proprias laesiones petendam, idem tempus habere ad restitutionem contra laesiones defuncti petendam, quamvis huic si in vita mansisset brevius tantum tempus superfuisset, quod receptum est, ut minor heres quam diutissime egregio illo remedio uteretur. Fundamentum tamen huius iuris in eo quae-

quaerendum videtur, quod minor heres, intra tempus quod ipsi conceditur ad restitutionem contra proprias laesiones petendam, restitui etiam posset contra omissam petitionem restitutionis, ex persona defuncti, quasi hanc restitutionem ei potius ipso iure concedere voluissent Romani, quam necessitati eum adstringere, si tempus defuncto concessum praeterlabi sivisset, duplicem restitutionem petendi, unam ex sua persona, alteram ex persona defuncti, hoc enim innuere videtur Ulpian. *l.* 19. *ff. de Minor.* (1), ubi ait ipsum minorem deceptum vi-

(1) *l.* 19. *ff. cit.* cum in hac lege, ut et apud Paulum, *Sent. lib.* 2. *tit.* 19. *in f.* anni utilis mentio fiat, tamquam temporis ad petendam in integrum restitutionem concessi, non neminem forte, qui nulla antiquati iuris vestigia, in iure Iustinianeo admittat, offendat computatio temporum in integrum restitutionis, nuper ad locum Pauli adhibita; sed quamvis inde efficiatur, non ea computatione me usum fuisse, quam ipse Paulus adhibuisset, (cuius igitur mentem non recte expressit Anianus, *ad Paulum lib.* 1. *tit.* 9. § 3.), optime tamen facturum putavi, si locum illum secundum ius novissimum explicarem, annus enim utilis, ad Constantini tantum tempora restitutioni petendae inservit, qui 5 annos Romae, 4 in Italia, 3 in Provinciis concessit *l.* 2. *C. Th. de int. rest.*, sed Iustinianus, in *l. ult. Cod. de Temp. in int. rest.*, sublata maiorennitate, vel minoribus quadriennium concessit, a differentia locorum, venia aetatis impetrata, computandum.

videri, si restitutionem ex persona defuncti petere neglexisset. Praeterea cum profecto etiam hic favor minorum heredum conspiciatur, quod ergo non ita interpretandum est, ut ipsis fiat damnosum, Cuiacius *ad Paulum l. l.* putat, potuisse quidem minorem ex sua persona contra defuncti minoris laesionem restitutionem petere, electionem tamen habuisse, utrum eam iure communi ex persona defuncti petere vellet; sed observandum est, minorem heredem (cui saltem ex sua persona quadriennium restitutioni petendae superest) nullam causam habere potuisse, quare ex persona defuncti restitui mallet, cum iure communi quadriennio semper, a die aditae hereditatis, praescribatur tempus petendae restitutionis, vid. *l.* 5. § *ult. C. de Temp. in int. rest.* Aliud tale exemplum habemus in *l.* 5. *pr. Cod. de Temp. in int. rest. l.* 2. *C. Th. de int. rest.*, quamvis enim tempus quadriennii restitutionis petitioni inserviens, iis qui veniam aetatis impetraverunt, currere incipiat a die impetrationis, adeoque v. g. in muliere impleri possit anno aetatis 22, favore tamen aetatis receptum est, ut de iis quae ante veniam gessissent, saltem ad annum usque 25 impletum, restitutionem possint impetrare.

CA-

CAPUT QUARTUM.

DE FUNDAMENTO RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

Vidimus igitur minores laesos, nonnullis tantum casibus exceptis, potuisse restitutionem impetrare eo effectu, ut vel in priore conditione reponantur, vel indemnitatem consequantur, casus vero illos esse paucissimos, et propter validissima tantum aequitatis aut utilitatis publicae momenta receptos; vidimus etiam facultatem magistratuum maiorum, emendandi laesiones minorum, non eo limitari quod verba Edicti Praetoris, tantum restitutionem promittant contra ea quae cum minoribus gesta essent, sed etiam ad omissa per negligentiam aut imprudenter facta extensam fuisse; et universe ad omnia ea, quibus minores se lubrico aetate laesos probare possent. — Cum vero ab altera parte, nullum remedium minoribus concedatur contra obligationes mere legales, easque quas lex sequelas facit facti alieni sine conventione, aut contra obligationes

cx

ex factis dolosis minoribus incumbentes, cumque nec emendata fuerint damna, quae minor casu fortuito, aut tamquam mandatarius, vel heres, pateretur ex gestis defuncti, hinc concludere posse mihi videor restitutionis privilegium quamvis favorabile sit, consistere tamen in compensandis aetatis defectu, et damnis ex fragilitate iudicii, in quo conspicitur minorum indigentia, oriundis. — Nec hoc difficultatem habet, si adultorum curatores non habentium rationem tantum habeamus, qui licet ad negotia sua gerenda admitterentur, tamen censeri possent non eo pervenisse, quin etiamnum laedi possent fragilitate aetatis, ut aequum esset his laesionibus subveniri; sed cum ex anterioribus pateat, tutores curatoresque compensasse voluntatis, et iudicii defectum pupillorum, ut horum auctoritate eandem personam sustinere possent quam maiores, videri posset sibi non constare legislatio, si colore imperfecti iudicii, rescindi iuberet quae interveniente hac auctoritate essent gesta (1). Ad tollendam hanc contra-

(1) Vid. e. g. *l. ult. ff. de Rest. in int. l.* 47. *ff. de Minor. l.* 2. *C. si tut. vel cur. int. l.* 4. *C. si adv. rem iud.* nec obstat *l.* 16. *pr. ff. de Minor.*, ubi docetur tantum, restitutionem cessare, quando ipso iure nullum est quod minor gessit, cuius simplex est ratio, quia scilicet talia minor laesus non habetur, licet fortasse in dam-

traditionem accuratius in fundamentum huius remedii erit inquirendum; scilicet ante omnia legislatori erat prospiciendum, ne ii, qui per se non sufficerent ad personam suam sustinendam, cum aut plane iudicio destituerentur, aut iudicio non satis valerent, eximerentur, ut ita dicam, ex civitate, et ne eorum bona extra commercium hominum ponerentur, huic igitur rei quomodo primo quidem tutoris, sed postea etiam curatoris datione fuerit consultum, in duobus prioribus partibus vidimus, ut pupilli auctoritate tutorum curatorumque, adulti vero, qui curatorem non petiissent, soli sufficere censentur qui omnibus boni patrisfamilias officiis fungi possent. — At ne sic quidem minores eadem conditione gaudebant qua maiores, adulti enim, quamvis quodammodo videri possent sibi imputare debere, si curatores non petiissent, iudicii tamen defectu laborabant, cui subveniendum erat, nec pupilli sive impuberes, sive puberes, qui auctoritate interveniente contractum damnosum inivissent, dici poterant sua culpa damnum pati, id est revera laedebantur (*l.* 203. *ff. de R. I.*), et quidem propter aetatem, quoniam si maiores fuissent suas-

damno versetur quod suam rem non possideat, conf. Noodt, *ad tit. ff. de Minor. p.* 94.

ſuasque res adminiſtravisſent, cenſeri poterant diligentius res ſuas adminiſtraturi fuisſe. Hae igitur laeſiones ut emendarentur et univerſe, ut tollatur differentia maiores inter et minores, Praetor Edicto propoſito reſtitutionem minoribus promiſit, *non tamquam ſubſidiarium remedium; ſi pupilli a tutoribus aut curatoribus ſuum conſequi non posſent*, ſed tamquam principale (*l. 3. 5. C. ſi tut. vel cur. interv.*), quoniam etiam laedi posſet minor, qui tantum actionem ad indemnitatem haberet, cum *ſatius* fuisſet, nihil esſe geſtum. — Cum igitur iuribus, quae minoribus in bonorum adminiſtratione, et imprimis in ineunda obligatione competant, iam egregiam curam oſtendisſent Romani, non tantum ut praecaverent, ſed etiam quodammodo, ut emendarent damna quae minores propter defectum aetatis paterentur, ultimum hunc ſcopum per ſimplex et naturale illud remedium praetorium, imprimis attigisſe dicendi ſunt, cum omnia ea, quae *pupilli* interveniente auctoritate, aut adulti curatores non habentes gesſisſent aut omiſisſent, ulteriori magiſtratuum examini et animadverſioni ſubmitterent, ſine discrimine dolus adverſarii intervenisſet an minus, cumque rem ad priorem ſtatum reduci iuberent modo non utilitatis publicae ratio hanc compenſationem laeſionum mi-

minorum impediret, simul vero curarent, in quantum fieri posse videretur, ne hoc remedium aliis noceret, quibus laesio minorum non magis quam ipsis imputari posset, et quorum igitur ratione etiam necessarium erat, ut post accuratam demum causae cognitionem, (quae etiam in ipsorum minorum favorem tendit *l.* 24. § 1. *ff. de Minor.*) minorum damna emendarent magistratus, eo modo qui toti reipublicae maxime expedire videretur.

CAPUT QUINTUM.

DE EXTERNIS EFFECTIBUS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

Hisce itaque pro viribus absolvimus universam Romanorum curam circa minorum personas et bona, sed uti doctrinae de ineundis ab iis obligationibus non nihil luminis attulisse mihi videor, per expositionem externorum effectuum, qui ius eorum singulare sequantur, sic ad intelligendam vim et naturam restitutionis in integrum, necessarium omnino videtur, ut etiam huius remedii sequelas, ratione aliorum civium, recenseamus.

Tritissima illa quaestio utrum restitutio minorum aliis etiam prosit, ut rite exponatur, ante omnia tenendum est, hic inprimis agi de effectibus earum restitutionum, quae minoribus qua talibus, id est lubrico aetatis laesis, conceduntur, si enim dolus adversarii intervenisset, nihil novum si fideiussori etiam, aliisque quibuscum minori res communis est, fuerit consultum (secundum *l.* 7. § 2. *ff. de Minor.*

nor. l. 2. C. de Fidejuss. minor.), cum ex iure communi aut id quod gestum est ipso iure nullum sit, aut saltem actioni vel exceptioni doli sit locus, sed an dicemus consortem minoris illam actionem etiam ultra biennium potuisse instituere, et si minor sine probatione doli contra obligationem v. g. ex contractu fuerit restitutus, consortem etiam liberari? Mihi quidem leges, ubi de restitutione minorum agentes, consortibus etiam subveniri iubent, si dolus adversarii intervenerit, nihil singulare his tribuere videntur, sed tantum confirmare principium illud Iuris Romani quod supra ex *l.* 1. *ff. si mensor fals. mod. dix.* deduximus, unumquemque etiam sine contractu, damnum dolo datum debere resarcire. Nimirum mihi persuadere nequeo ullam restitutionem minoris Legislatorum voluntate consorti prodesse posse, Praetor enim qui minorem ob dolum adversarii restituit, hunc solum spectat, et extraordinariis remediis, v. g. actionem adversario denegando, indemnem servat, nec leges quae consortibus auxilium promittunt propter dolum adversarii minorum, evincunt eandem actionem, quae fortasse minori conceditur ad rem dolosa stipulatione ablatam recuperandam, eo ipso etiam consorti, pro sua parte dari, quod nec admittendum videtur

 si

ſi attendam ad odium actionis doli, quam non niſi in ſubſidium dari voluerunt Romani; niſi igitur dicendum ſit, univerſe reſtitutionis remedium ad conſortes extendi, nulla ratio videtur adesſe, quare ſingularia quae minori laeſo concedantur propter dolum *adverſarii*, magis ad extraneos pertinere dicantur quam caetera iura ſingularia, et quare conſortibus minorum, contra iuris ordinarii regulas tribuendum ſit, ut dolum quo ipſi laedantur ultra biennium allegare posſint, et quamvis fortasſe alii modi indemnitatis conſequendae iis ſuperesſent. Videamus igitur, an reſtitutio minoris, ſive lubrico aetatis, ſive dolo adverſarii laeſi, conſortis etiam cauſam favorabiliorem reddat.

Si de patre quaeratur, ſponte patet negando reſpondendum esſe, cum ne quidem ipſi filiifamilias minores, reſtitutionem impetrare potuerint, niſi directe ex ſua perſona damnum fuerint pasſi, nulla ratione habita damni quod paterentur ratione *peculii profectitii*, pleno iure ad patrem pertinentis, (vid. *l.* 3. § 4. *ff. de Minor. l.* 23. *ff. eod.*) quoniam Praetor minoribus non vero maioribus auxilium promiſit. — Licet enim ex geſtis ſuis filiusfamilias minor etiam in ſolidum obligetur aeque ac maior (vid. v. g. *l.* 57. *ff. de Iudic. l.* 39. *ff. de O. et A.*), imo et emancipatus aut exhereda-

datus, de iis conveniri posset in quantum facere possit, (vid. *l.* 3. § 4. *cit. l.* 2. 5. *pr. ff. quod cum eo qui in aliena pot,*) in eo tamen a minoribus patribusfamilias differunt, quod obligationibus illis non semper laedi censeantur, nec igitur semper restitutionis remedio indigeant; scilicet si filiusfamilias v. g. damnosum contractum inivisset, et pater de peculio conveniretur, verum quidem est forte etiam filii interesse peculium non deminui, in casum scilicet quo ex const. D. Claudii, bonis paternis debiti fiscalis causa (non propter delictum vid. *l.* 1. § 4. *ff. quand. de pec. act. an.*) publicatis, peculium profectitium filio salvum manet, cum tamen eo tempore quo contraxerat filius (et hoc tempus in restitutione spectandum est vid. *l.* 3. § 1. 2. *l.* 11. § 5. *ff. de Minor.*), solus tantum pater damnum pateretur, et quidem sua culpa, hinc nec huius damni ratione, filii favore magis restitutio concedenda erat, quam eius quod minor heres patitur ex gestis defuncti, damni vero quod pater patitur nulla ratio habetur, ut neutro casu restitutioni locus sit; sed aliud est si filiusfamilias se ipsum laesum probare posset ideo forte quod ipse ex suo contractu conveniretur, nunc enim restitutionem aeque ac paterfamilias impetrare poterat (*d. l.* 3. § 4. *l.* 23. *ff. de*

Mi-

Minor. l. 1. *C. de Filiof. minor. l.* 2. *C. si adv. sent. l.* 8. *pr.* § 1. 6. *C. de bonis quae lib.*), et quidem eo effectu, ut pater non amplius de peculio conveniri posset, *l.* 27. *pr. ff. de Minor.* quoniam haec liberatio patris necessaria sequela erat iuris principii, quod pater et filius pro una eademque persona habeantur, ut filiifamilias persona subduci non posset obligationi, nisi et obligatio patris effectu destituatur. — Huic doctrinae tamen contraria videri posset *l.* 27. *pr. ff. de Minor.* quae, cum patri pro filio omni modo restitutionem praestari iubeat, invito etiam ipso filio, videri posset docere etiam voluntate Legislatorum beneficium minoribus praestitum ad patrem extendi, et multo magis igitur, saltem ex sententia Caii, filiofamilias debuisse etiam restitutionem concedi, si eam in solius patris favorem peteret, licet ipse in damno non versaretur, contra Ulpianum, in *l.* 3. § 4. *l.* 23. *eod.* — At alia plane doctrina Caii videtur fuisse, scilicet cum, ut supra vidimus, aut ipse minor, aut specialis procurator debeat restitutionem petere, videtur Caius quaestionem sibi proposuisse, an non in patre huius regulae exceptio deberet admitti, cuius periculum agatur, qui nisi filius restitutus fuerit de peculio teneatur, et hanc igitur exceptionem propter aequitatem admisit. Agit itaque Ca-

Caius de casu quo filiusfamilias ex sua persona laesus esset, et proinde restitutionem recte petere potuisset, nec filii privilegium in patrem transferri docet, sed propter aequitatem tantum, patri cuius interest filium iure suo singulari uti, facultatem tribuit ius illud nomine filii petendi, ut revera quamvis effectu inspecto restitutio filii in patris commodum tendat, imo et patri ius aliquod singulare concedatur, ipse tamen filius restituatur, nec igitur ulla ipsius beneficii quod minoribus tribuitur extensio adsit (1), quae adfuisset, si fine eo ut filius contractu laesus esset, patri de peculio convento restitutio concederetur. Quod si igitur, ne patri quidem nisi ex necessitate iuris restitutio filii prosit, nec damni quod pater pateretur per gesta filii ullam rationem habuerint Legislatores, nemo sane mirabitur si nec iis subvenire voluerunt, qui cum minore rem communem haberent, quod constat ex *l.* 47. § 1. *ff. de Minor. l.* 2. *C. si unus ex pluribus*, quamvis rursus, si minori restitutio concedi non possit, nisi simul socio maiori idem beneficium tribu-

(1) Alia exempla ubi *petitio* beneficii restitutionis, non vero ipsum privilegium in maiorem conferatur, supra vidimus ubi de restitutione adversus negotiorum gestionem, a minore susceptam egimus.

buatur, hanc sequelam potius admiserint Romani, quam ut ideo minorem in damno versari paterentur, hinc si sententia v. g. dividi non posset, minoris restitutio proderat quidem socio (*l.* 29. § 1. *ff. de Minor.*), aut, si minor per restitutionem servitutem *recuperasset*, ipsi cum maiore communem, effectus quidem huius *beneficii*, tendebat etiam ad maioris iura amissa redintegranda, (*l.* 10. *ff. quem. serv. amit.*), sed cum aliud obtinuisset si sententia non cohaesisset, aut servitus fuisset res dividua, (vid. *l.* 28. *ff. de Minor.* Schult. *En. tit. ff. de Minor.* § 11.), de voluntate Legislatoris satis constat, qui solius tantum minoris damna emendare studuit, nec eorum consortibus, nisi ex iuris necessitate ullo remedio prospexit. Sed quaeritur, utrum restitutio minoris heredis contra aditionem hereditatis, prosit substituto, id est, cum revera substitutio sit heredis institutio sub conditione, utrum conditio illa, quae in substitutione vulgari defecerat aditione *min*oris instituti, (*l.* 5. *C. de Impub. et alior. subst.*), reconvalescere possit per restitutionem minoris, ut substitutus admittatur? Mihi cum minor restitutione non amittat nomen et qualitatem heredis (*l.* 88. *ff. de Her. inst.*), quamvis in foro non amplius pro herede habeatur, dicendum videtur substitutum aeque ab hereditate excludi ac

si

si institutus minor restitutus non fuisset, *l.* 7. § 10. *ff. de Minor. l.* 2. *ff. de Suc. Edict.*, ut beneficium minorum rursus nihil operetur ratione tertii maioris, conf. Vinn. *Sel. Quaest. lib,* 1, *c.* 14. — Alia tamen docet Voet, *ad tit. ff. de Vulg. et pup. subst.* § 14, imprimis propter *l.* 44. *ff. de Re iud.*, quae igitur paucis examinanda est. Admittitur scilicet ibi substitutus, postquam impubes repudiasset hereditatem, cui se immiscuisset, huiusque rei rationem reddit Cuiacius, *Obs.* 12. *c.* 20, quasi per aditionem impuberis, qui hereditatem cui se immiscuit repudiare potest (1) *l.* 11. 57. *ff. de A. vel O. H.*, non aeque extingueretur conditio sub qua substitutus admittatur, quam per aditionem adulti, qui restitutione indiget; sed cum non magis iure illo abstinendi (a Proconsule dato *d. l.* 57.), quam per restitutionem in integrum praetoriam effici potuerit, ut qui semel aditione heres factus esset, heres esse desineret, neutro casu videtur.

(1) Vulgo docetur impuberem, qui recte hereditatem adiit, non indigere beneficio restitutionis, sed libere abstinere se posse, quod quamvis negare non ausim, nescio tamen an indubitate ex *l.* 11. et *l.* 57. *cit.* probetur, cum hae commode intelligi posse videantur de casu, quo pupillus suus heres, se *sine tutore* hereditati paternae immiscuit.

tur admitti potuisse substitutus, potius igitur dicendum, in *d. l.* 44. de substitutione pupillari agi, in qua substitutus non excluditur propter aditionem instituti, sed etiam iure communi admittitur si institutus intra pubertatem moriatur, aut ut ex *d. l.* 44. dici potest, hereditatem repudiet, ex quibus, si recte coniiciam, efficitur, nec beneficium minoris heredis quo hereditati damnosae quam adierat se abstinere posset, sive ipso iure, sive restitutione in integrum, aliquid extraordinarii iuris substituto tribuere, sed si sub conditione *si minor heres non erit* esset admissus, et conditio aditione minoris esset extincta, eam non convalescere iure singulari quo aetatis defectui consulitur.

Restat adhuc notissima illa disquisitio, utrum saltem restitutio minorum iis consortibus non prosit, qui eos mandati actione possent convenire, puta mandatoribus et fideiussoribus. Videri enim posset superior illa disputatio parvi momenti esse, satisque ex ipso Praetoris Edicto constare, soli minori auxilium ferri extraordinaria animadversione, et emendatione damnorum quae minor lubrico aetatis, non quae maior esset passus, qui nullo auxilio indigeret in praeiudicium aliorum civium; cum tamen menti Praetoris satis convenire videretur,

tur, beneficium minorum ad maiores extendi, si minoris intersit, quia hoc casu revera ipsi minori prospiciatur, forte quis dixerit liberato minore non sine ratione etiam liberari mandatores et fideiussores minorum; at horum non interesse utrum mandatores et fideiussores suis etiam obligationibus subducantur, nec igitur propter mandati actiones his competentes talem extensionem necessariam fuisse, ex eo patet quod etiam contra has actiones minor in integrum restitui posset *l.* 13. *ff. de Minor. l.* 1. *C. de Fidei. minor.* Videamus igitur an restitutionis beneficium sine necessitate ad mandatores et fideiussores extenderint Romani?

Quoad mandatores negando respondendum esse satis constat ex *l.* 3. § 4. *l.* 13. 23. *ff. de Minor.*, quoniam hi velut adfirmatores et suasores fuerint, ut cum minore contraheretur, et ipsi sub persona minoris contraxisse intelligantur, ut sibi imputare debeant, si parum idoneum procuratorem elegissent, imo tantum abest quin mandatori extraordinario remedio consulatur, ut potius dicendum videatur, in eum restitui actiones quas restituto mandatario minore (qui scilicet ipse damnum pateretur, vid. *d. l.* 23. *ff. de Minor.*), adversarius amisisset, vid. Paulus, *Sent. lib.* 1. *tit.* 9. § 5. *l.* 48. *pr. ff. de Minor. l. un. C.* § 1. *de Reput.* in

quo

quo igitur mandans extraneus, a patre differt, qui restituto filio, sua etiam obligatione liberatur. De mandatore etiam satis conveniunt Iuris Romani interpretes, at nisi magnam inconsequentiae labem veterum iurisprudentiae adspergere velimus, idem dicendum de fideiussoribus, liberationem scilicet minorum eorum caussam favorabiliorem non reddere; uti enim adversus directam, sic etiam contra contrariam mandati actionem potuisse restitui minores nulla dubitatio est, ut eius non intersit an fideiussor liberetur, huic vero qua tali in necem creditoris auxilium ferre, sanctissimis iustitiae regulis esset contrariam. — Nullius enim momenti est illa obiectio quod fideiussoria obligatio sine principali consistere non possit, cum uti supra vidimus in doctrina de ineundis obligationibus, accessoria talis obligatio possit accedere principali, quae ipsa omni effectu civili ratione ipsorum minorum destituatur, conf. *l.* 19. *ff. de Duob. reis.* Disquirendum igitur tantum est utrum haec sententia etiam Romanis placuerit; et nihil profecto magis distincte dici potuit, nec Legislatores voluntatem suam clarius exprimere potuerunt quam in *l.* 13. *ff. de Minor. l.* 1. *C. de Filiof. min.*, ubi dicitur restitutionem minorum non excusare fideiussores, qui pro iis intervenerunt, cum ae-

quum

quum non sit subveniri iis in necem creditorum; confirmatur haec doctrina per *l.* 95. § 3. *ff. de Solut.*, quae vulgo contra eam adfertur, ut enim sileam restitutionem ibi expresse vocari propriam et personalem defensionem, unicuique hoc fragmentum attente inspicienti patebit, proponi ibi exceptionem quae regulam firmat, scilicet tum demum Papinianus adfirmare dubitat causam iuris honorarii, quae potuit auxilio esse minori, retinere fideiussoris obligationem, restituto minore contra obligationem principalem, si fideiussor minori heres exstiterit, et sine contemplatione Iuris Praetorii accessisset; scilicet iniquum videbatur propterea quod obligatio fideiussoris sustineri posset, et ordinario sustineretur per causam iuris honorarii, quae minori restitutionem concedebat, fideiussori heredi minoris restitutionem contra creditorem denegare, et iure igitur singulari (1), si fideiussor sine contemplatione Iuris Prae-

(1) Dissentio igitur a viris magnis Antonio Fabro, *Coni. lib.* 8. *c.* 3. Schult. *ad Paul. Sent* 1. *tit*, 9. § 6. *Enarr. tit. ff. de Minor.* § 3., qui fideiussori semper subveniri putant, si sine contemplatione Iuris Praetorii pro minore intervenisset, et hoc igitur de casu intelligendas esse *l.* 51. *ff. de Proc.*, aliasque de quibus mox videbimus, sed huic sententiae primo quidem obstare videtur contextus ipsius *legis* 95., nec praeterea, quam-

Praetorii (i. e. immemor beneficii minorum, *quo* contrariae mandati actione subduci possent) intervenisset, non tantum liberari eum placuit principali obligatione, contra quam tamquam heres restitutionem petere poterat, sed accessoria *etiam* quae ex sua persona ei incumbebat, ne scilicet beneficium quod iure communi ex persona defuncti ei competeret, inutile fieret propter accessoriam obligationem, quam ex causa probabili, et excusatione quodammodo digna, susceperat, non donandi animo. — Ordinario igitur verum est fideiussorem qui minoris obligationem in se suscepit non adiuvari, ut recte docet Ulp. in *l.* 3. § 4. *ff. de Minor.*, ubi cum restitutionem minoris eius fideiussori *interdum* prodesse dicat, regulam statuit in contrarium, et innuit non obstante restitutione minoris contra obligationem principalem, subsistere posse obligationem fideiussoriam;

quamvis ignorantia fideiussoris se pro minore intervenire, tamquam causa indulgentiae ibi allegetur, persuaderi tamen possum hanc Romanis sufficere visam fuisse, ut egregium beneficium minorum hoc casu semper ad fideiussores extenderent, quibus saltem imputari posset culpa quod non inquisivissent in conditionem principaliter obligati, conf. Vinn. *Select. Quaest. lib.* 1. *c.* 11, qui tamen hanc legem paulo aliter interpretatur, Voorda, *Int. et Em. l.* 1. *c.* 20. inprimis *p.* 791.

am; paucis igitur adhuc videndum de iis fragmentis, quae hanc sententiam infringere videantur.

Pertinet huc primo *l.* 51. *pr. ff. de Procur.*, ubi totidem verbis docetur fideiussorem minoris defensoris cum ipso minore in integrum restitui. Errat tamen si quis putat hoc esse singulare beneficium, quod fideiussori qua tali conceditur, quasi huic consulere voluissent Legislatores, quod minorem consortem haberet, sed uti supra vidimus commodum maiorum, aliquando necessariam sequelam esse restitutionis minoris, sic etiam hic obligatio fideiussoris, qui iudicatum solvi promisisset, ideo effectu destitui debuit, quia per restitutionem minoris, qua persona rei quam hic sustinebat ex iudicio eximeretur, non tantum consistere non poterat iudicium, in quo tres personae, actor, reus et iudex requiruntur, sed consequenter etiam irrita fieri deberet satisdatio iudicatum solvi; lite enim mortua (i. e. si nullum est iudicium) fideiussores ex stipulatione illa non tenentur *l.* 2. *ff. Iud. solv. l.* 1. § 2. *ff. quib. mod. pign. vel hyp.* Quamvis igitur verum sit, fideiussores hic obligatione sua accessoria aeque liberari ac ipsos minores, haec tamen exceptio non infringit regulam, fideiussoris obligationem restituto minore vulgo subsistere, nec iis aliquid singulare tribui, cum ideo

tan-

tantum hoc in casu stipulatio iudicatum solvi non committatur, quod committi nequeat, salvo iure communi, nec fideiussor liberatus fuisset, nisi hoc necessario sequeretur ex beneficio minori defensori concesso, conf. Averanius, *Int. l.* 2. *c.* 9, qui latius hoc probat. — Alter casus est, in *l.* 2. § 1. *ff. de Adm. tut. l.* 89. *ff. de Acq. vel O. Her.*, quas rursus omnium optime explicare videtur Aver. *l. l. c.* 8. Dicit enim rationem quare in iis legibus restitutio minoris etiam fideiussori prosit, non in eo quaerendam esse quod ibi de impuberibus agatur, quasi horum beneficium abstinendi hereditate cui se immiscuissent, magis in commodum fideiussorum esset extendendum, quam beneficium restitutionis, sed rationem huius iuris esse, quod in casu earum legum, salvo iure communi, fideiussori denegari non posset exceptio doli, quae ad fideiussores aeque pertinet ac principaliter obligatos, *l.* 7. § 1. *ff. de Except.* Scilicet si minor heres, fideiussoribus datis creditoribus hereditariis promisisset, se debitum hereditarium soluturum, restituto minore, eius promissionem etiam effectu destitui, nemo facile negaverit, sed citatae leges docent nunc etiam fideiussoribus fuisse consultum; quid igitur, an dicemus, propterea quod minori ex sua restitutione ex-

cep-

ceptio doli competat, eam ipso iure etiam fideiussori competiisse arg. *l.* 7. § 1. *ff. cit.?* Hoc si indistincte verum esset, sequeretur omnem restitutionem minoris, si non ipso iure saltem per exceptionem, quod eodem redit (vid. *l.* 112. *ff. de R. I.*) fideiussores liberasse, quoniam profecto ipsi minori, ex omni restitutione, si nihilominus conveniretur, talis exceptio datur; alia igitur conciliatio harum legum quaerenda est, nec de hac desperandum videtur, etenim notum est exceptione vulgo repelli posse, qui petat quod contra aequitatem naturalem, summo tantum iure, ipsi debetur, tam si v. g. obligatio metu aut dolo fuisset contracta (§ 1. *I. de Except. l.* 36. *ff. de V. O.*), quam si causa obligationis deficeret, v. g. si numerata non esset pecunia credita § 2. *I. eod.*, quae exceptio tam principaliter obligato quam fideiussori competit, *l.* 15. *pr.* 60. *ff. de Fidei.* Haec igitur si referamus ad casum *d. l.* 2. et *l.* 89, ubi creditores hereditarii, fideiussorem minoris heredis convenirent, qui cum hoc solutionem debitorum hereditariorum promisisset, patebit nullam hic extensionem inveniri beneficii restitutionis, sed iure etiam communi, ex lege Plaetoria, fideiussori debuisse exceptionem doli concedi ex sua persona, cum causa promissionis a minore herede factae, esset sublata per

restitutionem contra aditionem hereditatis, et dolo igitur faceret, qui contra aequitatem naturalem fideiusforem conveniret; longe enim diversus est hic casus, quam si fideiussor v. g. emptioni a minore factae accessisset, nunc enim salva causa contractus, *minor obligationi suae* subduci poterat, ut fideiussor tamen adhuc obligaretur, sed si minor tamquam heres contraxisset, et restitutione contra aditionem hereditatis, qualitatem heredis amitteret, ut censeretur nullos creditores habuisse, non tantum *ipsi*, sed fideiussori etiam ex sua persona, exceptio doli contra obligationem ex hoc contractu competere debuit, quamvis non specialiter contra hunc contractum esset restitutus. — Accipiatur igitur in casu *d. l.* 2. *d. l.* 89, exceptionem doli fideiussoribus iure communi competiisse, tamquam necessaria sequela restitutionis contra aditionem hereditatis, minori concessae, sed ulterius progreditur Averanius, *l. l. c.* 8, qui insuper putat, eos ipso *iure* fuisse *liberatos* quod cum ex contextu earum legum non pateat (1), sed multum faciat ad intelligendam vim

(1) Imo contextus potius negantium sententiae favet, quum non doceatur fideiussores *liberari*, uti v. g. in *l.* 14. §. 6. 8. *ff. quod metus causa*, sed tantum iis *subveniri*.

vim et naturam restitutionis, necessarium omnino videtur, ut in argumenta Averanii inquiramus. Scilicet cum plurimae leges doceant, fideiussoris obligationem subsistere non posse sine principali, qua sublata ipso iure cadant quae sequuntur (vid. *l.* 6. *ff. de V. O. l.* 46. *l.* 56. *pr. l.* 60. *ff. de Fidei. l.* 43. *ff. de Solut. l.* 178. *de R. I.*), sufficiat tamen ad accessoriam obligationem sustinendam, ut adsit naturalis obligatio principalis (*l.* 16. § 3. 4. *ff. de Fidei. l.* 7. *in f. ff. Iud. solv.*), hinc quaerit Averanius, quaenam obligatio, post restitutionem minoris, huic adhuc incumbat, ut inde concludere posset, quando fideiussoria obligatio simul cum principali ipso iure extingui debeat. Putat itaque in casu *l.* 2. et *l.* 89. *citat.*, minorem ne naturaliter quidem obligatum fuisse, qui non contraxisset si heres non fuisset, nec civiliter, quoniam restitutio sustulisset civilem eius obligationem (1), debuisse igitur restituto minore ipso iure liberari fideiussores, sed rursus cavendum omnino est, ne per indistinctam notionem naturalis obligationis, in perversam in-

(1) Ita Averanius sua auctoritate, vellem tamen probavisset, per restitutionem minoris, eum civili obligatione liberari quod non exinde sequitur, quod eius obligatio omni civili effectu destituatur.

incidamus doctrinam, quamvis enim iure ordinario, Romani fideiussoriam obligationem tali obligationi inniti voluerint, quae saltem exceptionem adversario concedat, nemo tamen non videt ratione minorum aliud obtinere, cum obligationes fideiussorum, a *minoribus* datorum, subsistere possint etiamsi minor subductus esset obligationi principali, ut nec actio, nec exceptio in eum competeret. Sed an igitur dicendum est fideiussoris obligationem semper ipso iure tolli per restitutionem minoris, si nec huic moralis amplius obligatio incumbat? Mihi non ita videtur, nec Romanos incerto plerumque moralis obligationis fundamento, accessorias superstruxisse, sed potius dicendum videtur, eos huius imputationis in minore nullam rationem habuisse, cum si hanc doctrinam admitteremus, dicendum esset beneficium minoris ad fideiussorem maiorem extendi, cui liberatio contingeret, propterea quod minor per restitutionem naturali illa, et civili *obligatione* principali liberaretur, quod non tantum rationi sed etiam Iuri Romano contrarium esse, iam ex praecedentibus patere videtur. Praeterea leges illae si, uti diximus, exceptionem tantum fideiussoribus concedant, commodum omnino sensum habent, atqui ipso iure illos liberatos non fuisse exinde satis probatur, quod licet minoris

obli-

obligatio; quam ex promissione debita heredi-taria solvendi, susceperat effectu esset destituta, fideiussori tamen (cuius obligationem sustinere potest causa iuris honorarii Voorda, *Interp. lib.* I. *c.* 20.), mere civilis saltem obligatio ex stipulatione debuit incumbere, nequaquam enim Romanis propositum fuit per restitutionem beneficium concedere, quod causae cohaereat, sed tantum emendare damna, quae minores lubrico aetatis paterentur; quod si verum est, uti dubitari nequit, cumque ex modo allatis constare videatur, Romanos nullam extensionem eius beneficii admisisse, imo curavisse, ne consortes minorum maiores, extra necessitatem ex eo lucrum caperent, ita decidere nunc posse mihi videor quaestionem illam, quam supra ventilavi, ut dicendum sit nec singularia quae minori dolo laeso conceduntur, ad fideiussorem extendi, sed dari quidem huic exceptionem doli ex sua persona, mere civilem tamen obligationem etiam post restitutionem minoris principaliter obligati illi incumbere, nec posse eum contra dolosum adversarium minoris restitutionem petere, nisi modo ordinario, id est cum probatione doli, intra biennium, et si laesio duorum aureorum summam excedat, quae aliter non posset emendari.

Recte igitur in *l.* 95. § 3. *ff. de Solut.* resti-

stitutionis beneficium dicitur *propria et personalis defensio*, quamvis enim ad heredem, minoris personam induentem (1) transeat, omnes tamen alii effectus ex gestis minorum, ad ipsos non pertinentes, et quibus ipsi non laederentur, aeque *sustinentur* in *quantum* fieri posset, ac si nulla restitutio intervenisset, cuius causam nemo non videt, cum soli tantum minori subveniendum esset, nec in praeiudicium aliorum civium emendari deberent damna, quae maiores sua culpa per minores paterentur, id est sine laesione. Sed hinc quaerere quis posset, quare igitur Praetor exceptiones illas admiserit, de quibus modo vidimus et quare non omni in casu solius minoris damna emendaverit? Hac de re constare potest, si ad potestatem magistratuum apud Romanos attendamus; scilicet Praetor licet minores subducere posset obligationibus suis sive ex contractu, sive ex aditione hereditatis, aeque ac v. g. dato beneficio abstinendi suum heredem *omnibus* obligatio-

(1) Heres tamen minoris quadriennium tantum habet, ad restitutionem ex persona defuncti petendam, quamvis ipsi defuncto plus temporis superfuisset, si in vita mansisset, *l.* 5. § *ult. Cod. de Temp. in int. rest.* et in herede infantis singulare est, quod restitutionem impetrare nequeat, contra omissam a tutore defuncti hereditatis aditionem *l.* 18. § 3. *C. de Iur. del.*

tionibus hereditariis liberat, leges tamen et ius civile evertere nequit, nec obligationes iure civili validas ipso iure nullas facere, quasi nullus contractus vel aliud factum obligatorium intervenisset. Hinc igitur I°. sequitur, si minor recte contractum inivisset damnosum, in cuius securitatem fideiussorem dedisset, potuisse quidem Praetorem vim effectuum civilium, ex tali contractu, favore minorum v. g. tollere in foro, sed factum infectum fieri nequit, adeoque nisi fideiussor etiam personali tali defensione liberetur, eius ratione omnes effectus stipulationis salvi manent. II°. Vero inde sequitur, Praetorem non potuisse effectus civiles beneficii semel praestiti prohibere. Patet igitur non amplius de peculio conveniri potuisse patrem restituto filiofamilias contra obligationem suam; nec fideiussori minoris defensoris, ex stipulatione iudicatum solvi, aut minoris heredis, ex promissione solvendi debita hereditaria, obligato exceptionem doli denegare potuit Praetor, si per restitutionem minoris contra defensionem susceptam, aut contra hereditatis aditionem, causa obligationis a fideiussore contractae esset sublata, sed tantum abest, quin his casibus ipso iure liberati fuerint fideiussores, ut potius dicendum videatur talem liberationem ne ipsi quidem minori ex restitutione competiisse, qui enim

enim femel heres fit femper heres manet *l.* 88. *ff. de Hered. inft.*, nec ex eo quod reftitutio minoris aliquando confiftat, in deneganda adverfario actione (*l.* 27. § 1. *ff. de Minor.*), probatur, ita ipfo iure adverfario periisfe ius agendi, quod Praetor prohibere *non* potuit; hoc igitur fi verum est, etiam post reftitutionem, mere civilem adhuc obligationem ipfi minori (et proinde multo magis conforti) incumbuisfe, fed cuius effectus Praetor, tamquam Iurisdictioni praepofitus, in foro prohibeat, de fundamento conftat, quo innitantur obligationes accesforiae, etiam post reftitutionem minoris contra obligationem principalem, et quod igitur in morali imputatione minoris non est quaerendum.

Atque fic quidem pro inftituto nostro et pro virium tenuitate, etiam hanc commentationis partem abfolvimus, cui igitur finem imponimus cum iam fatis conftare videatur, de emendatione eorum quae, fummo iure valida, minores lubrico aetatis laederent.

Nunc ad vos me verto, Viri Clarisfimi, quorum iudicio hanc qualemcunque difputationem fubmitto. Sitis benevoli oro; nec offendant vitia tum ordinis, tum ftili, haud aliena a fcribendi artis parum perito, nec profecto mirabor fi haud praetermittenda hic illic omiferim

in